N 20

DEGL' ISTORICI DELLE COSE VENEZIANE,

I quali hanno ſcritto per Pubblico Decreto,

TOMO SESTO,

CHE COMPRENDE I SEI SECONDI LIBRI DELL' ISTORIE VENEZIANE LATINAMENTE SCRITTE

DAL SENATORE

ANDREA MOROSINI.

BIBLIOTEKA SHKOD 980
BIBLIOTEKA E SHTETIT SHKODER
Nr. 1313
629 R9

IN VENEZIA, MDCCXVIII.
Appreſſo il Loviſa.
CON LICENZA DE' SUPERIORI, E PRIVILEGIO.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

*RE*s a Suleimano in Perside gestas continet. In Italia, cum ad ceteras domesticas clades dolor quoque ex Octavii Farnesii de occupanda Parma consilio accessisset, morbo ob aegritudinem correptus Paullus III. e vivis excessit. Paullus-Maria Montius Pontifex Maximus creatus est, qui Julius III. appellatus. Quae oppida in Numidia Dragutes archipirata ceperat, iis ab Andrea Auria, Caesaris jussu, exutus est. Hinc novi inter Caesarem, ac Suleimanum belli jacta semina. Venetorum cum Turcis controversiae de agri Jadertini finibus in Illyrio tandem, novem & quadraginta pagis Reipublicae restitutis, Aloysii Rheynerii opera diremptae. Sthephani Ungariæ Regis adhuc pueri tutoribus inter se dissidentibus, cum Turcarum auxilia alter imploraſſet, alter ad Ferdinandi Romanorum Regis opem confugisset; in spem Caesar venit, fore, ut Dacia a Ferdinando fratre occuparetur. Ad continendos in officio cives, arx a Caesare Senis exstructa est. Farnesiis ad Galliae Regis amicitiam conversis, turbae in Italia exortae. Se Pontifex Caesari conjunxit. Utrimque magni belli apparatus facti. Multa, ne Italiae pax interturbaretur, Venetis maxime in id incumbentibus, agitata. Cum Caesareani infensum agmen Parmae admovissent, abruptis pacis consiliis, ad arma concursum est. Calornum deditione Caesareani recepere. Interea Sinanes, turcicae classis praefectus, in Siciliam delatus, expositis copiis, Augustam urbem incendit, arcem cepit, ac diripuit. Inde in Melitam insulam populabundus exscendit. Gaulum prope a Melita dissitum vi cepit. In Africam cum trajecisset, Leptim, Religionis Hierosolymitanae oppidum, arctissime circumsessum, ad deditionem compulit. Turcarum, quod Gallis sociati essent, metu Pontifex pacis consilia animo volutare coepit, Caesare ab ea palam deterrente, Gallis ad eam se pronos simulantibus. Ferdinandus Dacia universa singulari fortunae favore potitus est. Foedus inter plerosque Germaniae Principes, atque Henricum Galliae Regem contra Carolum V. percussum est. Salernitanus Princeps a Caesare defecit. Multa a Germanis foederatis praeclare gesta. Pontifex in biennium inducias cum Gallo pactus hac lege est, ut copias a Parma, ac

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Mirandula abduceret. Caesar salutem turpi fuga quaerere coactus Villacum se recepit. Pax inter Caesarem, & Saxoniae Ducem facta. Salernitanus Princeps, aliique Gallicarum partium homines neapolitani regni invadendi consilia iniere. Senenses, Gallis intra urbem receptis, Hispanos ejecere, arcem solo aequavere. Dragutes, turcicae classi praefectus, septem Auriae triremes cepit. In Dacia Turcae Temisvario potiti sunt, Sfortiae Pallavicini copias fudere, ducem in captivitatem traxere. In Etruria ob Senensium motus bellum exortum. Dragutes Gallis conjunctus Corsicam aggressus, universam fere insulam in Gallorum potestatem redegit. Suleimanus domum, Mustaphae filii ob novercae artes sibi suspecti nece, funestavit. Venetiis Franciscus Donatus Princeps exstinctus est: in demortui locum Marcus-Antonius Trivisanus subrogatus. Cosmus, Florentiae Dux, Caesaris partes amplexus Senas obsedit. Veneti apud Suleimanum de Dragutis insolentia conquesti. Maria, ad Angliae regnum evecta, Philippo Hispaniae Regi nupsit: rem catholicam in Anglia restituit. Altero principatus anno Marcus-Antonius Trivisanus Venetiis obiit: in ejus locum suffectus est Franciscus Venerius. Senarum urbs per deditionem in Caesaris potestatem venit. Romae continuis pene funeribus Julius III. &, qui illi successerat, Marcellus II. Pontifices elati. Paullus IV. Pontifex renunciatus. Turcica classis gallicae juncta frustra Calvium oppidum in Corsica tentavit. Venetorum cum Hierosolymitanis Equitibus jurgia, Pontificis auctoritate, ex Venetorum sententia, composita. Paullus IV. adversus Caesarem foedus cum Gallis percussit. Carolus V. Belgium primum, mox reliqua regna & provincias abdicavit, Philippoque filio tradidit. Cameraci inter Caesarem, Philippum filium, & Henricum Galliae Regem induciae in quinquennium pactae. Pontifex Columnenses Ecclesiae hostes declaratos honoribus, oppidisque, quae beneficiario jure obtinebant, multavit: Palianum nepoti tradidit. Albanus Neapolis Prorex in pontificias ditiones invasit: Ostia capta, magnum terrorem Romae incussit. Venetiis, Francisco Venerio Principe vita functo, Laurentio Priolo suprema dignitas delata est. Variante fortuna in Italia bellum inter Pontificem, & Hispanos gestum est. Sancti Quintini oppidum insigni Gallorum clade nobilitatum: idem vi captum, & direptum. Pax inter Pontificem, & Hispanos per Venetos conciliata est.

HI-

HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER SEPTIMUS.

M. D. XLIX.

DUm hæc in Europa, Turcici belli ob pactas inducias suspicione depulsa, geruntur, Suleimanus reliquis expeditus curis, in Persicam expeditionem cunctas sui imperii vires, ac nervos intenderat; in id ab Elcano, Tamassi Persarum Regis fratre, incitatus, atque impulsus, qui vel æmula regnandi cupidine ductus, vel nimiæ fratris potentiæ timore perterritus, cum imparem se certamini animadverteret, Byzantium ad Suleimanum confugerat, ab eoque summis honoribus excultus, quod ejus auctoritatem adversus Tamassum sibi apprime utilem fore censeret, animum militaris gloriæ avidum incenderat. Itaque magnis comparatis copiis, magnisque itineribus emensis, cum ad Persidis fines Sulei- 1549

Suleimanus ab Elcano Persa incitatus, in bellum Persicum intendit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1549 Suleimanus, luſtrato exercitu, perveniſſet, qui trecentorum & quinquaginta millium, majori ex parte equitum, fuiſſe ferebatur, ſelectorum ingentem manum cum Elcano præmittit, qui aut æquo marte cum hoſte confligerent, aut reliquas copias præſtolarentur. Perſa prælium detrectat; agros circumquaque incendit; Tauriſium, incolis abductis, vacuum hoſti relinquit; penitiora Perſidis ingreditur. Eo gravi, ac periculoſo bello nihil, præter inanem oſtentationis laudem Suleimanus tulit, multis ſuorum ab hoſtibus cæſis, multo pluribus fame abſumptis, morbiſque, qui paſſim per exercitum peſtifera lue graſſabantur, confectis. Elcanus transfuga ſpe dejectus, relicto Suleimano, ad ſuos ſe recepit, Turcis eo infenſior, quo majori ſpe deturbatus fuerat. Suleimanus vero cum copiarum reliquiis Aleppum ſe conferre, atque ibi hyemare coactus, incredibili adeo faſtu efferebatur, ut ingentem exercitus jacturam parvifaceret, & partam a ſe victoriam jactaret. Quapropter ex ea civitate Ferratem legatum cum literis ad Senatum miſit, quibus res a ſe in Perſide geſtas, ſuaſque victorias ſignificabat. Et quoniam a Rhodi inſulæ præfecto Venetis navigiis haud parva illata damna fuerant; literas ad illum dedit, quibus, ut a Venetorum rebus abſtineret, graviſſimis propoſitis pœnis, monebat. Ferrati ædes publico nomine, ac victus ſuppeditatus; gratiæ Suleimano per literas actæ; de Perſicis ſucceſſibus gratulatum; quamprimum Byzantium revertiſſet, ad eum legatum, qui coram id officii præſtaret, miſſum iri. Licet vero pax, ea tempeſtate cum Suleimano Reipublicæ intercederet, complura in navigia, atque homines Venetos a barbaris committebantur, qui maria undique obſidendo, direptionibus, latrociniis, ac ſceleribus omnes Mediterranei oras fœdabant; in primiſque Dragutes, chriſtiani nominis acerrimus hoſtis, qui olim Genuenſium captivus ad tranſtra remigare coactus, mox libertatem adeptus, inexpiabili odio in cunctos ſæviſſime debacchabatur. Erant præterea Salarais, Corcutes, atque alii, qui piraticam exercendo, magno metu, ac terrore navigationi incumbentes concuſſerant. Hæc cum Senatui valde moleſta forent, quod itinera negotiatoribus impederentur, præfecto claſſis, ut ſelecta triremium manu piratas perſequeretur, injunxit; quatuor triremes armari in urbe juſſit.

Tauriſium a Perſis relictum Turcæ occupat.

Turcarum exercitus cæde & morbis confectus.

Elcanus Turcas deſerit, ad Perſas denuo accedit.

Suleimanus Aleppum ſe confert.

Ferrates a Suleimano cum literis Venetias mittitur.

Senatus literæ ad Suleimanum.

Dragutis & aliorum piratarum direptiones.

Senatus mandata ad claſſis legatum de piratis perſequendis.

ſit. Eo anno nulli rei diligentior cura, atque opera adhibita, quam ut maria tuta redderentur, peſſimumque genus hominum excinderetur. 1549

Ceterum Parmæ, ac Placentiæ perturbatis rebus, quomodo ſe ex ea perplexitate explicare Pontifex poſſet, minime inveniebat. Octavius vero Farneſius, ſpe Placentiæ a Cæſare obtinendæ abjecta, Parmam, quam Pontifex Camillo Urſino una cum arce Eccleſiæ nomine tuendam, neque cuipiam abſque ſuo juſſu, ac mandatis tradendam dederat, aſtu occupare aggreſſus per diſpoſitos equos Roma inſcio Pontifice diſcedens, Bononiam profectus, poſtridie cum ſuorum manu ad portas adeſt. Urſinus milites pro ſtationibus diſponit, cuſtodias ingeminat, intentiore diligentia ſingulos ſui muneris admonet. Octavius in urbem introductus, arcemque ingredi conatus, a præfecto, quod nullam ejuſmodi neque a Pontifice, neque a Camillo facultatem haberet, repulſus, re infecta, digreditur. Pontifex his auditis indignabundus, tabellario quam celerrime ad Octavium contendere juſſo, Romam reverti imperat; Urſino ne illi urbem tradat, præcipit. Octavio reluctante, atque acerbe admodum conquerente, Cardinalis Montii Bononienſis legati opera ad illius animum flectendum Paulus fruſtra utitur, cum is injuriarum omnium oblitus ad Cæſaris partes inclinare, ac de Parma occupanda cum Ferdinando Gonzaga agere cœpiſſet, ad Alexandrum Farneſium Cardinalem fratrem datis literis, quibus, ni Pontifex urbem illi reſtituat, Gonzagæ acceſſurum, illiuſque viribus quantumvis duris conditionibus Parmam ſe recepturum minabatur; id facile vel civium favore, vel commeatuum, quibus urbs laborabat, inopia conſequi poſſe ratus. Farneſius literas ſtatim ad Pontificem detulit, prælegentem vehemens adeo perturbatio, atque iracundia corripuit, ut, tremulos, atque ſeniles artus liquente ſpiritu, humi prolabentem vix qui prope aderant ſuſtinerent, & pene multis adhibitis exquiſita medicorum cura remediis colligere effluentem animum potuerit. Ferri vero conceptus, moleſtiis, atque ægritudinibus animi confectus, & obtritus exceſſit, cum quindecim annorum ſpatio pontificatum geſſiſſet; inter eos, qui cum approbatione, ac laude ingens illius auctoritatis pondus ſuſtinuere, connumerandus; cum in Italiæ

Camillo Urſino a Pontifice Parmæ cuſtodia mandatur.

Octavius Farneſius Parmam ingreſſus ab arce rejicitur.

Paulus Pontifex Octavio Farneſio reditum in urbem imperat.

Pauli Pontificis perturbatio, obitus, & elogium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1549 pacem præſertim incubuiſſet, atque ſummos Reges ſæpius conciliare aggreſſus, nulla itinera, nullos labores, quo publicæ incolumitati proſpiceret, reformidaſſet : ut ad illius gloriam nihil accedere poſſe videretur, niſi ad domeſticam amplificandam, atque evehendam fortunam ſe totum contuliſſet, eo uſque prolapſus, ut ne rerum quidem publicarum jacturam, dum voti compos fieret, aliquando magni fecerit ; quamque per multos annos laudem retinuerat, eam extremo vitæ actu prope amiſiſſe viſus eſt, nunquam prope infelices exitus ſortitus, Petro Aloyſio filio interfecto, Placentiæ, atque aliis familiæ, ob cujus decus adeo inſudaverat, oppidis ademptis, ac omnibus ſuis conſiliis perturbatis, ac prope everſis. In Venetos haud vulgaria benevolentiæ ſigna edidit ; Senatus ſententiam in graviſſimis negotiis exquiſivit, ac magni fecit ; cujus obitus eo magis moleſtus, atque inopportunus fuit, quod iis diebus contigit, quibus in gaudium, ac voluptatem effuſa civitas Ferdinandi Auſtriæ Archiducis, Ferdinandi Romanorum Regis filii, adventum præſtolabatur ; cujus ſororem Catharinam cum Franciſcus Gonzaga, Mantuæ Dux, uxorem duxiſſet, Paulum Theupolum, Stephani filium, tunc Sapientum ordinum magiſtratum gerentem, ad eum legatum Senatus miſerat, ut congratulationis munere publico nomine fungeretur. Cum vero Ferdinandus ſpectandæ maritimæ urbis deſiderium per Nicolaum Madrutium, Chriſtophori Cardinalis fratrem, Theupolo ſignificaſſet, Patres liberaliter per oratorem invitarunt. Regis Romanorum filii, atque aliorum Germanorum Principum adventu egregii ſummo ſtudio apparatus inſtituti : nihil, quod ad publicum ſplendorem, ac magnificentiam in iis excipiendis declarandam attineret, prætermiſſum : comitia, ſubſeliis amotis, regio cultu exornata ; naumachiæ inſtitutæ ; ſcenæ extructæ, nobilium juvenum manu iis in rebus curandis occupata : quæ omnia repentina Pontificis mors intervertit ; ea namque audita, Cardinalis ſtatim Romam ad Comitia contendit ; Ferdinandus, Senatui per literas ampliſſimis gratiis actis, in Germaniam rediit.

Franciſci Gonzagæ Mantuæ Ducis cum Catharina Auſtriaca nuptiæ.

Paulus Theupolus ad Ferdinandum, Ferdinandi Regis filiũ, orator.

Ferdinãdus filius Venetiis magnifice exceptus.

At Pauli obitu diſſidia in Gallia Ciſalpina oborta recrudeſcere ; Cæſareani, ac Galli milites cogere ; omnes ad urbem Parmam oculos adjicere ; nam Farneſio, penes quem magna in

1549 in novo Pontifice deligendo vis, magna auctoritas inerat, petenti pernegare purpurati non potuere, quin Collegii nomine ad Urſinum literas darent, quibus civitatem Octavio tradi jube rent. Verum iis nihil Camillus permotus, reſcripſit, novo Pontifici Parmam, quæque illi Paulus commendaſſet, optima fide redditurum. Ea ſane in urbe retinenda Urſini inſignis adeo conſtantia fuit, ut nullis quantumvis ingentibus præmiis ab inſtituto deduci potuerit ; Venetis per nuntium ſignificaverit, Parmam ſe integra fide novo Pontifici traditurum ; interea vero Eccleſiæ nomine defenſurum. Et quoniam pecuniæ inopia premebatur, eam vim, quæ Senatui videretur, ſibi ſuppeditari petebat ; qui graviſſimis cauſis ſe detineri reſpondit, quin Urſino ſatisfaceret, vel ex eo Reipublicæ voluntatem perſpicere potuiſſe, quod complures ex ſuis ditionibus ad opem illi ferendam confluxiſſent. Urſinus quam Venetiis aſſervabat pecuniam, eam ſibi Parmam deferri juſſit. Cæſare vero eodem tempore a Venetis petente, ne Parmæ ex ſuis ditionibns milites adeſſe, neu arma in eam urbem importari permitterent, nihil eſſe, quod ſe iis curis Reſpublica implicaret, reſponſum eſt.

Cardinalis Collegium Urſino imperat, ut Octavio Farneſio Parmam tradat. Camilli Urſini conſtãtia in Parma novo Pontifici cuſtodiẽda.

Camillus Urſinus a Venetis pecuniam poſtulat. Senatus reſponſum.

Romæ novemdialibus exequiis de more habitis, de Pontifice eligendo magna animorum contentione agebatur, Patribus in diverſas partes diſtractis, qui pernicioſa Cæſareanarum, ac Gallicarum factionum nomina in ſacra illa comitia intulerant, & in eo quiſque maxime laborabat, ut is in demortui locum, qui ſuarum eſſet partium, ſufficeretur : cum Cæſar de præſentem Italiæ ſtatum retinendum Pontifice ſibi addicto maxime opus eſſe intelligeret ; Henricus Galliæ Rex, qui nunquam ab Italicis rebus animum revocaverat, Pontificis auctoritate, ac favore ſubnixus, bello Cæſarem in Italia laceſſere haud difficulter poſſe arbitraretur ; eo majori ſpe ductus, quod gliſcente denuo cum Anglis bello, per eos dies ejus copiæ hoſtium munitiones quaſdam in Belgio, quibus Bononia obſidione arcebatur, occupaſſent, Britanniaque civilibus tumultibus, ac religionis diſſidiis laboraret. Veneti ex veteri inſtituto literas ad Cardinalium collegium dedere, quibus ſummum ei dignitatis gradum deferendum hortabantur, qui reipublicæ chriſtianæ afflictis, ac perturbatis rebus conſilio, & vir-

Senatus literæ ad Cardinaliũ collegium de Pontifice eligendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1549 virtute opem ferre; religionem divulsam, atque in plerisque provinciis nutantem restituere, & ad pristinum decus revocare posset; ad idque Pisanum, ac Cornelium patritios viros Cardinales per Matthæum Dandulum legatum incitabant, Durantem Reipublicæ amicissimum impellebant; unum id christianæ reipublicæ malis, atque perturbatis Italiæ rebus præsens remedium fore rati, si is Pontifex deligeretur, qui nullis humanis obcæcatus affectibus, a se ipso penderet, omnes cogitationes, ac consilia ad commune bonum dirigeret. Ita se res anni hujus exitu habebant; anceps Italiæ quies; incertus pontificiorum comitiorum eventus; suspensi Italorum Principum animi; Veneti sedulo de illorum imperii incolumitate, pro Italiæ libertate, ac dignitate soliciti: quibus permoti opus, de quo sæpius actitatum fuerat, Guidobaldo copiarum gubernatore suadente, aggrediuntur. Pischerium oppidum in extrema Benaci lacus ora, qua Mincium amnem efficit, egregiis operibus munire statuunt, quod valde opportunum iis Reipublicæ ditionibus, quæ ultra Mincium sunt, subsidio tuendis censeretur. Hæc procuratio Stephano Trivisano injuncta est, qui brevi oppidum terra, ac muro cinxit, ut postea ad eam, quæ hodie cernitur, prævalidam arcem excreverit.

Pischerii muniendi decretum.

M. D. L.

1550 *Julii tertii Pontificis electio.*

ROmæ vero comitia valde perplexa, ac diuturna fuere, cum tandem post duos menses, & dies sex Joannes Maria Montius Pontifex renunciatus est, cunctis ad eum adorandum (genus est id, quo nonnunquam Pontifices eligi consuevere) provolutis. Is nulla nobilitatis commendatione, aut propinquitatum favore in Cardinalium Collegium cooptatus, virtutis, atque integritatis opinione apud cunctos concitata; eo præsertim, quod se a Principum factionibus immunem præstitisset, in Farnesii sententiam cunctis facile descendentibus, eam dignitatem est adeptus, Juliique tertii nomine assumpto, Ecclesiæ gubernacula suscepit. Veneti, quibus publica pax, ac præsertim Italiæ cordi erat, ex Julii electione, quod is in neutram partem propendere censeretur, magna lætitia affecti, adeptam dignitatem per Matthæum Dandulum, ordi-

Matthæus Dandulus, orator, Senatus nomine Pontifici gratulatur.

ordinarium oratorem, gratulantur. Quatuor de more, qui Romam profecti id muneris obirent, legati designantur, Philippus Tronus, Franciscus Contarenus, Marcus Antonius Venerius, Nicolaus Pontius. 1550 *Veneti oratores ad Julium Pontificem.*

Julio vero Pontifice renunciato, cunctorum animi ad meliorem spem erecti, lætiora etiam inde omina sumebant, quod eo potissimum tempore suffectus fuisset, quo aperiens se annus cælestium donorum magnitudine refertus, cunctorum Christianorum votis magna expectatione exciperetur, *Jobeleo* insignis, quod priscis temporibus centesimo quoque anno celebrabatur; postea ad quinquagesimum; demum ad quintum & vigesimum redactum; quo ii, qui ad Romanam urbem, divorumque Petri, & Pauli Apostolorum corpora invisenda accedunt, omni criminum noxa expiantur; ex cunctis fere christiani orbis partibus eo anno mortalibus ad urbem confluentibus, quos novi visendi Pontificis cupiditas majori numero attraxerat. Julius inito pontificatu statim Romanæ Ecclesiæ vexilliferum Octavium Farnesium Ducem creavit, atque ut Parmæ civitas ab Ursino (quemadmodum jurejurando cum reliquis Cardinalibus ante Pontificis electionem se obstrinxerat) ei traderetur curavit, pecunia ad stipendia militum solvenda missa. Ascanium Columnam, a Paulo suis ditionibus exutum, atque exilio multatum, qui toto eo tempore Venetiis commoratus fuerat, in gratiam recepit. Eadem clementia in Rodulphum Baleonium usus. Romam, pontificiasque ditiones vectigalibus, ac tributis levaverat. Inde illius humanitas, ac liberalitas per omnium ora circumferebatur, quæ majora, atque illustriora reddebantur, quod ad eum, uti Christi Vicarium, colendum, Ecclesiæ beneficiarii Ferrariæ, Parmæ, atque Urbini Duces accesserant. Carolus Cæsar, Henricus Gallorum Rex, aliique Reges, Principes, ac Respublicæ certatim perhonorificas legationes miserant. Venetorum legati sexto kal. majas, divo Marco Reipublicæ patrono dicata die, obviam fere tota effusa civitate, urbem ingressi, perhumaniter a Julio excepti, variisque honoribus exculti fuere, ut nihil ad Venetæ Reipublicæ dignitatem accedere posse videretur. Nicolao Pontio, ut juniori, orandi munus obtigit, qui, ut erat omnibus disciplinis eruditus, atque magna dicendi vi & gravitate

Parma Pontificis mandato Octavio Farnesio traditur.

Ascanius Columna, & Rodulphus Baleonius a Pontifice in gratiam recepti.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1550 te potens, eam orationem habuit, qua illorum temporum ſtatum, & conditionem expreſſit, novique Pontificis ad ſananda chriſtianæ reipublicæ vulnera, atque Italiæ pacem conſervandam mirifice adeo inflammavit animum, ut cunctorum approbatione ſummi oratoris, ac Senatoris laudem ferret.

Publicis exhibitis officiis, ſecretiora Senatus mandata legati exequuntur. Nam Camertibus Balduino fratri, Ancona Vincentio Nobili, ſororis filio, a Julio traditis, cum vulgaretur, Herculi Ferrariæ Duci ducentorum aureorum millibus Ravennam, ac Cerviam oppignerari velle, eaque de re Matthæus Dandulus, ordinarius legatus, Senatui ſcripſiſſet, Julium adire legati juſſi ſunt, atque ab eo petere, ut ſi quod fama percrebuerat, veritate niteretur, Reipublicæ jura iis in urbibus Ravennæ, ac Cerviæ ex Bononienſi fœdere anno 1529. ſancito, diſcuterentur: eas civitates Senatui potius, quam aliis concedi æquum eſſe; quæ videretur æqua eam pecuniæ ſummam numeraturum: ſin vero rumor is falſus eſſet, enixe Pontificem orarent, ut tandem, juribus in graviſſima cauſa perpenſis, Reipublicæ proſpiceretur. His Julio expoſitis, reſpondit: De oppignerandis Ravennæ, ac Cerviæ urbibus nihil ſibi unquam in mentem veniſſe; ab oppidis pontificiis alienandis averſum eſſe: quod vero ad Reipublicæ jura attineat, ejuſmodi temporum conditionem, ut de iis agatur, non eſſe: rem ſatius ſilentio premere, ne exemplo ceteri Principes ad res in Italia novandas, quibus quies interturbari poſſet, incitarentur. Sed ea tempeſtate ſubſecuta, qua & graviſſimi in Italia belli ſemina jaciebatur, & renovandi cum Turcis haud obſcura certaminum initia ſuboriebantur, negotium in aliud tempus dilatum eſt.

Julius magna, ut diximus, omnium expectatione ad pontificatum evectus, illecebris ſupremæ dignitatis irretitus, paulatim a graviſſimis curis, negotiorumque mole cœpit animum ſubducere; quæ, ut imminentium malorum cumulis obſiſteretur, meditanda erant, negligere; tempus ignobili otio inter hortorum amœnitates terere, in quibus regias ædes ædificari, priſciſque antiquorum monumentis marmore Pario, exquiſita arte, & immenſo ſumptu elaboratis operibus exornari ſtuduerat. Ex ea Pontificis incuria plurimum chriſtianæ reipublicæ detri-

detrimenti imminere plerique arbitrabantur: licet enim ob pacem ab Henrico cum Anglo de integro initam, qua Bononiam, atque alia a Britannis oppida occupata recuperaverat, Europa quieſceret, attamen publicum illud otium diuturnum fore minime cenſebatur. Nam Henricus e Scotiæ regno Paulum Thermium, virum acrem, ac induſtrium, qui præfectus illi bello fuerat, in Galliam revocatum, cum ſumma auctoritate ad Pontificem legatum deſignaverat; Italos ſuæ factioni addictos in officio continebat, novos comparabat; Horatio Farneſio in Galliam, ut illi ſuas fratriſque res commendaret, profecto opem laturum pollicebatur. Cæſar contra nullis neque precibus, neque officiis adduci poterat, ut Parmam Octavio habendam permitteret; ad id Ferdinando Gonzaga præcipue impellente, qui urbem ſitu ad Inſubrum imperium vel oppugnandum, vel tuendum opportunam in primis, ac maxime neceſſariam diceret; idcirco ea de re tantum armis decerni poſſe videbatur. Extra Italiam vero Dragutes archipirata, qui Chariadeno nuper defuncto ſucceſſerat, atque maritimarum rerum peritia illius virtutem, & auſus æquabat, quadraginta ſex navigiis coactis, Aphrodiſium, Numidiæ oppidum, quod hodie *Africa* vocatur, aggreſſus, vi cepit, Mauris, qui tunc eo potiebantur, ejectis. Caneſtrium quoque eodem curſu victoriæ occupavit; loca ad Hiſpaniam, ac Siciliam multis incommodis afficiendam apta. Magnam inde Cæſar moleſtiam ceperat, quod ex iis locis multa, ac gravia Siciliæ regno damna inferri poſſe animadverteret. Quapropter Andreæ Auriæ, ut ad ea oppida oppugnanda ſe conferret, imperaverat: qui tertiodecimo kal. junias cum tribus ac quinquaginta ſelectis triremibus in Numidiam profectus, Caneſtrium cepit, incendit, quadringentis Mauris cæſis, ſeptingentis in captivitatem redactis, ex ſuis ducentis amiſſis, ſolo æquavit. Menſe vero julio Aphrodiſium progreſſus tormentis verberare cœpit, propugnatoribus, qui mille ac quingenti erant, fortiter, oppidum tuentibus: tandem cum continenter per quadraginta dies Hiſpani acriter oppugnationi inſtitiſſent, adepti ſunt. His eventis turbatæ, atque abruptæ quinquennales induciæ, graviſſimique belli initia jacta videbantur. E Perſide jam Suleimanus redierat, ac licet ea expeditio imparem votis exitus habuiſ-

1550

Paulus Thermius Galliæ Regis ad Pontificem orator.

Henrici Regis Farneſiis pollicita.

Dragutes Chariadeno defuncto a Turcis ſuffectus.

Aphrodiſium & Caneſtrium a Turcis capta.

Andreas Auria amiſſas urbes a Turcis recipit.

Suleimani e Perſide reditus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1550 habuiſſet, cum antea, ut diximus, legatum, qui a ſe partas victorias nuntiaret, ad Venetos miſiſſet, Senatus amico Regi Catharinum Zenum exacta jam ætate, qui gentis mores optime noverat, legatum miſit.

Catharinus Zenus ad Suleimanum orator.

Dragutes a Suleimano Numidiæ præficitur.

Auditis vero quæ a Cæſareanis in Numidia geſta fuerant, vehementer Suleimanus excanduit, omneſque curas a Perſico ad Cæſareanum bellum traduxit; Dragutem, cujus fortia, & egregia geſta Byzantium fama detulerat, Numidiæ præfecit, eaque de re Principes, ut ab eo perſequendo abſtinerent, certiores fecit, legato quoque, qui id Senatui ſignificaret, Venetias miſſo; veritus ne ob multa Venetorum rebus damna illata, atque ex ipſorum navigiis prædas actas, incenſi in vindictam animi, atque injuriarum dolore perciti aliquid adverſus ipſum molirentur. Senatuſconſulto legato reſponſum; Dragutem, ſi, mutata priori conſuetudine, ab hominibus ac navigiis Venetis ſe abſtineat, nulla a noſtris hoſtilia paſſurum. At ille poſt Aphrodiſium ab Hiſpanis captum, cum omnes Numidiæ oras excurrendo, prædas abegiſſet, navigia cepiſſet, multos mortales in ſervitutem abduxiſſet, ob propinquam hyemem ad Menigem inſulam hyematurus ſe recepit. Byzantii Aloyſii Rhenerii virtute, ac prudentia iis controverſiis, quæ de finibus in Illyrico exortæ fuerant, finis impoſitus eſt; novem ac quadraginta pagis agri Jadertini, quos Turcæ uti ſuperioris belli reliquias occupaverant, Reipublicæ reſtitutis, quibus Suleimanus inſueta liberalitate quinque dono adjecit; inter hos Blancarum pagum ſitu Jaderæ urbi valde opportunum. Rhenerii diligens ſtudium pergratum adeo Senatui fuit, ut præter ingentes laudes, quas in illum contulit, Cretæ inſulæ magiſtratum, Ducis titulo, obtinuerit; publicæ literæ iiij. kal. julii ad illum datæ ſunt, quibus ad magiſtratum ineundum facultas in Cretam navigandi permittebatur.

Jadertini pagi a Venetis Aloyſii Rhenerii opera recepti.

Aloyſius Rhenerius Dux Cretæ eligitur.

Turcæ ob res ab Auria in Numidia geſtas, in Pannoniæ finibus coactis copiis, Zolnochum oppidum in Hungariæ limitibus Daciæ objectum, in quo ex induciis utrinque nihil tentari poterat, occupare, ac munire inſtituunt. Comes Salmenſis, Romanorum Regis præfectus, de Turcarum conſiliis certior factus, antevertit, munitionibus Zolnochum præcinxit, militibus a Budæ præfecto ad opus impediendum miſſis, partim

Zolnochum in Pannonia a Comite Salmenſi munitum.

cæſis

cæſis, partim pulſis; brevique exquiſite adeo communivit, ut tutiſſimum Pannoniæ propugnaculum adverſus Turcas haberetur. Alia quoque, & ceteris gravior, qua induciæ abrumperentur, occaſio acceſſerat, ex diſſidiis inter Petrovichium Temiſvari Comitem ac Georgium Varadini Epiſcopum ortis, quibus atroci bello Pannonia, ac Dacia conflagrarunt. Hi Stephani, Joannis quondam Daciæ Principis filii, tunc Pannoniæ Regis, ob teneram ætatem tutores erant. Petrovichius Turcarum moribus aſſuetus, Stephani juventam ex illorum conſuetudine, ac diſciplina formare aggreſſus, pueri educandi, atque erudiendi curam ad ſe attraxerat; a cujus conſiliis Iſabella mater, Sarmatiæ Regis ſoror, non diſcedebat. Contra Epiſcopus ab illorum ſententia abhorrens, cum ſæpius acriter obſtitiſſet, tandem ita provocavit, ut Petrovichius armis decernendum ſtatueret; verum improſpero exitu, quod Georgius magna auctoritate, atque opinione virtutis, gentis illius animos adeo ſibi conciliaſſet, ut omnes cum illo caſus ſubituri viderentur. Quapropter Petrovichius ad Turcarum auxilia confugit; penſionem, quæ annuatim decem millium aureorum pendebatur, ſi ſibi regni procuratio obtigiſſet, augere pollicitus. Georgius de Petrovichii conſiliis edoctus, cum ad potentiſſimi hoſtis impetus excipiendos diſpares nimium regni vires inſpiceret, Ferdinandi Regis Romanorum opem implorare decrevit, illuſtria Daciæ regni præmia oſtentans, quod ad Ferdinandum, uti Pannoniæ Regem, ſpectaret. Hæ renovandi terra, marique inter Cæſarem, ac Suleimanum belli cauſæ in ſequentem annum fuere, quo ex bello chriſtianæ reipublicæ ingens malorum cumulus imminebat. Venetis, ne ad pacis otium, quo tunc Reſpublica fruebatur, turbandum gradus fieret, pertimeſcendum erat; cum negotium de induciis in quinquennium prorogandis, quod Joannes Maria Malvetius, Romanorum Regis legatus, Byzantii pertractabat, ob eas cauſas irrito eventu ceſſiſſet.

1550

Diſſidia inter pupilli, Joannis Regis Hungariæ filii, tutores.

Petrovichius, Temiſvari Comes, Turcarum auxiliæ poſtulat.

Georgius Varadini Epiſcopus Ferdinandi Regis opem implorat.

Cæſar vero, ac Ferdinandus fratres, ſpe Daciæ potiundi illecti, pecuniam undique cogebant, copias, ut proximo vere Georgio præſto eſſent, parabant; quæ eo majore ſtudio a Cæſare curabantur, quod, fratre Germanicis opibus ſuffulto, atque ad Daciæ imperium aſpirante, haud mediocri ſpe evehebatur,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1550 batur, fore ut Imperii dignitas ad Philippum filium transiret; cum supremis votis ardentissime, quemadmodum antea diximus, exoptaret, ut regna, ac provinciæ, quibus imperabat, multisque nominibus aucta potentia, ac vires minime distractæ, ad filium, posterosque descenderent. Ejusmodi est mortalium natura, ut immortalitatis particeps brevem temporis usuram, qua fruitur, extendere, ac producere per innumeras successiones temporum vana opinione nitatur. Ac si quis attentius inspiciat, non tam Hispaniam, ac Belgium, quam Imperii decus, ac Germanos Cæsaris potentiæ suffragatos fuisse intelliget, quippe qui sæpius ad Insubres defendendos, trajectis Alpibus, in Italiam descenderint; sæpius Belgio a Gallis petito præsto fuerint, Cæsare alioqui divulsis, ac sejunctis regnis, & provinciis ægre opem laturo. Inde ut eam auctoritatem, ac vires filio heredi relinqueret, Ferdinandum fratrem promissis adortus, quidquid ad illius opes, atque amplitudinem augendam, ad Daciam obtinendam, ad Pannoniæ urbes, atque oppida recuperanda attineret, quæcumque adversus Turcas auxilia poposcisset, effusissime pollicebatur. Verum neque Ferdinando ea res satis placebat, & Maximilianus filius, qui in Hispaniam profectus, Philippo absente, iis regnis imperabat, ab ejusmodi consiliis aversus, in Germaniam reverti decreverat, Genuamque novembri mense exeunte pervenerat; ad quem Senatus Joannem Michaelium officii causa legatum designavit. Is cum morbo correptus injunctum sibi munus explere non posset, Leonardo Contareno, qui Reipublicæ causa Pischerium se contulerat, ac tunc Veronæ præfectus erat, Patres mandarunt, ut Mantuam ad Maximilianum invisendum proficisceretur. Maximilianus Tridento Augustam Vindelicorum versus iter arripuit.

Joannes Michaelius ad Maximilianum ex Hispania redeuntem orator.

Leonardus Contarenus Michaelio ægrotanti suffectus.

Cæsar Senis arcem extrui jubet.

Verum neque felici Africanæ expeditionis eventu, neque initis de Dacia invadenda consiliis contentus Cæsar, propagandi in Italia imperii cupidine magis in dies accendebatur; & cum ex Senensium dissensionibus illius urbis potiundi opportunitatem adesse intelligeret, Didacum Mendozzium Senas contendere, arcemque in ea urbe excitare iussit, qua reluctantes cives coercere, ac pro libito dominari posset. Pontifici vero ea de re conquerenti, nulla satis idonea excusatione inven-

venta, respondit: Senensium mutuis cædibus, crebris cum 1550
Hispanis contentionibus, ac minis adductum, locum, in quo tuto consisterent, ædificari jussisse. Julius quamvis, & factum improbaret, & jugum liberæ civitati imponi detestaretur, id unum tantummodo Mendozzio adjecit, videret Cæsar, ne, dum arcem in ea urbe extrueret, apud reliquos Italos Principes adeo invidia conflagraret, ut ad nova consilia, quibus suis rebus prospicerent, capienda impellerentur.

Parmæ quoque res in angusto erant. Octavium Farnesium, qui urbi præerat, pecuniæ inopia urgebat; Ferdinandus Gonzaga, ac reliqui Insubrum præfecti importari commeatus prohibebant; ac licet Julius annonam, & argentum suppeditaret, idemque Octavii fratres assidue facerent, ad urbem tuendam imparia subsidia erant; neque diutius tutari posse Parmam rati, ut rebus suis consulerent, Viterbium (sunt qui Vejerbium olim dictum putent) Farnesii convenere, atque ex communi sententia Cardinalis & Horatius Parmam ad Octavium se contulere. Cardinalis per aliquot dies in iis curandis, quibus ad urbem tuendam opus esset, commoratus, Romam reversus, Pontifici significat, extrema omnia cum fratribus potius perpeti, quam Cæsari Parmam permittere statuisse; trecentos milites in oppidum induxisse; suis rebus Pontificem non defuturum sperare; nihil, nisi ex ejus sententia, & voluntate facturos. Julius, ut se a curis, & solicitudinibus belli imminentis eximeret, ac muneri pontificatus, cui publica pax commissa est, satisfaceret, Cæsarem monet, ut ex Italia glisentes belli suspiciones amoveat, ne ve tranquillitatem, ac pacem publicam turbare velit; milites ex Parmensi, & Placentina regione subducat, ea lege, ut utrique iis, quæ possideat, tuto frui liceat. Cæsar Parmæ inhians, haud quaquam postulatis assensus, per Didacum Mendozzium, legatum, Pontifici significat, Parmæ, & Placentiæ urbes septem aureorum millium in singulos annos pensione ab Ecclesia beneficiario jure recepturum, Insubrum mentione præterita, imperii jure, si quod ei in iis civitatibus esset, servato; Octavio, Parmæ loco, in Neapolitano regno tantumdem vicariæ ditionis daturum: idque in primis Pontifici utile fore, quod magnam auri vim, quam eidem Octavio, uti Ecclesiæ vexil-

Farnesii ad Viterbium conveniunt.

Farnesiorum constantia in Parmæ retinenda

Cæsaris studium ad Parmam & Placentiam occupandas.

BIBLIOTEKA PUBLIKE „MARIN BARLEti" SHKODËR (2018)

BIBLIOTEKA SHKODER NR. INV. 7310
BIBLIOTEKA MARIN BARLETI SHKODËR NR. INV. 9809

1550 lifero, erogaret, quæque in Parma tuenda insumeretur, lucri fracturus esset. Julius tempus consulendo petiit, donec podagra, qua tunc vexabatur, levaretur, negotiumque omne, quod a Cæsare per Mendozzium agitabatur, Matthæo Dandulo, Reipublicæ legato, aperuit. In hac consiliorum perplexitate, atque hæsitatione annus elabitur, quem ingens annonæ frumentariæ, atque aliarum frugum inopia prægravem reddidit; quæ cum omnes fere regiones, tum Italiam præsertim corripuisset, Veneti, ut civitati, ac sui imperii populis prospicerent, quibuslibet ex locis, atque ex longinquis præsertim oris ad frumenta convehenda negotiatores, magnis propositis præmiis, attraxere, magna pecuniæ vi vectores donavere. Eodem anno Joannes Patriarcha Aquilejensis socium sibi in eo munere, curante Senatu, Danielem Barbarum, virum rerum usu, ac disciplinarum peritia eximium, tunc Reipublicæ nomine ad Eduardum Britanniæ Regem legatum, adscivit: ei Jacobus Superantius successor a Senatu datus est, quem ob egregiam virtutem, atque humanitatem sibi pergratum Rex equestri dignitate decoravit.

Italia frugum inopia vexata, & Venetorum sedulitas ad annonas cõparandas.

Daniel Barbarus a Joanne Grimano in sacietatem Aquilejensis patriarchatus ad scitus.

Jacobus Superantius in Anglia legatus.

M. D. LI.

1551 JAm Henricus Galliarum Rex, Horatio genero in clientelam suscepto, Italicum bellum adversus Cæsarem meditabatur. Desperatione etenim Farnesii adacti, quod nusquam a Carolo sibi satisfactum iri existimarent, affinitatis jure resoluto, generoso consilio præpotentis Regis, atque acerrimi Cæsaris hostis opem imploraverant. Eo facto incredibili ira correptus Pontifex gravia, atque acerba minitabatur; eorumque consilia perturbare, & disjicere, si quo modo posset, aggressus, Octavium, ne Parmam, se invito, alicui traderet, sed Ecclesiæ nomine tueretur, scripto obstringere conabatur: quæcumque ad urbem tutandam necessaria forent, suppeditaturum pollicitus. Syngraphamm a Farnesio, atque Divi Angeli Cardinalibus, pœna bonorum amissionis interposita, subscribendam curavit; statimque ad Octavium misit. Cæsarem eodem tempore per literas hortabatur, ne Farnesios ad extrema consilia, a quibus mox nulla neque auctoritate neque imperio revocari possent,

Henricus Rex Farnesios suam opem implorantes in clientelam recipit.

Julii Pontificis perturbatio & studium, ne Farnesii Parmam alicui se invito traderent.

sent, prolabi permitteret; Parmensem illis agrum concederet, atque a Galliarum Regis amicitia averteret. Henricum vero obsecrat a Farnesiorum negotio se abstineat, ne Italiæ pacem, ac quietem abrumpat, hortatur. Octavius, Julii voluntate audita, a Regis amicitia recedere integrum sibi non esse inquit; Parmam nihilominus Apostolicæ Sedi servaturum: ad eam tutandam cum Julii vires minime sufficerent, ad potentissimi Regis auxilia confugisse. Eo responso adeo commotus, ac perturbatus Pontifex fuit, ut indignabundus inultum facinus minime relicturum, armis illatam sibi injuriam vindicaturum affirmaret. Itaque nonis martii monitorias literas ad Octavium mittit, quibus, ne de Parma quidquam cum Galliarum Rege, se inscio, transigat, sub perduellionis pœna infert ac minatur. Indignum quippe, ac intolerandum Julio videbatur, Farnesios, Ecclesiæ beneficiarios, nulla re sibi communicata, Regi adhæsisse, atque immerito se Cæsari suspectum reddidisse; quippe qui nihil absque illius consilio, atque auctoritate Farnesios fecisse (ut plerique arbitrabantur) suspicaretur. Quam ut ab illius animo suspicionem averteret, Concilium quamprimum Tridenti instaurandum, quod mirum in modum Cæsar concupiverat, decrevit; cum nulla alia ratione fluctuantem religionum dissidiis Germaniam, suoque imperio reluctantem sisti, ac finiri posse animadverteret. Crescentium Romanum Cardinalem legatum statim Tridentum Julius proficisci jussit; Aloysium Lippomanum Veronæ Episcopum, ac Pighium doctissimos viros præsides creavit; literas ad Galliarum Regem dedit, quibus, ut majorum suorum pientissimorum Regum vestigia imitatus, Galliarum antistites, ac præsules Tridentum mitteret, rogabat.

His, licet non obscuris propensi animi significationibus, suaderi Cæsar minime poterat, Julio inscio, Farnesios cum Rege Galliarum pepigisse. Itaque ut certius illius mentem de Parma recuperanda pernosceret, seque ab omni ambiguitate explicaret, per Mendozzium legatum copias, pecuniam, vires, & quidquid in se esset, ultro ad Parmam recuperandam detulit. Julius, qui pontificatus initio se in neutram partem propendere, pacis in primis Italiæ studiosum fore, minime dubia adseveratione pollicebatur, sensim tum Cæsarianorum

 astu,

1551 *Julii cum Cæsare & Henrico Rege officia.*

Julius Octavio Farnesio monitorias literas mittit.

Decretum de Concilio instaurãdo. Crescentius Cardinalis Tridentum mittitur.

Aloysius Lippomanus Veronensis Episcopus & Pighius Concilii præsides.

Julii Pontificis literæ ad Henricum Regẽ, ut Galliarũ præsules Tridentum mitteret.

Julius suã operam ad Parmam recuperandã Cæsari offert.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 aſtu, ac calliditate, tum ferventis animi, in quo, prudentia dejecta, iracundia irrepſerat impetu, totus in Cæſarianas partes ſe demittens, Cæſaris nomine oblata amplectitur. Farneſiis ſignificat, Caroli ſibi adjunctis viribus, Octavii faſtum reprimere, atque acerbas de eo pœnas ſumere ſtatuiſſe. At Thermius, ordinarius Henrici legatus, Julium adiens, Regem nulla proprii emolumenti ſpe, ſed Italiæ, atque Eccleſiæ rationibus, quibus conſultum maxime cuperet, adductum, Octavium Ducem, ac Parmam in ſuam clientelam recepiſſe, multis in Carolum acriter jactatis, ſignificat. Atque ut Julium ab inſtituto deterrerent, Gallicæ factionis Cardinales gravibus uſi verbis, Concilii auctoritatem oſtentantes, ampliſſimum regnum ab eo ſejuncturos minabantur: quæ quo attrocius jactabant, eo magis Pontificem, ne ullo pacto a Cæſare diſcederet, impellebant. Igitur, cunctis ad bellum verſis, Julius Alexandrum Vitellium pontificiæ militiæ adſcribit, Camillum Urſinum Bononiam proficiſci jubet, Joannem Baptiſtam Montium, nepotem, copiarum imperatorem renuntiat.

Galliæ Regis oratoris cum Cæſare officia.

Joannes Baptiſta Montius Pontificiarum copiarum imperator.

Ex iis armorum apparatibus, atque a belli initiis magna Senatus, qui per tot annos pro Jtaliæ quiete excubaverat, moleſtia affectus, ſtudium omne ad Pontificis animum ſedandum, atque a bellicis conſiliis ad pacem traducendum convertit. Matthæo Dandulo in mandatis dat, ut quacumque ratione Julium ad pacem retinendam hortetur. Is, ut erat egregia prudentia, atque eloquentia, nihil, quod in rem eſſet, prætermiſit. *Minime Senatum vereri*, inquit, *pro munere, quod Pontifex in terris ſupremæ dignitatis obtineat, & pro eo, quod Italicos Principes deceat, pacis, ac quietis ſtudio, quæ in graviſſimis rebus prudentiæ, ac ſapientiæ inſignia argumenta edidit, ea ne modo in hoc Parmenſi negotio præbeat: ceterum cum intelligat, undique copias cogi, exteras gentes claſſico concitatas iter in hanc provinciam moliri; prævideatque, quot paucis ex favillis incendia, quot damna, & clades immineant; tantæ rei initio animum adjiciat, ſuadere, hortari, rogare: facillima belli initia eſſe, ac nonnunquam optima ex mente profecta; quæ ægre admodum, & immenſa impenſarum mole vix finem ſortita ſint; ſæpiuſque conſiliis exitus minime reſpondere: nihil inconſtantius, nil bellica fortuna incertius, quæ non-*

Matthæi Danduli officia ad Pontificem a bello removendum.

1551 *nonnunquam exploratas, ac quandoque partas victorias graviſſimis, & atrociſſimis cladibus commutarit: id vero ſi ullo unquam tempore, hoc præſertim verendum, ne noſtris diſſidiis, ac inteſtinis diſcordiis Turcarum Rex, auctis viribus, terra marique in Chriſtianorum viſcera ſæviat. cui enim ignota eſſe, quot illi amicitiæ multis in locis intercedant? quid jampridem magna mortalium pernicie effecerit? quæ in Pannonias moliatur? Tot pericula a reipublicæ chriſtianæ cervicibus amovere, atque avertere, an non tuum* (inquit) *eſt, Juli Pontifex Maxime, qui pacis titulo partam dignitatem obtines? An non vides, dum pro una Parma civitate arma moves, complura te oppida, urbes, provincias proculcandas ac proterendas hoſtibus objicere? Id a te minime profecturum Senatus Venetus exiſtimat; ſibique perſuadet, de Parmæ controverſiis quacumque ratione potius, quam armis decreturum, ad quæ ſi ſemel deventum fuerit, ea tibi, Senatui, Italiæ, atque adeo univerſæ chriſtianæ reipublicæ gravia, & formidoloſa ſcire, maxime verendum eſt.*

Julius ad concordiam verſus, pacis conditiones proponit.

Julius, Dandulo audito, Senatui gratias agit; præclarum in publicam pacem ſtudium extollit; verumtamen multo antea eo officii genere cum aliis illum fungi oportuiſſe, inquit: Octavium perduellem, atque hoſtem Eccleſiæ factum conqueritur; quin de eo dignas pœnas ſumat, efficere non poſſe. Mox in Regem Galliarum invehitur, quod, Farneſiæ gentis patrocinio ſuſcepto, qui unam Mirandulam obtineat, is, medio Italia ſe ſe oſtentans, inter Eccleſiæ, ac Cæſaris ditiones aſſurgat: id vero ſe nequaquam paſſurum obteſtatur. Dandulus Julii incenſum animum ſedare, ac mollire nixus, ne quid properanter ſtatuat, rogat: mora, ac tempore, ut iniri concordiæ ratio aliqua poſſit, utatur. Tandem Pontifex legati oratione permotus, inter belli curas ad pacis conditiones animum flectit. Octavio, ſi Parma decedat, Camertes, et Nepium daturum pollicetur; Hieronymum Dandulum, Fori cornelii Epiſcopum, quem antea de Parmenſi negotium ad Cæſarem miſerat, quæcumque a Venetorum legato acceperat, Carolo nuntiare jubet: quot ex Italico bello impendeant pericula doceat: Suleimanum haud dubie claſſem, atque exercitum parare, maritima Italiæ, atque aliarum regionum loca peti-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 petiturum, & in Pannoniæ finibus copias acturum : Henricum quadraginta triremes inſtrui juſſiſſe, milites tota Gallia cogere.

Cæſar, tempore ad deliberandum ſumpto, varia mente agitare; modo in hanc, modo in illam partem diſtrahi; nunc magna iracundia inflammatus Gallos ſe in Parmæ civitatem conjeciſſe minime ferendum cenſere, cum inde & copias cogere, & hoſtilia in Inſubres moliri quam celerrime poſſint: nunc maxime vereri, ne Veneti Octavium Parma exui æquo animo non ferentes, Gallo accedant, atque facillime, in urbem ſubſidiis immiſſis, aditu ſuis copiis intercluſo, difficili, ac diuturno bello implicetur. Illud quoque gravius permovebat, ne, Venetis ad arma pro Parmæ tuitione deſcendentibus, ingens totius Italiæ perturbatio, ac mutatio ſubſequeretur, Neapolitanis, vel inſita inſtabilitate, vel Petri Toletani Proregis duris imperiis ad novandas res incenſis; Inſubribus exactionum, ac tributorum intolerando pondere preſſis. Nec parum Coſmi, Florentiæ Ducis, rebus commovebatur, veritus, ne Gallicarum copiarum propinquitate cives Florentini, qui adhuc retentam animo Reipublicæ formam gerebant, ad motus ciendos ſolicitarentur. Concilium quoque denuo Tridenti indictum, ad tollendas religionis controverſias, ac Germaniam ſedandam inſtitutum, oculis objiciebatur, quod, orto in Italia bello, elangueſcere, atque impediri neceſſe erat. His itaque de cauſis Cæſar adductus, Forocornelienſem Epiſcopum ad ſe vocat. Cupere, inquit, quæcumque Tridentinæ Synodi curſum præpedire, aut abrumpere poſſint, ea prorſus tollere; proinde ſibi placere, Parma ſub Eccleſiæ imperium a Julio recepta, Octavio adjectis annui proventus decem aureorum millibus Camertes tradi. Si ſecus ſentiat, ac ex ſua dignitate rem confici non poſſe Julius arbitretur, quidquid in ſe vel auctoritatis, vel virium eſſet, id omne ei deferre. Hoc habito reſponſo Romam Dandinus revertitur.

Julius contra Octavium Farneſium promulgari edictum jubet.

Dum hæc aguntur, Julius edictum in Octavium promulgari jubet, quo, ni intra menſem Romæ ſe ſiſtat, in eum anathemate animadverſurum minatur. Farneſium Cardinalem, ut reluctantem flectat, ac ad leges ab ſe accipiendas adducat, Parmam mittit. Joannem Baptiſtam Montium Bononiam contendere

dere jubet, quo facilius, ſi pacis ſpes abrumperetur, ad bellum neceſſaria expedire poſſit. Forocornelienſis Epiſcopus cum Romam perveniſſet, Cæſaris mentem Julio ſignificat; qui crebris Senatus adhortationibus, ac ſtimulis incitatus, cum omnia prius quam ad bellum deſcenderet, experiri velle præſeferret Aſcanium Corniam nepotem, ut Regem a ſententia deducat, atque ad negotium amice definiendum hortetur, in Galliam mittit. Id Venetorum in pacem ſtudium, atque ad Pontificis animum a belli conſiliis avertendum ſuaſiones a ſacrati collegii patribus ingenti adeo cum laude excipiebantur, ut ſumma omnium approbatione Veneti Senatus prudentia, Italiæque dignitatis, ac pacis ſtudium concelebraretur, ac Paulus Termius Dandulo, ob ea quæ Julio expoſuerat, gratias Regis nomine ageret. In iis Galliæ Ciſalpinæ tumultibus Hercules Ferrariæ Dux cum in ſuis prope finibus bellum exarſurum intelligeret, per Hieronymum Seraphinum, ordinarium legatum, conſilium, atque opem a Senatu petit : *Quid ſibi propinquo admodum incendio faciundum ſit, exquirit; hucuſque neutris addictum fuiſſe: ſi quis ad ſuas partes vi pertrahere conetur, opem, atque auxilium implorat.* Senatus decreto reſponſum : *Herculis ditiones æque ac Reipublicæ imperium, incolumes, atque ab injuriis immunes optare; quam initio, ut nulli adhæreret, ſententiam Patres iniiſſent, eam, ut ipſe ſequeretur, hortari; in eo pacem, ac tranquillitatem Italiæ, pro qua retinenda nullum officii genus prætermitterent, ſitam eſſe arbitrari.* Julio vero Senatus gratias agit, concordiæ negotium trget. Ille Octavium ab inſtituta ſententia deterrere adnixus, Mediceum Cardinalem, Meliniani Marchionis fratrem, Farneſiis affinitate conjunctum, Parmam mittit, eodem tempore de pace agitat, ac bello incumbit. Farneſiis pacis conditionibus non abſentientibus, & in urbe Mediceum ſubſiſtere abnuentibus, ſtatim bellum indicere, atque uti legatum curare jubet; complures militiæ præfectos, pecunia erogata, conſcribit; ab Ancone, & Arimino bellica tormenta Bononiam convehi imperat; ducenta aureorum millia, quæ a Cæſare ex eccleſiarum Hiſpaniæ redditibus ſibi reponenda mutuo acceperat, conquirit.

Aſcanius Cornia a Pontifice in Galliã mittitur.

Hieronymus Seraphinus, Herculis Ferrariæ Ducis orator ad Venetos.

Mediceus Cardinalis Pontificis legatus Parmam mittitur.

Dum cunctorum pacis, aut belli exitu in anceps iti ſunt animi,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 mi, Ferdinandum Gonzagam Brixillum, inter Regium ac Parmam ad Padi ripas ſitum, Herculis Ferrarienſis oppidum, occupaſſe, atque munire nuntiatur. Ex eo Gonzagæ facto nemo fuit, qui ingentem moleſtiam non perciperet, quod inde initium belli factum, atque peſſimo exemplo Ferrarienſi intolerandam injuriam illatam arbitraretur. Pontifex licet ex Cæſaris voluntate, ac nutu pendere cogeretur, id ægre admodum tulit. Hercules impar ad injuriam repellendam ad Venetos confugit; Senatus ſententiam certius ſibi ſignificari, auxilia ad ſuas ditiones tuendas, quæ pro munimento, ac propugnaculo ea ex parte Reipublicæ ſint, ſuppeditari flagitat. Verum quamvis, Brixillo a Gonzaga occupato, mirum in modum Patres commoverentur, attamen a veteri ſententia, qua ſibi ab armis abſtinendum ſtatuerant, deduci non poterant. Itaque Herculi ſignificant: *quæ ad Brixillum ſecuta ſint, acerbe admodum tuliſſe: ſibi ſuaderi non poſſe, Cæſarem oppidum per vim ei abripere velle: adhuc de concordia agitari: vix adduci, ut crederent, Suleimano ingentes copias parante, Principes veſana adeo imperandi libidine vexari, ut bellum non niſi multis cædibus, ac cladibus in Italia reſtinguendum inciperent: proinde a Republica maritimas vires augeri; oppida præſidiis firmari: idem exoriente bello in Gallia Ciſalpina facturos: id ipſum ut Hercules efficeret, probare: confidere, ejus prudentia, ac virtute nihil rebus ſuis detrimenti acceſſurum; at ex ſucceſſibus, prout ſe ſe occaſio, atque opportunitas objiceret, conſilia capturos, ejuſque ditionibus non ſecus ac Reipublicæ rebus proſpecturos.* Cæſar Ferdinandum Gonzagam Parmenſis expeditionis Pontificis nomine adminiſtrandæ ducem renuntiat, Franciſco Eſtenſi in Subalpinis imperium tradit; neque Brixillo contentus, ab Hercule Neocaſtrum, & Monticulum, Regienſis agri oppida, uti ad Parmam obtinendam maxime neceſſaria, petit: eadem ſtatim reſtituturum pollicetur. Ac ne aliam ob cauſam, quam Eccleſiæ commodo, & Italiæ tranquillitate ad eam urbem invadendam impulſus videretur, ſyngrapha ſe obſtringit, *nullo unquam tempore a Pontifice Parmam repetiturum; quæcumque in Parmenſi agro caſtra, atque oppida poſſideat, juribus tantummodo Imperii, ne ſucceſſoribus officiat, ſervatis, conceſſurum.*

Julius Pontifex bellum Farneſiis indicit.

Brixillū ab Hiſpanis occupatum.

Ferdinādus Gonzaga Parmenſis expeditionis dux declaratus. Cæſar Neocaſtrum & Monticulū a Ferrarienſi petit. Cæſaris pollicita de Parma arbitrio Pont. permittēda.

Dum

1551 Dum hæc gererentur, Suleimanus magnis terreſtribus, maritimiſque apparatibus incumbere; in Pannoniam exercitum ducturum, claſſem centum ac viginti triremium educturum afferebatur. Veneti, licet pacem cum Turcis haberent, attamen ex veteri inſtituto nihil, quod ad imperium maritimum tuendum neceſſarium cenſerent, omittere decrevere. Et quoniam ſub obſcuris rumoribus Corcyram petituros ferebatur, militum præfectos cum validis copiarum ſubſidiis eam in inſulam decrevere, Aloyſio Gritto ſummam imperii, Donato Maripetro præfecto valetudine correpto, atque in urbanis Corcyræ rebus adminiſtrandis occupato, detulerunt. Ut Veneta claſſis ad ſex ac quadraginta triremium numerum augeretur, Senatus decrevit. Imperator ſecundo Stephanus Theupolus majoribus comitiis renunciatus, ex prætura Patavina ad urbem ſtatim vocatus eſt. Joannes Juſtinianus legatus datus. Latum deinde, ut prioribus ex urbe triremibus viginti adjicerentur; trierarchi ad eas regendas totidem lecti, qui ſtatim, ſi neceſſitas urgeret, conſcenderent.

Turcarum bellici apparatus. Veneti maritimas ditiones inſtruunt.

Aloyſius Grittus Corcyræ cū imperio præfectus.

Stephanus Theupolus claſſis imper

Joannes Juſtinianus claſſis legatus.

Henricus Rex eodem tempore conſilia, ac vires in Parmenſe bellum contulerat; in Mirandulæ finibus copias cogi juſſerat; Namurſium, Roſam in Galliam Ciſalpinam miſerat; Petro Strozzio, Horatio Farneſio, Cornelio Bentivolio, ut equites mille ac ducentos conficerent, mandaverat, atque ad id trecenta aureorm millia reponi in Italia juſſerat. Sed dum Horatius, qui Claudiam, Henrici ex minime legitimis nuptiis filiam, uxorem duxerat, una cum Aurelio Fregoſio, Octavii quondam Genuenſium Ducis filio, duabus Capuæ Prioris, uti vocant, Petri Strozzii fratris, triremibus Gallis in Italiam veheretur, quinto idus majas tempeſtate acti, litoribus ad Lucum Feroniæ, Hetruſcæ ditionis, dejectis triremibus, impegere. Horatius ab incolis detentus, ſtatim ad Coſmum literas dedit; ſe ab Rege, Aſcanio Corneo audito, cum mandatis, ut Parmam Eccleſiæ reſtitui curaret, in Italiam miſſum; id onus libenter in Julii gratiam ſuſcepiſſe: proinde enixe libertatem petere, ut, nulla mora injecta, Romam contenderet. Lectis literis, ſtatim Coſmus dimitti juſſit; Horatius vero, mutato itinere, Ferraria Parmam proficiſcitur; qua ex re haud parum Cæſar eſt commotus, quod gene-

Henricus Rex ad bellum Italicū ſe inſtruit.

Horatius Farneſius ab Hetruſcæ incolis captus a Coſmo Duce liberatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 genero capto, Henrici de Parma tuenda consilia turbaturum speraret.

Ascanii Cornei officia apud Henricum Regem.

Ceterum Ascanius cum in Galliam profectus Regem adiisset, mandata Pontificis exposuit, quibus, ut Parma Ecclesiæ restitueretur, Octavio ejus loco Camertes cum annuo decem aureorum millium redditu traderentur, petebat, atque ut ad eas amplectendas conditiones Regis animum flecteret, non minus rationibus, quam precibus egit. *Parmam Pontificiæ ditioni adjungi Henrico satius esse, quam pro ea tuenda magna incommoda, magnos sumptus subire: commeatuum inopia laboranti difficulter admodum subveniri posse, quorum immensam prope vim in urbem importari, atque ad subsidia copiarum alenda comparari necesse erat; contra nullo negotio Pontificis milites agros vastare, ac diripere, atque illam obsidione premere posse. Ab Octavio Camertium Principe amplius sibi commodi obventurum, quam si Parmam ab suis ditionibus sejunctam, ab aliis Principibus undique periculo obstinate tueri vellet; cum præcipue Cæsar, quidquid virium haberet, ad eam rem conficiendam Julio detulisset. Quin opus aggrederetur, eo tantum detineri, quod Regis mentem antea pernoscere cuperet: in publicam pacem studio adductum, se in Galliam misisse, cum præclara Regis in ipsum merita ex illius animo elabi non possent, a quo in eum amplissimum dignitatis locum prope sublatus esset; ac qui maxime viribus, atque auctoritate Principes in Italia pollerent, ad id munus obeundum vehementer cohortati fuissent.* Ascanius perhumaniter ab Henrico habitus, quinque post dies e Galliis cum hoc responso digreditur: *Velle in Pontificis voluntate Henricum esse: Parmam Camertibus commutari ea conditione sibi placere, ut eodem tempore Cæsar, quæ in agro Parmensi obtinet, restituat, neque ullo tempore ea urbs in illius potestatem concedat: ejus rei sponsiones petere; nec quidquam, nisi Octavio adsentiente, transigere velle.* Proinde ad illi suadendum eundem Ascanium cum Blasio Monlucio in Italiam mittit. Hæ leges quamvis duriores plerisque viderentur, de iis tamen Pontifex certior factus, statim Sanctæ Floræ, ac Divi Angeli Cardinales, alterum consobrinum Farnesiorum, alterum fratrem, Farnesium item, qui in Metaurensium Ducis ditionibus morabatur,

Henrici Regis responsis.

Blasius Mōlucius ab Henrico in Italiā mittitur.

batur, Parmam accedere jussit, ut Octavium ad instituta consilia deserenda, atque ad concordiæ rationes amplectendas impellerent. Interim de Brixillo a Cæsareanis occupato, deque bellicis in Gallia Cisalpina apparatibus Henricus certior factus Monlucium illico Romam contendere jubet, qui Julio significet: mandata pro Parmæ rebus componendis, ac ne ab ejus voluntate Octavius discederet, habuisse; verum cum Brixillum Herculis oppidum captum, cunctaque ad bellum expediri Henricus intellexisset, antequam quidquam conficiatur, cuncta in integrum restitui petere. 1551

Julius, his auditis, mirum in modum excanduit, sibique verba dari, ut interim commeatus supportari in urbem possent, suspicatus; majori solicitudine, ac studio totus in procurandis belli apparatibus erat. Nicolaus vero Pontius, per eos dies Matthæo Dandulo legatus a Senatu secundo suffectus, Romam profectus, Julium vehementi, qua pollebat, dicendi vi, ad pacem denuo flectere conabatur: *ne quietem Italiæ interturbaret, ne communium hostium vires in cædes, cladesque Christianorum alliceret, ne tranquillitatem florentissimæ provinciæ altricem, ac custodem corrumperet.* Ad hæc Julius: *nihil, quod ad pacem conservandam attineret, prætermisisse: testem Senatum, testes sæpius ad Octavium, atque ad Regem nuntios, testem suimet conscientiam existere: quod vero de Brixillo restituendo diceretur, an id in sua potestate esse? Cæsari, ac Ferdinando scripsisse; illos ad Parmam expugnandam Herculis Ferrariæ Ducis oppidis opus esse, respondisse: in alios quosvis potius, quam in se abruptæ pacis culpam recasuram.* His atque aliis ejusmodi justa in Octavium arma se illaturum tueri conatus, Parmensem agrum diripi ac vastari jussit. Paulus Termius, Regis legatus, cui bello administrandi summum imperium delatum fuerat, sacrum Patrum collegium adit, quæ ex imminenti bello christianæ reipublicæ damna obventura sint, quidquid Concilio Tridenti instituto impedimento fuerit, id omne Julio Pontifici Maximo adscribi oportere, obtestatur. Inde nonis junii Roma non absque omnium dolore digreditur.

Nicolaus Pontius ad Pontificem orator.

Pauli Thermii, Henrici Regis oratoris, ad Pōtificem obmissatio.

Jam Ferdinandus Placentiæ septem millia peditum, ac septingentos equites; Pontifex totidem pedites, ac equites ducen-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 centos Bononiæ coegerat. Octavius, urbe prævalide munita, ad hoſtium impetus excipiendos ſe comparabat; extra urbem munitiones tres, ad Lenziam amnem unam, in quam ſelectos mille equites immiſerat, alteram ad Cherugoli montis oppidum, tertiam ad Apennini radices erigendam curaverat. Verum adhuc inter arma concordiæ negotium non prætermittebatur, cum Sanctæ Floræ Cardinalis, Hercules Ferrariæ Dux, ac Forocornelii Epiſcopus Regii conveniſſent, eoque deventum eſſet, ut Octavius Parmam Camertibus commutare aſſentiretur, eaque de re diplomata cunctorum Cardinalium adſtipulatione firmata poſceret, quæ ſtatim ex illius ſententia confecta, atque ſubſignata fuere, Neopoleos adminiſtratione, atque aureorum octo millium penſione, quoad viveret, alio Julii diplomate adjecta; & ut quam celerrime ad Octavium perferrentur Pontifex curaverat; Mediceoque Cardinali, ſtatim Eccleſiæ nomine Parmam reciperet, mandaverat. Quæ cum Didacus Mendozzius, Cæſaris apud Julium legatus, vir acri & callido ingenio, cognoviſſet, ni aſtu aliquo uteretur, negotium confectum ratus, dum diplomata conſcriberentur, Ferdinando Gonzagæ literas dedit, quibus, ut ſtatim copias Parmam duceret injunxit. Avide admodum, ac ſumma celeritate Gonzaga occaſione arrepta, tertio idus junii Taro amne ad Nocerolum trajecto, uſque ad urbem ſe proripuit, cum poſtridie Roma diplomata ſuperveniſſent, ut paucis fere horis bellum pacem anteverterit. Petrus Strozzius, atque Horatius Farneſius, qui Mirandulæ ſubſtiterant, belli initium a Ferdinando factum cum audiſſent, quatuor ſelectorum militum millibus, equitumque manu educta, Crevacorium Bononienſis agri oppidum capiunt, ac diripiunt. His auditis, Julius in Caſtri ditionem, quam Horatius obtinebat, arma inferre ſtatuit, ne beneficiarium, qui Eccleſiæ oppida hoſtiliter invaſiſſet, inultum relinqueret. Itaque ad divi Petri valvas edicto affixo, in judicium Romam vocato, literas ad Farneſiorum matrem, quæ Horatii filii nomine Caſtri ditiones regebat, dedit, quibus, ut Caſtrum una cum Roncilione Rodulpho Balionio traderet, petebat; ea, ni ſponte concederet, cum expedito copiarum numero vi adoriri juſſit. Sed cum propius acceſſiſſet, oppidum deditione obtinuit; nolle enim filios cum Pontifice cer-

Regienſis conventus de pace.

Ferdinãdus Gonzaga in Parmenſem agrum cum exercitu tranſit.

Petrus Strozzius & Horatius Farneſius Crevacorii capiunt.

certare, ſed dicto illius obtemperare, Farneſiorum mater ajebat; proinde ſe ditiones, atque arcem valde munitam cum militibus trecentis ultro Julio conceſſuram. Interea Pontificis copiæ, cum a Crevacorio milites, qui Mirandula exierant, ejeciſſent, ſe cum Gonzagæ exercitu junxere; conjunctæ Parmenſem agrum incurſionibus, ac direptionibus fœdavere; cuncta verſus Apenninum ſita oppida in ſuam poteſtatem redegere, ut ad Parmam tantum bellici omnes conatus converterentur; ſupererat Colornum oppidum natura, & arte munitum, ad quod obſidendum copias Gonzaga admovit.

1551 *Caſtrum a Pontificiis Farneſiis ademptum.*

Ferdinãdus Gonzaga ad Colornum copias admovet.

Per eos dies Philippus Hiſpaniarum Princeps, Cæſaris filius, ac mox Maximilianus, Bohemiæ Rex, Auguſta Vindelicorum digreſſi, cum in Hiſpaniam contenderent, per Veronenſem agrum iter habuere; ac Senatus decreto a Hieronymo Grimano, Veronæ præfecto, liberaliter excepti, ad Mantuanorum fines deducti ſunt; qui mox Genuam cum perveniſſent, Andreæ Auriæ triremibus in Hiſpaniam delati fuere. Dum Colornum obſideretur, Mediceus Julii legatus, ac Gonzaga, Jacobo Novello, Senatus ſcriba, ad ſe vocato, certiores ſe factos ſignificant, Gallos nonnullos milites partim palantes, partim ſub ſignis per fines Reipublicæ, ut ſe Mirandulam conferrent, facultate a Senatu impetrata, iter habituros; proinde ut eos aditu intercludant, ad loca obſidenda, quibus ingreſſus hoſtibus pateat, cum copiis ituros. Ea res cum Patribus permoleſta fuiſſet, Pontio oratori mandarunt, Julio dicere, nulli magis, ac ipſi Senatus ſtudium, ac voluntatem cognitam eſſe, qua in neutras proclinatus partes, æque cum Regibus amicitiam coleret, quam ipſe quoque, ne ſe præſentibus diſſidiis immiſceret, ſæpius fuerat cohortatus. Ob id ſuperioribus diebus Philippo, ac Maximiliano per Reipublicæ fines tranſeuntibus, inſtratos Atheſi pontes publicæ liberalitatis argumenta, magno ſubditorum incommodo conſervari, ut mille Pannoniæ equites, quos propediem, ut ibi militarent, in Italiam venturos, Maximilianus affirmaverat, commodiori itinere uterentur; eodem quinque Germanorum peditum millia, quos Cæſarem miſſurum ferebatur, beneficio uſuros: id idem cum Galliarum Rege Reſpublica faceret, merito in ſe illius inimicitias, atque odium concitaturam. Id porro neque ſuis, neque

Philippus Hiſpaniarũ, Maximilianus Bohemiæ Reges intra Venetorum fines excepti.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 neque Julii rebus conducere. Mox de legato, ac Gonzaga conqueſtus, quæ abſurda admodum, atque Reipublicæ dignitati adverſa petierint, expoſuit. Ad ea Julius: Senatus conſilia vehementer probare, neque ut Venetorum finibus ulla damna inferrentur velle. *Nam bello magis exardeſcente, quiſnam*, inquit, *ad Regum animos conciliandos idoneus erit? an vos, quorum cauſa præcipue bellum geritur? Senatus certe, qui ſi ab armis abſtinuerit, magnum auctoritatis pondus in componendis Cæſaris, Galliarumque Regis diſſidiis eſt habiturus*. Eadem Senatus juſſu Dominicus Maurocenus Cæſari ſignificavit, qui Gonzagæ, ne quid amicitiæ, quæ ſibi cum Venetis intercederet, adverſum moliretur, injuncturum dixit. Itaque ab incepto conſilio legatus, ac Ferdinandus deſtitere. Ceterum cum ſex Germanorum militum millia in Parmenſem expeditionem Cæſar per Venetos fines miſſurus diceretur, atque armis Gallia Ciſalpina redundaret, ut quatuor peditum millia, quadringenti levioris armaturæ equites conſcriberentur, ſexto idus julii Senatus juſſit; his urbes, atque oppida firmioribus aucta præſidiis fuere. Colornum obſeſſum deditione Cæſareani recepere, Gallorum copias, quæ Bononienſium fines incendiis, cædibuſque vaſtaverant, intra Mirandulam pontificii compulere, oppidum obſidione circumdedere. Strozzius, quot ad illud tuendum ſufficerent, copiis relictis, cum galeatis peditibus, ducentis explicatis vexillis, una cum Andelotio Coneſtablii nepote Parmam ingreditur. Idque admodum opportune accidit, quod ne commeatuum inopia plebs tumultus cieret, Octavius verebatur. Nil interim fiebat, quod ad ſummam belli attineret; ſed minutis tantummodo certaminibus pugnabatur, in quibus Andelotius, & Scipierius, Galli magni nominis viri, a Cæſareanis capti in Cremonenſem arcem conjecti ſunt.

Colornum a Cæſareanis captum. Mirandula a Pontificiis obſeſſa.

Petrus Strozzius Parmam ingreditur.

Andelotius & Scipierius a Cæſareanis capti.

Dum hæc fierent, Henricus, ut ſocios ſibi ad bellum adſciſceret, per Laurentium Contarenum legatum Venetos ad fœdus adverſus Cæſarem ineundum hortabatur; quidquid virium in Galliæ regno obtineret, pollicebatur. Herculis quoque apud ſe oratorem Ferrariam mittit, qui Ducis animum ad bellum adverſus Cæſareanos incendat; Brixillum occupatum, atque alia oppida adempta memoret; rebus Cæſari ex voto ſuccedendibus, quot ſe ſe periculis objectaret, oſtendat. Ad Genuenſes Aloyſium Alemanium mittit: ut in portubus, quos in iis litoribus habent, tuto Gallica claſſis excipiatur, atque copiis per eorum fines in Galliam Ciſalpinam iter habere liceat, petit. Genuenſes, quod in Pontificis, atque Cæſaris tutela eſſent, neque portus, neque aditus copiis, quæ adverſus illos proficiſcantur, permittere poſſe, reſpondent. Cum Britannia quoque pro mutua regnorum tuitione Henricus fœdus iniit; Eduardo vero Anglorum Regi, qui nondum annos tredecim exceſſerat, Iſabella trium annorum puella ea conditione deſponſata, ut cum ipſe ad ſextumdecimum ætatis annum, illa vero ad undecimum perveniſſet, poſſent a ſponſione recedere. Monluciùs, quem nuper Burdegalenſem Epiſcopum renuntiaverat, in Gallias ab Henrico vocatus, cum in itinere Venetias acceſſiſſet, ſuſcepti ab eo Parmæ, ac Farneſiorum patrocinii, Patribus rationes expoſuit; ac paulo poſt Cardinalis Turnonius, qui ab incepto bello Venetiis morabatur, una cum Regis legato Principis Collegium adiens ſignificavit: *Henricum egregio in Italos Principes animo ſigna militaria in Italiam intuliſſe; ſed cum Parmæ, & Mirandulæ res in dies prolabi intelligeret, nullaque in ſe gratæ teſtificationis argumenta ab Italis Principibus edita animadverteret, non ſatis ſibi conſtare, qua ratione, quo fructu in Parmenſem expeditionem incumberet; ea in re quæ ſit Patrum mens, ſcire cupere*. Cardinali ac legato Senatuſconſulto reſponſum: *De præclaro Henrici in Italiæ tranquillitate tuenda ſtudio ſatis ſibi conſtare; regiam illius magnanimitatem, prudentiam in rebus graviſſimis pertractandis, conſilium noſſe; neque ſatis dignis laudibus, quæ pro ea ſtatuerit, egerit, efferri poſſe: nullum officii genus, ut Pontificem ad concordiam flecteret, Senatum prætermiſiſſe; idem in poſterum facturum: nihil Italica quiete altius omnium animis hærere: ſe amicitiam cum reliquis Principibus, ac præſertim cum potentiſſimo atque eodem Chriſtianiſſimo Rege colere; illius copiis, ut per Reipublicæ fines iter facerent, conceſſum; nullum officii genus erga præpotentem Regem prætermiſſurum*.

1551 *Aloyſius Alemanius ab Henrico ad Genuenſes mittitur.*

Henrici Regis per Cardinalem Turnonium cum Venetis officia.

Senatus reſponſum.

Interea ex Helleſponto Turcica trecentum ac viginti navigiorum claſſis ſub Sinanis Baſſæ Ruſtem Viſirii patris, imperio

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 perio exierat; qui ſecum Dragutem ducens nonis julii Corcyræ euripum prætervectus, cum ad Siciliam appuliſſet, an de Aphrodiſio, ac Caneſtrio ſibi reſtituendis Cæſaris mandata accepiſſet, a Prorege peti juſſit; ea ſi haberet, nullius damno, aut injuria curſum in orientem flexurum. Inſueta certe res, quæque cunctos in admirationem raperet, præpotentem navigiorum numero, ac viribus claſſem Byzantio uſque in Siciliam provectam, pacifico curſu intra Helleſpontum ſe ſubducere. Sed cum ejuſmodi a Prorege reſponſum tuliſſet, ob ea oppida ex archipiratæ humani generis hoſte manibus erepta adverſus inducias, quæ Cæſari cum Suleimano eſſent, nil actum exiſtimare, neque ad ea reſtituenda obſtringi; commotus ira Sinanes, Auguſtam urbem incendit, arcem tormentis disjectam nullo obſiſtente, capit, ac diripit. Nam Andreas Auria cum quadraginta triremibus adhuc in Hiſpania, quo, ut diximus, Philippum, & Maximilianum devexerat, detinebatur. Antonius illius nepos, qui circa Neapolim, ac Siciliam cum quindecim triremibus ſubſtiterat, & ad commeatus, tormenta, aliaque belli uſui neceſſaria in Aphrodiſium importanda proficiſcebatur, ad Lampeduſam inſulam tempeſtate correptus, octo triremes amiſerat, cum reliquis in Africam trajiciens, præſidio, quod ſupererat in urbem immiſſo, reverſus eſt.

Sinanii Baſſæ, claſſis Turcarũ imp. a Siciliæ prorege poſtulata. Siciliæ prorogis reſponſum.

Auguſta a Sinane capta.

Antonius Auria tempeſtatis vi octo triremes amittit.

Turcæ e Sicilia ad Melitam profecti, inſulam, barbaræ crudelitatis veſtigiis relictis, vaſtarunt; ac novem eductis muralibus tormentis, cum urbem, atque arcem aggredi Sinanes vellet, rei difficultate deterritus, milites, ac machinas recipi intra triremes juſſit. Inde ad Gaulum, octo a Melita paſſuum millibus profectus, exſcenſione militum facta, tormentiſque eductis, oppidum adoritur; in quo primo machinæ ictu præfecto, ſumma opinione virtutis inter Hieroſolymitanos milites, diſcerpto, ac cæſo, triduo aſſiduis verberationibus oppido eo ſimul cum arce concuſſo potitur. Eo everſo, tribuſque hominum millibus in ſervitutem abductis, recta Leptim, *Tripolis* hodie dicitur, Africæ urbem, contendit. Leptitani, quo expeditius oppidum tuerentur, in duas naves mulierum, ſenum, ac puerorum turbam inutilem, atque imbellem conjectam, aſportari in Siciliam juſſere; quæ cum forte in Turcicam claſſem incidiſſent, capta, miſerandæ ſervitutis jugum ſubi-

Gaulum a Sinane captum.

ſubire, qui iis vehebantur, coacti ſunt. Sinanes jam mœnia 1551
tormentis quatere cœperat, magnaque urbis potiundæ ſpe invehebatur; cum Gabriel Aramonius, Henrici legatus, qui Byzantio in Gallias profectus, de Turcicæ claſſis adventu Rege certiore facto, eodem revertebatur, duabus Gallicis triremibus Melitam delatus, Hieroſolymitanæ religionis Magiſtro operam daturum, ne Leptitanos moleſtia Turcæ afficerent, pollicitus fuerat, ſupervenit, dum per mœnium ſtrata aditum ſibi in urbem parare milites conabantur. Cumque a Sinane nihil impetrare potuiſſet, oppidi præfectus, ut ſuæ, atque Equitum ſaluti conſuleret, pacta bonorum, ac vitæ incolumitate, Leptim Turcis tradidit, ac una cum militibus, & præcipuis civibus, qui ducenti erant, Gallicas triremes conſcendit. Turcæ, ut mos gentis eſt, nulla fidei, aut jurisjurandi ratione habita, iis, qui remanſerant, cæſis, oppido direpto, atque in eo tenui præſidio relicto, ad Menicem iter habuere: qui Gallicis triremibus recepti fuerant, Melitam delati ſunt.

Gabrielis Aramonii Henrici oratoris ad Melitam acceſſus.

Sinanes Leptim per deditionem in Turcarum poteſtatem redigit.

Claſſem Turcicam ad Tolonem Provinciæ oppidum hyematuram fama percrebuerat; nec deerant qui Melitam denuo Sinanem aggreſſurum dicerent. Iis rebus cum vehementer Veneti commoverentur, atque reipublicæ chriſtianæ imminentia ex conſociatis Gallicis, ac Turcicis maritimis viribus, Parmenſique in Italiæ viſceribus furente bello, pericula proſpicerent, Julium ad pacis conſilia convertere vehementius nitebantur, eaque in re egregiam Pontius orator operam præſtabat. Pontifex irarum fluctu æſtuans, multa in Henricum exaggerabat, quod obſtinata nimium vincendæ ſententiæ cupiditate adductus, infidelium claſſi ſinum chriſtiani orbis aperuiſſet; Franciſcum patrem, quod neceſſitate compulſus ad ea extrema remedia confugiſſet veniam mereri: quid cauſæ eſſet, cur ad communium hoſtium incendia, & prædas viam Henricus communiſſet? cur barbarorum crudeles iras, atque acerrima odia in immeritos acuiſſet? Demum in eum anathemate animadverſurum minabatur. Complura addebat, quibus quæ a ſe geſta fuerant, jure facta tueretur: Venetias Achillem Gratium propediem miſſurum, qui ſuorum conſiliorum rationes exponeret, ſimulque propenſum in publicam pacem ſtudium pa-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 tefaceret. Interim Andreas Auria Turcicæ claſſis rumore adductus, ex Hiſpaniis Genuam redierat; ſed Turcis undique Mediterranei maris oras miſerabili clade concutientibus, in eo portu ſubſtitit, donec Sinanes noſtrorum calamitatibus exſaturatus Byzantium curſum navigationis intendit. Henricus de Senatuſconſulto in Parmenſi negotio a Cardinali Tornonio certior factus, Laurentio Contareno, legato, Reipublicæ ſe probare conſilia ſignificat; in Venetis rebus augendis, ac promovendis ingens ſtudium oſtendit. Cæſar contra cum Dominico Mauroceno conqueritur, Monlucium, atque Tornonium, dum iis de rebus cum Patribus agerent, atque Henricum tuerentur, multa in illum maledicta congeſſiſſe. Eodem officii genere Joannes Mendozzius, Cæſaris legatus, cum Patribus functus eſt; qui nihil, quo Cæſaris dignitas imminueretur, enunciatum fuiſſe affirmabant. Is erat ea tempeſtate Regum in Venetos animus; ea de illorum conſiliis ſolicitudo, ut ambo, ne ad alterius partes declinarent vereri, atque haud parum conſecutos ſe eſſe arbitrarentur, ſi æquabili temperamento inter utroſque conſtitiſſent.

Laurentius Contarenus ad Henricum orator.

Dominicus Mauroceno ad Cæſarem orator.

Julii Pontificis literæ ab Henrico Regem.

At Julius Henrico multis de cauſis infenſus, niſi a Turcarum ſocietate abſtineret, gravia, & acerba obnuntians, ad eum minarum plenas literas dederat; quibus perlectis, ingenti, ac prope incredibili ira adeo exarſit, ut ſtatim e regia pontificium nuntium dimitteret, legemque antea latam, poſtea a ſe abrogatam, denuo inſtauraret, qua, Sorbonici collegii theologorum, atque provinciarum, & Præſulum conſilio adhibito, pecuniam pro ſacerdotiorum diplomatibus erogari ſolitam, Romæ perſolvi vetabatur; Lutetiæ depoſiti loco, ut patrato bello Pontifici traderetur, ſervari jubebatur. Cæſaris quoque legatum per eos dies abire juſſerat, graviterque cum Laurentio Contareno de illatis ſibi a Carolo injuriis conqueſtus, armis vindicaturum obteſtabatur.

Cæſareus orator ab Henrico dimittitur.

Inde innumeræ chriſtianæ reipublicæ calamitates impendere, graduſque Suleimano ad regnandi cupidinem explendam fieri videbatur. Quid enim, diſtractis viribus, in ſe converſis Chriſtianorum armis, ad commune bonum præſidii expectari poterat? Cum ex hoc Principum veterno, jam barbari mediterraneo mari fere dominantes, cunctis eſſent formidoloſi? Sicili-

liæ direptiones; Melitæ clades; Leptis Hieroſolymitanæ religionis munimentum amiſſa, magnum cunctis terrorem incuterent? Ut Julius Pontifex Maximus eventuum atrocitate expergiſci tandem videretur, coactoque Cardinalium collegio, hujuſce tempeſtatis calamitates, conditioneſque temporum miſeratus, quot undique chriſtiana reſpublica premeretur periculis diſſereret; legatoſque ad Reges, qui exulceratos animos concordia ſanare, omnique ſtudio ad pacem traducere contenderent, mittere ſtatueret. Carporum itaque Cardinalem ad Cæſarem, Verallum ad Regem deſignavit. Eodem fere momento, quo pacis conſilia Julius animo volutabat, a Gallis bellum in Subalpinis cœptum Romæ nuntiatur: Sancti Damiani oppidum captum; Claraſcum obſeſſum; Gonzagam, Parmæ obſidione relicta, ad opem in Subalpinis ferendam profectum, Meneniani Marchionem copiis ad Parmam præfeciſſe. His nuntiis mirum in modum Julius perturbatus, quod infauſtam ſui pontificatus memoriam ob inflicta a barbaris chriſtianæ reipublicæ vulnera, atque ob bellum in Italia excitatum ad poſteros tranſmittere vereretur, Cardinalium collegio denuo accerſito, Chriſtianorum clades deplorat: *religionem in pleriſque provinciis vel nutantem, vel labefactatam* lamentatur; *ſævientes in innoxios populos, ob Regum acerrima odia, Chriſti nominis hoſtes; novum, dum pacem meditatur, exortum in Subalpinis bellum; jam divina, humanaque omnia permixtum iri. Quid igitur tot malorum ingruentibus procellis reliquum eſſe, niſi ut, divina ope implorata, conſtanter ad ea remedia deveniretur, quibus ſæpius afflictis, ac fere proſtratis reipublicæ chriſtianæ rebus, aſpirante Numine, ſalus, atque incolumitas affulſiſſet? Quapropter ad Concilium Chriſtianos Principes evocare ſtatuiſſe, ut ſacrum adverſus Turcas fœdus iniretur; in eos, qui non acceſſiſſent, ac tantæ rei molimini impedimenta injeciſſent, graviſſimis pœnis ex Eccleſiæ inſtituto animadverſurum*: acerbe admodum Cæſarem, ac Regem ſugillando, quod illorum diſſidiis chriſtianæ res disjectæ collaberentur, ac prope concíderent. Verum ſpecioſis verbis, ac conſiliis nuſquam exitus pares fuere cum ſummo reipublicæ chriſtianæ malo nullo magis barbari, quam Regum inteſtinis diſſidiis ad eam magnitudinem ex-

Julius Pontifex Card. legatos ob pacem ad Cæſarem & Henricum Regem deſignat.

Galli in Subalpinos bellum movent.

Julii Pontificis in Cardinalitii Collegio oratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 excreverint, ad quam solidæ virtutis nixu nunquam perveniſſent.

Cæſarem viribus in diverſas partes diſtractum, pecuniæ inopia oppreſſum, jam belli in Italia ſuſcepti, quo illius cogitationes impediebantur, pœnitebat; cum tot implicatus moleſtiis jam de Philippo filio Romanorum Rege creando ſpes abjicere cogeretur, Conciliumque Tridenti indictum ob belli tumultus ægre haberi poſſe animadverteret. Veneti, qui omne ſtudium ad Rempublicam e bellorum fluctibus ereptam quiete, ac tranquillitate firmandam contulerant, Julium ad arma deponenda, ad pacem Italiæ reſtituendam ſedulo hortabantur.

Achilles Craſſius a Pontifice Venetias mittitur.

Is, Achille Craſſio Venetias miſſo, quæ cum Henrico, ac Farneſiis in negotio Parmenſi egerat, propenſumque in Italicam pacem ſtudium ſignificavit; quæ egiſſet neceſſitate adactum feciſſe, invitumque ad bellum ſe deſcendiſſe profitebatur. Senatus, ſe ingentes habere Julio gratias reſpondet; præclarum in quietem animum extollit; quæ, ni ab armis in Italia diſcederetur, pericula immineant commemorat; nihil Eccleſiæ incolumitati, ac dignitati; nihil Italis Principibus, quam ſi ex hac provincia arma depellantur, opportunius accidere poſſe.

Inter has belli, paciſque curas graviſſimum de religione negotium Julio aſſidue obverſabatur; quippe qui a pravis hominibus inductas ſententias, vel olim a ſacroſanctis Conciliis damnatas hæreſes repullulare, ac paſſim mortalium mentibus inſtillari animadverteret. Nam virus illud ſuperioribus annis in Germania ortum, vel Principum ſocordia, vel populorum libidine, qui libertatis plauſibili capti nomine in omne nefas provolvebantur, adeo reptando excreverat, ut Germaniam non modo magna ex parte fœdaſſet, ſed in Gallias quoque trajeciſſet, & nonnulla illius ſemina in Italiam etiam permeaſſent. Ea res piorum animos vehementer excruciabat, ne reliquis malis hoc inſuper adjiceretur; cum præſertim quæ ad illud vel avertendum, vel extinguendum remedia ex Tridenti Concilio expectabantur, bellis recrudeſcentibus elangueſcerent. Itaque Julius, cui tum Chriſti vices in terris gerenti, Eccleſiæ adminiſtrandæ munus incumbebat, ad tuendam religionem neceſſaria meditabatur, ne pravis dogmatibus vetus, ac ſincera religio inficeretur, curabat, eaque in re Craſſio mandata

1551 data dederat, cum Venetis ageret, ut ad eos, qui in hæreſeos crimen in Reipublicæ ditionibus incidiſſent, plectendos, ratio iniretur. Id a Republica pietate, ac religione florente obtinere haud difficile fuit. Itaque in Decemvirum Conſilio lata lex eſt, ut quæ in urbe Veneta in ejus delicti fontibus pœnis coercendis priſca conſuetudine, ac legibus recepta eſſent, eadem in reliquis imperii Veneti oppidis, atque continentis urbibus ſervarentur; nempe, ut reorum quæſtionibus, ac judiciis, quæ ab eccleſiaſticis viris fiunt, magiſtratus Reipublicæ adeſſent; nihil, niſi iis præſentibus, agi, aut decerni poſſet; juris humani, divinique peritos, ſi gravius aliquod negotium incideret, adjicere, ac conſulere liceret, id jus tantum civitatibus eſſet; qui in oppidis, ac pagis delinquerent, ab urbanis magiſtratibus judicarentur. Ex hoc decreto magnam apud Pontificem, ſummam apud Cardinales laudem Veneti tulere. Julius, gratiis Senatui actis, publicam religionem, ac pietatem ſæpius concelebravit egregiis laudum præconiis. Ac ſane ſi quis a Venetæ Reipublicæ incunabulis uſque ad hæc tempora varias rerum ſucceſſiones, bella, clades, ſchiſmata modo a barbaris, modo ab hæreſeos labe coinquinatis hominibus disjectas, afflictas, ac quandoque everſas urbes, provincias mente inſpexerit; ortam una cum imperio religionem, ac pietatem, nunquam aut imminutam, aut labefactatam intelliget. Ea fundamenta jacta tum primum fuere, cum in Rivoaltina ſede libertas ſociam ſibi religionem adſcivit, quam incorruptam, nulliſque aſperſam maculis ſemper conſervavit, ac mordicus retinuit. Par libertatis ſtudium in Venetis vigvit, ac modo viget; pro ea tuenda ſolicite excubant; nullis vigiliis, nullis laboribus parcunt. Quoniam vero uſu evenit, ut quandoque ex optimis initiis, atque exemplis, ni diligens cura adhibeatur, prona ad res novandas mortalium natura, pravæ conſuetudines obrepant, atque ita hominum ingenia formata ſint, ut nil adeo ſanctum habeatur, quod petulans aliquando non contaminarit audacia, religioniſque obtentu a facinoroſis hominibus multa, eaque gravia perpetrentur: inde effectum eſt, ut religionis vindicibus cuſtodes majores noſtri publicæ libertatis conjunxerint. Ita illam intactam, hanc illibatam ingenti apud cunctos prudentiæ, atque ſapientiæ commendatione præſtiterunt.

Decemvirũ decretũ de hæreticis plectendis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 Sed ut ad inſtitutum narrationis curſum redeamus, Julii in pacem ſtudio, Veralli ad Henricum legatione, Venetorum crebris ad concordiam dehortationibus vehementer Cæſar commovebatur; veritus, ne, ſi ad Henricum Julius accederet, totius belli pondus ad ſe tranſiret. Itaque nihil, quo ſibi illum conciliaret, omittebat, Joannemque Marinellum Romam miſerat, ut cum Didaco Mendozzio, ne Verallus in Galliam proficiſceretur, contenderet; æquum non eſſe, ut Cæſar, qui ejus voluntate, ac nutu arma induerat, cum Rege pace icta, ſolus gravi, ac difficili bello premeretur. Verum a ſuſcepta ſententia minime Julius deduci potuit; quinimo, legato in Galliam proficiſci juſſo, tractandæ pacis ejuſmodi mandata dedit, quibus, Parma excepta, quæcumque Henricus poſceret, conceſſurum, pollicebatur. Verallus per diſpoſitos equos in Galliam contendit; Carporum Cardinalis ægritudine correptus, legationis ad Cæſarem ſibi delato munere minime functus eſt. Interea Parmam Cæſareanis, Mirandulam Pontificiis copiis circumſidentibus, levioribus tantum præliis agebatur. Henricus Lutetiæ pecunias, tormenta, copias expediri curabat, ſeque ad bellum profecturum Joanni Capellio Reipublicæ legato ſignificavit; ad id vero magis in dies accendebatur, quod & pecunia potens, & externis Principum amicitiis ſuffultus, militaris virtutis fructum per ſocordiam amittere turpe ſibi eſſe exiſtimaret. Interim vero legato in Galliam profecto, ac perhonorifice habito, ſe a pace minime abhorrere ſignificat; Cardinalem Tornonium Venetiis adhuc commorantem Romam proficiſci jubet, quo Julium ſpe pacis alliciendo, cunctatione adhibita, ad belli apparatus negligentiorem redderet; cum ſecum ipſe Octavium Parma minime excludere ſtatuiſſet, ne urbs ad res Cæſaris turbandas, ac vexandas opportuna ſibi eriperetur. De Regis vero in Italiam adventu cum fama percrebreſceret, Cæſar, de Belgico itinere conſiliis mutatis, Auguſta ad Oenipontem contendit. Eum ibi Mauritii Saxonum Ducis, & Marchionis Brandeburgici, ac multorum Germaniæ procerum legati conveniunt; Philippum Heſſiæ Lantgravium, qui jam triennio carcere detinebatur, libertate donari petunt. Cæſar Mauritium Saxonem Oenipontem accerſit, quod graviſſimis cum eo de rebus ſibi agendum ſit. Obnuntiant legati, atque ut

Joannes Marinellus a Cæſare ad Pontificem miſſus.

Julius Pont. Verallum legatum in Galliam mittit.

Joannes Capellius apud Henricum Regē orator.

Tornonius Cardinalis ab Henrico Romā proficiſci jubetur.

Carolus Cæſar ad Oeni. pontem ſe confert.

ut infamiæ nota, quam Principes contraxiſſe videbantur, quod Lantgravium carceribus minime traditum iri ſe ſe obſtrinxerant, leventur, ultro cuſtodiæ ſe ipſos mancipaturos affirmant: cumque nihil impetraſſent, indignabundi diſceſſere, & conſilia de bello adverſus Cæſarem iniere. 1551

Germani Principes conſilia de bello adverſus Cæſarē ineunt. Dacicarum rerum narratio.

His fluctibus chriſtiana republica jactata, unum tantummodo Ferdinandum Romanorum Regem lætiori vultu fortuna aſpexit, atque ei vix ſperanti Daciæ regnum detulit. Eam rem quoniam inter Principes, cum quibus latiſſimos fines Veneti habent, acta eſt, & ob varia, quæ contigere, memoratu digna habetur, brevibus perſtringendam duxi. Georgius, Varadini Epiſcopus, vir cuculatus, conſilia de Dacia ad Ferdinandum transferenda (ut antea ſcripſimus) agitabat. Ea cum Suleimano innotuiſſent, ne opportunam admodum provinciam amitteret, Iſabellam Reginam a Georgio divellere aggreſſus, ingentibus promiſſis onerat: Stephano filio Regia corona præcincto, Dacia non modo potiri permiſſurum, ſed Budæ, ac Pannoniæ, quas poſſidebat, ditionum imperium conceſſurum. Mulier, mutata ſententia, Suleimano accedit; ſubſidia petit, quibus a tradenda Ferdinando provincia Georgius deterreretur. Sigiſmundi fratris, Sarmatiæ Regis, opem implorat, quam maximas poteſt copias cogit. Ad eam primores Daciæ accedunt; Georgius Ferdinandi auxilia ſolicitat; Joannes Baptiſta Caſtaldus Neapolitanus, cui Dacici belli adminiſtrandi munus Rex detulerat, cum decem millium equeſtrium, ac pedeſtrium copiarum numero in regni fines ſe infert. Septimo idus junias Daciam ingreſſo, Saxonum, Siculorum, & Baſſianorum legati (ex tribus enim gentibus Dacia conſtat) obviam facti libertatem, Stephanique Regis pueri dignitatem commendant, in Romanorum Regis poteſtate futuros pollicentur. Iſabella ex Alba Julia, quod caput regni eſt, ſe in munitum oppidum recipit. Idem Petrovicus una cum Marchione Balaſſo efficit, fruſtra adverſus Georgium cum militibus, quos contraxerant, fortunam experti. Turcæ, qui prope Temiſvarium magnas copias coegerant, atque equitatu regios ſuperabant (quod vix credibile de gentis ſolertia videtur) torpore correpti nil moliendo ſubſtitere; ut Juliam Georgius nullo negotio deditione reciperet. Repentina hac regni mutatione ad concordiam cum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 Ferdinando ineundam Regina animum flexit; qui, ut ſumma felicitate adeptum illius provinciae imperium firmius tueretur, Stephano filio Oppoliæ principatum magnis redditibus auctum conceſſurum, filiam, cum ad ætatem perveniſſet, connubio juncturum, Iſabellæ centum aureorum millia dotali jure ad ſe ſpectantia traditurum paciſcitur. Georgio qui auctor illi ad Daciam obtinendam fuerat, Strigonienſem archiepiſcopatum, magnoſque proventus defert, atque ut a Pontifice in Cardinalium collegium cooptaretur, operam daturum pollicetur. Petrovicus, ac Balaſſus Temiſvarium cum militum circiter decem millibus ſe recepere, a finitimis Suleimani præfectis auxilia poſcentes, quibus Daciæ regnum Ferdinando eriperetur. Suleimanus ad Reginam, ac Georgium legatos mittit: ni a Ferdinandi amicitia diſcedant, arma moturum, cuncta direptionibus, incendiis vaſtaturum minatur.

Interim Turcæ in Budæ, atque Illyrici fines ingreſſi, atrociſſime in homines, pecora, tectaque ſaeviunt, ingentemque mortalium numerum in ſervitutem abducunt; diverſa ex parte alii Mœſiam Daciæ propinquam, nulli neque ſexui, neque ætati parcendo, crudeliſſime deformant. Verum Iſabella neque Suleimani poſtulatis, neque propinquo bello deterrita, regni procerum conventu vocato, de eorum ſententia Joanni Baptiſtæ Caſtaldo, Ferdinandi vices gerenti, regiis inſignibus diademate, ſceptro, regali amictu traditis, cum Stephano puero, Daciæ Principibus extra provinciam comitantibus, Caſſoviam, quam Georgius obtinebat, conceſſit. Ille ut populos in Ferdinandi fide contineret, ac, ſi qui tumultus exorirentur, compeſceret, in Daciam reverſus eſt; Petrovicus Temiſvarium cum reliquis ſuæ ditionis oppidis, Batoreo, Ferdinandi præfecto, tradidit. Itaque inſueto felicitatis curſu Daciam potitus Ferdinandus, Pannoniam fere univerſam ſuo imperio adjecerat. Dum hæc agerentur, maritimus Turcarum præfectus, vir ingentis animi, ac militaribus geſtis clarus, magno Turcarum, ac Scytharum coacto exercitu, minabundus Byzantio egreſſus, acriter ſe prædonum, non militum injurias juſtis ultionibus vindicaturum jactabat, qui Suleimano potentiſſimo Regi latronum more Daciam eripuiſſent. Nuntiis de Turcarum copiis allatis, magnus terror Dacos oppreſſit, quod impares nimium ad ingen-

Ferdinandus Rex Daciæ potitur.

Turcarum apparatus ad Daciam recuperandam.

gentes hoſtium conatus repellendos eſſent; cum præcipue Georgius, e cujus nutu, atque auctoritate cuncti pendebant, vivigius, e cujus nutu, atque auctoritate cuncti pendebant, vividum animi impetum, quo alias ad præclara quæque agenda reperiebatur, remiſiſſe videretur, atque intra prævalidam arcem ſe contineret. At Ferdinandus nihil ad regnum nuper partum ſervandum omittebat; Sfortiam Pallavicinum, Pannonibus, Germanis, ac Bohemis militibus præfectum, in Auſtriam, qua parte Pannoniæ finitima eſt, proficiſci juſſerat, ut Baſſæ Budenſi, qui ſex equitum millibus eas regiones continentibus incurſibus concutiebat, obſiſteret; Temiſvarium oppidum novis munitionibus, ac propugnaculis firmius reddi præceperat; a Suleimano inducias, magna pecuniæ vi oblata, obtinere, Pannonicam penſionem duplo auctum pollicitus, nitebatur. Suleimanus vero illatæ ſibi injuriæ impatiens, ab omni concordiæ ratione abhorrebat, atque arcta cuſtodia in turri ad mare Euxinum ſita Malvetium, Ferdinandi legatum, comprehenſum ſervari juſſerat.

Sfortia Pallavicinus, Ferdinandi Regis copiarum præfectus, in Auſtriam mittitur.

Malvetius, Ferdinandi Regis legatus, in turrim ad mare Euxinum in cuſtodiã datus.

Maritimus Turcarum præfectus, Hiſtro, ac Tibiſco amnibus ſuperatis, circumjectam regionem depopulatur. Georgius una cum Caſtaldo copias ſedulo cogunt, quibus Temiſvario, atque aliis munitis oppidis ſubveniant. Caſtaldus Regem ad ſubſidia mittenda urget, qui neque ex Imperii ditionibus, neque a Carolo fratre aliquid in re tanta opis obtinere poterat. Pallavicinum quammaximis copiis in Daciam contendere, atque ſe Caſtaldo adjungere Ferdinandus jubet. Hoſtes Budenſis præfecti auxiliis aucti, aliquot captis oppidis, Temiſvarium obſidione aggrediuntur. Suleimanus Hadrianopolim uſque ſe proripuit. Tum Georgius, qui per eos dies in Romanorum Regis gratiam Cardinalis a Julio renunciatus fuerat, ac una Caſtaldus cum triginta bellatorum millibus e Dacia ad ſuppetias Tremiſvario ferendas egrediuntur. Hoſtes octavo kal. novembris obſidionem reliquere. Regii vi Lippam magni momenti oppidum, tribus hoſtium millibus cæſis, occupavere. Arcem Ulamanes Perſa cum duorum Turcarum millibus tenebat. Illam acriter Caſtaldus, ac Pallavicinus oppugnant, continentibuſque verberationibus moenia quatiunt. Ulamanes cum ſuis, omnique ſupellectili egreſſus, fuga ſibi conſuluit, cujus rei Georgius Cardinalis inimulabatur, qui cum jampridem animum ab egregiis geſtis ad turpem proditionem tradu-

Lippa ab Auſtriacis capta.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1551 duxiſſet, eam hoſti abeundi commoditatem præbuiſſet. Re cognita, Marchio Balaſſius cum militum manu celerrime profectus, iter Ulamani intercludere conatus, acre certamen iniit, vulnere accepto; cum decem equitum millia ad Ulamanem excipiendum a Turcarum præfecto miſſi fuiſſent, incolumem præſtitere. Iis de rebus Ferdinandus certior factus, deque Cardinalis perfidia edoctus, vaſtos illius ſpiritus magis in poſterum veritus, ſecretiora Caſtaldo illius interficiendi mandata dedit. Negotium Sfortia Pallavicinus ſuſcepit, qui ſummo mane decimoſexto kal. januarii, duobus e ſuis domeſticis comitantibus, cum nondum cuſtodes ad cubiculum conveniſſent, colloquii ſpecie ingreſſus, Georgium obtruncavit; qui, quo ex humiliori loco in altiſſimum dignitatis, ac potentiae gradum ſublatus fuerat, eo graviori lapſu corruiſſe viſus eſt. Captivos quoſdam Turcas apud eum inventos fuiſſe ferebatur, cum quibus occulto de Caſtaldi, ac ſuorum cæde, ut Daciæ regnum ad ſe transferret, agitaverat. Illius auriculæ cædis teſtes ad Ferdinandum delatæ; Caſtaldus militum manum Albam Juliam mittit, quæ ſtatim Ferdinandi vexillum ſuſtulit; exemplum alia oppida ſequuta. Oivarium, præcipuum Daciæ munimentum (*Civitatem* id *novam* ſignificat) quo Georgii gaza contineri fama erat, ſtatim receptum eſt, irrita inveniendi theſauri ſpe. Varadini civitas cum aliquantiſper obſtitiſſet, qui Ferdinando obtemperaturos ſe dicerent, legatos ad regios miſit. Pannones quoque qui Regi militabant, Seghedinum, prævalidum ad Tibiſcum amnem oppidum, Turcis ademere. Lippa amiſſa, cum decembris finis adeſſet, atque hyemis rigore arma conticeſcerent, Turcarum præfectus, in agri Temiſvarienſis oppidis præſidiariis militibus relictis, Albam græcam contendit. Regina, Cardinalis cæde cognita, cum Stephano puero, Petrovico, ac Nitriæ Epiſcopo, e Caſſovia in Sileſiam profecta, Oppolium recepit. Ita præter ſpem, crebris mutationibus agitante fortuna, Dacia veluti tempeſtate acta in Ferdinandi Romanorum Regis poteſtatem pervenit. Quo fere tempore Maximilianus filius cum conjuge ex Hiſpaniis claſſe in Italiam delatus, per Inſubres, Mantuanos, ac Veronenſes Oenipontem eſt profectus. Senatus Joannem Michaelium legatum,

Georgius Cardinalis a Ferdinãdo deficiens Ulamani Perſæ fugam permittit.

Georgius Cardinalis a Sfortia Pallavicino interficitur.

Alba Julia & aliæ urbes ab Auſtriacis captæ.

tum, qui obviam illis Mediolanum iret, ac per Venetos fines deduceret, deſignavit; neque publicæ in eos liberalitatis argumenta deſiderata ſunt. 1551

M. D. LII.

1552 CEterum proſperos Daciæ ſucceſſus, quæ inſequenti anno gravia, atque acerba contigere, obruere viſa ſunt, qui & Germanorum conſpiratione, & cladibus a Turca illatis inſignis fuit. Nam cum æquo animo plerique Germaniæ proceres Caroli imperium pati nequirent, quod vetuſta ſibi privilegia adimi, libertatem, cujus præter ceteras gentes anxii cuſtodes ſunt, infringi, & coarctari, in religionis cauſa adſtringi conquererentur; conſilia, quibus ſe in libertatem vindicarent, inierant, eo potiſſimum obtentu, quod Cæſarem ad Lantgravium e carcere educendum, nullis demiſſis quamvis precibus, adducere potuiſſent. Atque eo uſque efferebantur, ut de illo ex Germania expellendo, novo Imperatore deligendo cogitarent; occultoque Henricum Galliarum Regem ad contrahendam ſocietatem incitaverant. Alberto itaque, Marchione Brandeburgenſe, auctore, fœdus adverſus Cæſarem pro Germanica libertate tuenda percuſſum, quo complectebantur Mauritius Saxonum Dux, penes quem ſummum imperium belli erat; Albertus ipſe Brandeburgenſis; Gulielmus, & Ludovicus Heſſiæ Lantgravii captivi filii; Michelburgi, ac Pomeraniæ Duces, cum aliis compluribus, ac liberæ Germaniæ maritimæ civitates. Fœderis conditionibus cautum erat, ut peditum viginti quinque equitum octo millia Germani conficerent; Henricus octoginta in ſingulos menſes aureorum millia pro impenſis ſolveret: trium menſium ſtatim collata pecunia, conjunctiſque copiis adverſus Cæſarem proficiſcerentur. Henricus ad bellum conficiendum neceſſaria comparat, copias luſtrat; expeditionem in Germaniam molitur, atque, ut ſe proficiſcentem ſequatur, a Joanne Capellio, Reipublicæ legato, petit. Senatus de Regis voluntate certior factus, ne ab eo legatus diſcederet, juſſit. Obſidibus in Galliam miſſis, ducenta ac quadraginta aureorum millia ex pactione Henricus perſolvenda curavit. Germanis ea privilegia, quibus Galli utuntur, modo ne quidquam in religione novarent, promulgato edicto conceſſit.

Germanorũ Principum adverſus Cæſarem conſilia & fœdus.

Jam de iis, quæ inter Albertum Brandeburgenſem, atque Hen-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 Henricum agitata fuerant, rumor ad Cæsarem Oeniponte commorantem pervenerat; ac licet minime obscura de bello Germanico inde argumenta colligeret; attamen adhuc Mauritium Saxonem moras nectentem præstolabatur, cum Albertum in Franconia provincia milites cogere, Mauritium fœderatorum ducem declaratum Magdeburgensem civitatem communire, magnam equitum manum, ac supra decem peditum millia in promptu habere, quibus Carolum ad Lantgravium e carcere educendum cogeret, nuntiatur. Cæsar adversus imminentes tempestates nullum satis firmum præsidium parabat; ad Ducem Albanum tantummodo in Hispaniam literas dederat, quibus octo Hispanorum peditum millia secum in Germaniam ducere præceperat, qui rebus labentibus opportune adesse non potuere. Imperii proceribus de iis, quæ Mauritius, atque Albertus molirentur, scribit; Germaniæ quietem interturbari conqueritur; auxilia flagitat; ad copias in Oenipontis comitatu conscribendas missis præfectis, nihil profecit; cum fere omnes, qui armis tractandis idonei erant, partim in Italiam ad Parmense bellum descendissent; partim in Pannonia Ferdinando militarent; plerique ad stipendia facienda apud fœderatos se contulissent; alii quoque per Halsatiæ fines ad Henricum profecti fuissent: idem quoque Helvetii, atque Rhæti fecerant. His cum pecuniæ ingens inopia accederet, Cæsar necessitate compulsus ad concordiæ consilia se transferre cogebatur. Si ab armis discederetur, Lantgravium libertate donaturum; Hispanorum militum insolentiam Germanis tunc intolerandam repressurum pollicebatur. Tot periculis undique circumsepto, illud quoque addebatur, quod Salernitanus Princeps, præcipui inter Neapolitanos cives nominis, Petri Toletani Proregis sæpe sibi illatis injuriis lacessitus, a Cæsare defecerat, secumque haud parvam, utpote cognationibus, clientelis, atque amicitiis fultus, nobilium Neapolitanorum manum attraxerat; multaque cum Galliarum Rege ad Neapolitani regni perniciem moliebatur. Ferdinandus vero, qui, Possonium vocatis comitiis, auxilia adversus Suleimanum, quem magnis copiis in Daciam venturum fama percrebuerat, enixe flagitabat; fratris jussu cum Mauritio Saxonum Duce de concordia agebat, Linciumque ob id conventuros ferebatur.

Salernitanus Princeps a Cæsare deficit.

Ferdinandus Rex comitia Possonium evocat.

Interim in Gallia Cisalpina, atque in Subalpinis, armis prope

prope quiescentibus, in Germanicum, ac Gallicum fœdus adversus Cæsarem omnium obversis animis, classem magno triremium numero quamprimum ex Hellesponto educendam instrui Suleimanus sub Sinanis imperio, ac Dragute jusserat. Veneti, ut maritimas ditiones tuerentur, sibique subjectos populos incolumes a barbaris præstarent, Stephanum Theupolum tertium classis imperatorem crearunt: Joanni Justiniano legato, qui in classe erat, Andream Duodum alterum legatum addidere; ut decem in Creta triremes armarentur decrevere; quo tota classis septem ac quadraginta constaret: quadraginta etiam in urbanis navalibus adornari jussum, ut, si opus esset, momento educi possent: ad eas regendas cives creati, viginti a Senatu præfecti, totidem majoribus comitiis trierarchi titulo nuncupati; Julius Saornianus præfectus cum copiis Corcyram missus. Maritimæ oræ in sinu Hadriatico, in Ionio, Aegæo, ac Cilico mari præsidiis auctæ. Theupolus iiii. nonas maji, vexillo solemni more in aurea divi Marci basilica de Principis manu suscepto, imperatoriam triremem conscendit.

1552

Turcarum classis sub Sinanis imperio. Theupolus tertium classis imperator. Joannes Justinianus, Andreas Duodus, classis legati. Julius Saornianus Corcyræi præsidii præfectus.

Dum hæc fiunt, Mauritius atque Albertus, fœderatorum copiis coactis, Tinghispillum, Rotimburgum, Norlingum, ac Janavertum oppida deditione recepere: nullis inflictis injuriis, a commeatibus tantummodo, atque auxiliis Cæsari præstandis, amissionis bonorum, ac necis indicta pœna, prohibuere. Mox ad Augustam admotis castris, ultro a civibus excepti, vetere ejecto Senatu, novum instituunt, depravatam religionem inducunt. Ejus rei nuntio adeo Cæsar atque ejus ministri perculsi sunt, ut cum Oeniponte tuto consistere non posse censerent, de receptu in Tridentinam urbem cogitarent; id veriti, ne, Germania relicta, ii, quos amicos, ac fautores habebant, ad hostes transirent, catholicaque religio ingentem jacturam faceret, ac in Germaniam redeuntes majora pericula, & labores manerent, Oenipontem minime deserendum statuere; aliquot peditum vexilla cogere; quæ Constantiæ ad Pannonicum bellum conscribebantur, copias evocare; in angustiis montium præsidia locare decernunt. Fœderati, ut per Bajoariæ fines tutum iter haberent, cum ab Alberto Duce petiissent, ultro cum commeatibus, obtinuere, quod is amico in omnes animo esse profiteretur. Constabant Germanorum

Germanorum Principum progressus.

Cæsareanorum consternatio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 rum copiæ octo & triginta peditum, quatuor equitum selectorum millibus, bellorum usu, ac militaris virtutis opinione in Germania insigniores ductabant. His septuaginta varii generis tormenta addebantur; iter, ut Cæsarem imparatum opprimerent, quamcelerrime conficere nitebantur. Nec deerant qui adventantis periculi metu perterriti, cum impar ad hostium impetus sustinendos esset, Cæsarem ad proficiscendum in Italiam hortarentur; Ferdinando Gonzaga in primis suadente, qui, Parma ac Mirandula acriori obsidione cinctis, Galliarum Regem a susceptis consiliis ad urbes in Italia constitutas tuendas abduci, ac bellum a Germania in Italiam transferri posse arbitraretur. Verum ab ea sententia Cæsar abducebatur, quod Venetos, ne Salernitani Principis impulsu cum Gallis fœdus inirent, perque Reipublicæ fines tutum sibi iter minime foret, vereretur. Neque satis Herculi, Ferrariæ Duci, ob amicitiam Regis fideret; cum præsertim per eos dies quinque peditum millia, atque haud exiguum equitatum coegisset, ne Reginus ager a Cæsareanis Parmam obsidentibus vexaretur. Inter has consiliorum ambiguitates dum Cæsar versatur, fœderati Augusta, Nemetum, Ulmam contendunt, cives cuncta ad oppidum tuendum expediunt; inde mora injecta, eo metu Cæsareani liberati sunt, quo ne inopinantes ab hostibus opprimerentur, veriti fuerant; denuoque pacis spes oborta, cum Mauritius, ac Bajoariæ Dux Lincium Romanorum Regem allocuturi convenissent. Fœderati, Ulma frustra oppugnata, egregiam in ea tuenda civium constantiam experti, quindecim dierum inducias, ut de pace ageretur, pepigere.

Inducia inter Pontificem & Henricum Regem.

Joannes Baptista Montius ad Mirandulæ mœnia interfectus.

De iis, quæ in Germania gerebantur, nuntiis Romam allatis, Augustam ad fœderatos transisse, Cæsarem Antistites, qui Tridenti convenerant, ut in eam se civitatem reciperet, dimisisse; Julius Pontifex Maximus animo haud parum perculsus, cum inde magnas rerum mutationes subsecuturas esse arbitraretur, Cardinalium collegio coacto decimoseptimo kal. maji, Concilium in aliud tempus distulit, atque in biennium inducias cum Henrico ea conditione sancivit, ut a Parma, ac Mirandula copias abduceret, Cæsar quoque, inde suis amotis, iisdem, si ei libuisset, comprehenderetur. Quo vero die ea acta sunt, Joannes Baptista Montius, Julii nepos, pontificiarum

rum copiarum præfectus, dum inermis paucis comitatus Mi- 1552
randulæ mœnia adequitat, falconis ictu equo, cui insederat, in caput percusso, humi procubuit: cum pondere se explicare non posset, ab Helvetio, italicæ linguæ ignaro, copiarum licet imperatorem se prodente, caput alabarda disjectum; ab alio pectus hasta tranfixum est. Intra oppidum trahere nitentibus, globus militum supervenit; gravi certamine oborto, cadaver hostibus ademptum in castra a suis relatum est. A Camillo Ursino, qui ex pactionibus munitiones circa Mirandulam erectas deserere cogebatur, Cæsareani, ac Galli certatim, ut sibi concederentur, petiere. Cum Ursinus kal. maji se discessurum, atque iis, qui primi occupassent permissurum diceret, Galli valida militum manu adorti, solo æquavere.

Interea dum ea, quæ diximus, in Germania geruntur, Henricus, Lantgravii Hessiæ, ac Mechelburgi filiis obsidibus receptis, ut copiæ, quibus Anna Memorantius præerat, Tullum Lotharingiæ oppidum contenderent, jussit: quadraginta peditum, novem equitum millibus constare ferebantur. Henricus, Tullo, ac Viroduno occupatis, Metim adortus deditione recipit; armatus Tullum ingreditur; præsidio Gallorum impositio, Nancæum, præcipuum Lotharingiæ oppidum, adit; Vademontio, defuncti Ducis fratre, exceptus, Claudia filia, quæ nondum quatuor annos excesserat, Duci, novem annorum puero, desponsata; eoque ad educandum in Galliam misso, & Lotharingia in clientelam suscepta, discessit. Mox lustrato exercitu, Metim victor ingreditur, cives sibi sacramento obstringit, ac licet commeatibus exercitus laborare coepisset, atque Mauritium Lincium, ut de pace ageret, profecturum cognovisset, iter ad Rhenum intendit, tum ne ulla in re fœderi defuisse socii conquererentur, tum ut eis acriores stimulos adderet, aut saltem, æquioribus conditionibus concordia inita, sibi arctius devinciret. Verum, ne Rhenum trajiceret, opportunius sibi esse Germani putabant, vel ut Belgarum auxilia a Cæsare averterent, vel quod sibi propriis viribus satis subnixi viderentur. Ad Argentoratum vero ubi Henricus perveniisset, subsistere est coactus, cum cives eos, quæ Metensibus acciderant, commoti, exitum eorum, quæ a Mauritio de pace agitabantur, præstolari se dicerent, legato ad Regem misso,

Henrici Galliæ Regis progressus.

Lotharingia a Gallis in clientelam susceptа.

Henricus Rex Metim ingreditur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 missо, commeatus, ni urbi appropinquaret, obtulere. His auditis, vim adhibere se nolle, Rex inquit, quod ad liberandos, non ad opprimendos Germanos accessisset. Itaque alio itinere Spiram proficiscitur. Verum cum Germanos finitimos Henrici virium metus solicitaret, nimiaque illius potentia fœderatis quoque formidolosa evasisset, ac Mauritius inducias cum Ferdinando, quarum tempus ad octavum kal. junias inciperet, indictis Pataviam comitiis, pepigisset; iis de rebus Henricum certiorem fecit; qui cum Germanorum nutantes animos animadverteret, per Treviros itinere in Galliam correpto, incendiis, ac populationibus passim grassatur. Leucos invadit; Danvillerium, ac Ivosium occupat, Herneſto Mansfeldio cum multis aliis capto.

Herneſtus Mansfeldius a Gallis captus.

Dum de pace inter Germanos proceres, ac Cæsarem agitabatur, novi motus Italiæ imminebant, cum Salernitanus Princeps Neapolitani regni invasionem meditatus, Henricum in eam expeditionem solicitaret, quam multis nominibus ex voto cessuram sibi suadebat, atque eo in primis, quod Venetos victoriæ præmiis allectos socia arma cum Henrico conjuncturos speraret. Itaque cum tertiodecimo kal. maji secretius Patrum collegium adiisset, causas, quæ illum ad patriam relinquendam coegerant, exposuit. Petri Toletani Proregis acerbas nimium injurias diutius perpeti non potuisse, qui suspectam illius fidem Cæsari reddidisset; utque glande plumbea trajectus occumberet, curasset. His adductum, in hunc vexatis, atque afflictis tutum quietis portum delatum, ad concives suos ex miserrima, atque intoleranda Hispanorum oppressione eripiendos, Henrici invicti Gallorum Regis opem imploraſſe, liberaliterque impetrasse; eandem sibi Rempublicam præstaturam confidere.

Salernitani Principis in Venetorum collegio oratio.

Paucos deinde post dies quod mente agitaverat Patribus significavit. *Quæ jampridem* (inquit) *animo Cæsar volutarit, satis Patribus nota esse arbitrari; quippe qui nullum consortem imperii passus, cunctorum ad se provincias, ac regna trahere, solus rerum potiri velit. Itaque nihil de inexplebili illius regnandi cupidine additurum; de regno Neapolitano tantum sermonem facturum, cujus incolæ afflicti, abjecti, miserandum adeo in modum lacerati sint, ut ad extremam prope desperationem*

1522 *tionem devenerint; idque ex eo potissimum contigisse, quod crudelibus, atque acerbis Proregis imperiis premerentur, qui non bonis, non sanguine, neque miserorum vita contentus, regni legibus violatis, Hispanorum libidini objecisset, a quibus intoleranda pati cogerentur: jus omne corruptum, provocationem sublatam; atque eo calamitatum deventum esse, ut nisi quo se recipiant, invenerint, ultro in Turcarum potestatem sint concessuri. Ego sane,* inquit, *qui illorum mentem perspectam, & cognitam habeo, quorum calamitates inspexi, mandataque habeo, egregiam hanc vobis opportunitatem defero, ne præclarum regnum, quod nec suis vulneribus detectis, nec precibus, nec lachrymis expetita tot malis remedia a Cæsare impetrare potuit, in barbarorum tandem manus incidere cogatur. Sed vestris una cum Gallorum Rege sociatis viribus, Divino Numine adspirante, sublevetur, atque erigatur. Quis enim neget id divinitus contigisse, ut Carolus Cæsar, qui tot egregia virtute, atque armis gessit, modo a cunctis fere desertus, turpi fuga suis rebus consulere cogitet? An hæc vobis exigua ad fœdus cum Galliarum Rege ineundum incitamenta videntur, quibus incolumitas, ac libertas Italiæ nititur, quibus vestræ Reipublicæ ingens gloriæ cumulus accessurus est? Quid enim fructus commemorem? cum Henricus in Neapolitano regno maritima Apuliæ oppida, in quibus incredibilis in Venetum nomen amor viget, in Insubribus præter Cremonam, atque Abduanæ glareæ tractum, alia quoque, uti vobis libuerit, oppida sit concessurus? A quibus a Rege petendis si ingenuus vos quidam absterret pudor, per dispositos ego equos in Galliam contendam, tum meo, tum Neapolitanorum nomine, ut cuncta ab Henrico omnia proponantur, assequar. Cum vero ad bellum suscipiendum duo in primis necessaria videantur: justitiæ ratio; gerendarum rerum facilitas; ac pecunia, in qua nervi bellorum consistunt: quid justitiæ consentaneum magis, quam tot afflictos populos, tot innoxios mortales servitute eripere? quid æquius, quam incolumitati publicæ prospicere, atque illorum fastum, ac libidinem reprimere, qui in omnem occasionem intenti, regna ac provincias sibi vindicant? Nobis vero facilius. Universa Apuliæ ora Reipublicæ vestræ addicta est: alias pietatem, justitiam, rectamque administrandi rationem Vene-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 *torum est experta. Mihi cum amicis, ac clientibus in Neapolitanum regnum proficiscenti cuncta ex voto eventura, ingentesque tumultus, ac mutationes subortiuras optima quidem ratione polliceri possum. Quod vero extremum ad sumptus belli attinet, classe tantum, qua imperium vestrum tuemini, opus est, ut quæ modo vires amplitudinem, incolumitatemque vestram parit, eadem ingentes vobis gloriæ fructus afferat. Quid igitur cunctatione opus est? cur oblatam tantarum rerum occasionem prætermittatis? Neque enim frustra Rempublicam vestram Deus immortalis e magnis fluctibus, ac periculis ereptam, his viribus auctam, hoc imperio subnixam servavit; sed ut ad Italiæ decus, ac libertatem retinendam, cujus parentes, ac custodes estis, uteremini. Quid igitur amplius vos moror? quo initio cœpi, eodem finem dicendi faciam, ut ab Hispanorum se jugo vindicent, Neapolitanis adeo fixum, atque immotum est, ut nisi vestra egregia pietate, ac potentia opem poscentibus subveniatis, ad ea extrema, atque immania remedia venturi sint, quæ absque dolore, atque horrifico animi sensu excogitari nequeunt.*

Senatus responsum.

His atque aliis ejusmodi, ut Patrum animos in Neapolitanam expeditionem incenderet, dictis, cum statim proficisci in Galliam ad Henricum velle affirmaret, sibi responderi petiit. Itaque nonis maji in hanc sententiam Senatusconsulto responsum. Summo tum ob Neapolitanorum publicas calamitates, tum ob privatas illius molestias, quem uti filium Respublica semper complexa sit, dolore se affici: quod vero ad ea, quæ proponerentur, spectaret, quanti momenti sint, quam digna, ut exactius expenderentur, se optime nosse: dum gravissimis rebus decernitur, ad complura respiciendum esse, quæ quo majora sint, eo altiori indagine, ac disquisitione indigeant: itaque nil aliud tunc addere posse, nisi Senatum pro certo habere, quæ Principem Italum deceant, quæque reipublicæ christianæ conducant, ad Italiam servandam officia adhibiturum. Cum hoc responso in Galliam ad Regem Salernitanus proficiscitur.

Mauritii Saxonum Principis progressus.

Mauritius vero Lincio, pace infecta, ad suos reversus, cum copiis recta adversus Cæsarem contendit; Eretbergam, Augustani Antistitis oppidum, capit; Clusam, in montium an-

gustiis

1552 gustiis sitam arcem, cujus præsidio potissimum Cæsar nitebatur, partim pulsis, partim cæsis militibus, occupat. Ejus rei nuntio a fugientibus Oenipontem nocte media allato, insuetus adeo timor, ac trepidatio cunctos incessit, ut ne in hostium potestatem perveniret Cæsar veritus, fugienti similis itineri statim se committere decreverit. Itaque Joanne Federico, olim Saxonum Duce, libertate donato, citissime regio comitatu per aspera montium, ac præruptos saltus, nunquam intermisso itinere, Brunecum, inde *Villacum* (Julium olim Carnicum dictum) Carinthiæ oppidum ad Forojulienſium fines, contendit; Mauritio, a fide minime discessisse, dictitante, quod inducias in diem octavum kalen. junii pepigerat, quæ vero sequuta fuerant, duodecimo kalen. accidissent: qui mox in triumphi morem Oenipontem ingressus, Cæsarisque supellectile potitus, tamquam hostium manubias suis militibus dispertiit; cum interim Cæsar Villacum summa adeo omnium consternatione perveniſſet, ut, in Carnis equites cogi licet falso nunciantibus, haud exiguo timore cuncti afficerentur, ne Veneti, cum Gallis ac Germanis fœdere icto, illum adoriri decreviſſent. Verum eas de Venetis suspiciones Dominici Mauroceni legati prudentia discussit, qui Reipublicæ eximiam in Carolum voluntatem testatus, nullius Principis, vel afflictis, ac prostratis rebus ad res suas augendas ullo unquam tempore uti assuetam, constantissime affirmavit. Qua ex re confirmatus Cæsar, Venetorum prudentia, atque in se ipsum studio mirifice commendato, quod difficillimis temporibus, dum acerbe adeo in illum hostes sævirent, constanter amicitiam retinuiſſent, Senatui gratis egit. Eo eventu adepta præteritis egregie gestis Cæsaris gloria haud parum obscurari, atque imminui visa est, quod is, qui nuper tot victorias retuliſſet, Germaniamque in primis reluctantem perdomuiſſet, eorumdem Germanorum armis jactatus, præceps turpi fuga se recipere, ut vix parvo oppido tutus consisteret, coactus sit: insigni certe humanarum varietatum exemplo, quo sæpe fit, ut dum sibi summum felicitatis fastigium mortales attigiſſe videntur, continuo dejecti, in imum miseriarum provolvantur.

Joannes Federicus libertate a Cæsare donatus.

Carolus Cæsar Villacū se recipit.

Mauritius Saxonum Dux Oenipontem ingreditur.

Dominicus Maurocenus ad Cæsarem orator.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 *torum eſt experta. Mihi cum amicis, ac clientibus in Neapolitanum regnum proficiſcenti cuncta ex voto eventura, ingenteſque tumultus, ac mutationes ſuborituras optima quidem ratione polliceri poſſum. Quod vero extremum ad ſumptus belli attinet, claſſe tantum, qua imperium veſtrum tuemini, opus eſt, ut quæ modo vires amplitudinem, incolumitatemque veſtram parit, eadem ingentes vobis gloriæ fructus afferat. Quid igitur cunctatione opus eſt? cur oblatam tantarum rerum occaſionem prætermittatis? Neque enim fruſtra Rempublicam veſtram Deus immortalis e magnis fluctibus, ac periculis ereptam, his viribus auctam, hoc imperio ſubnixam ſervavit; ſed ut ad Italiæ decus, ac libertatem retinendam, cujus parentes, ac cuſtodes eſtis, uteremini. Quid igitur amplius vos moror? quo initio cœpi, eodem finem dicendi faciam, ut ab Hiſpanorum ſe jugo vindicent, Neapolitanis adeo fixum, atque immotum eſt, ut niſi veſtra egregia pietate, ac potentia opem poſcentibus ſubveniatis, ad ea extrema, atque immania remedia venturi ſint, quæ abſque dolore, atque horrifico animi ſenſu excogitari nequeunt.*

Senatus reſponſum.

His atque aliis ejuſmodi, ut Patrum animos in Neapolitanam expeditionem incenderet, dictis, cum ſtatim proficiſci in Galliam ad Henricum velle affirmaret, ſibi reſponderi petiit. Itaque nonis maji in hanc ſententiam Senatuſconſulto reſponſum. Summo tum ob Neapolitanorum publicas calamitates, tum ob privatas illius moleſtias, quem uti filium Reſpublica ſemper complexa ſit, dolore ſe affici: quod vero ad ea, quæ proponerentur, ſpectaret, quanti momenti ſint, quam digna, ut exactius expenderentur, ſe optime noſſe: dum graviſſimis rebus decernitur, ad complura reſpiciendum eſſe, quæ quo majora ſint, eo altiori indagine, ac diſquiſitione indigeant: itaque nil aliud tunc addere poſſe, niſi Senatum pro certo habere, quæ Principem Italum deceant, quæque reipublicæ chriſtianæ conducant, ad Italiam ſervandam officia adhibiturum. Cum hoc reſponſo in Galliam ad Regem Salernitanus proficiſcitur.

Mauritii Saxonum Principis progreſſus.

Mauritius vero Lincio, pace infecta, ad ſuos reverſus, cum copiis recta adverſus Cæſarem contendit; Eretbergam, Auguſtani Antiſtitis oppidum, capit; Cluſam, in montium anguſtiis

guſtiis ſitam arcem, cujus præſidio potiſſimum Cæſar nitebatur, partim pulſis, partim cæſis militibus, occupat. Ejus rei nuntio a fugientibus Oenipontem nocte media allato, inſuetus adeo timor, ac trepidatio cunctos inceſſit, ut ne in hoſtium poteſtatem perveniret Cæſar veritus, fugienti ſimilis itineri ſtatim ſe committere decreverit. Itaque Joanne Federico, olim Saxonum Duce, libertate donato, citiſſime regio comitatu per aſpera montium, ac præruptos ſaltus, nunquam intermiſſo itinere, Brunecum, inde *Villacum* (Julium olim Carnicum dictum) Carinthiæ oppidum ad Forojulienſium fines, contendit; Mauritio, a fide minime diſceſſiſſe, dictitante, quod inducias in diem octavum kalen. junii pepigerat, quæ vero ſequuta fuerant, duodecimo kalen. accidiſſent: qui mox in triumphi morem Oenipontem ingreſſus, Cæſariſque ſupellectile potitus, tamquam hoſtium manubias ſuis militibus diſpertiit; cum interim Cæſar Villacum ſumma adeo omnium conſternatione perveniſſet, ut, in Carnis equites cogi licet falſo nunciantibus, haud exiguo timore cuncti afficerentur, ne Veneti, cum Gallis ac Germanis fœdere icto, illum adoriri decreviſſent. Verum eas de Venetis ſuſpiciones Dominici Mauroceni legati prudentia diſcuſſit, qui Reipublicæ eximiam in Carolum voluntatem teſtatus, nullius Principis, vel afflictis, ac proſtratis rebus ad res ſuas augendas ullo unquam tempore uti aſſuetam, conſtantiſſime affirmavit. Qua ex re confirmatus Cæſar, Venetorum prudentia, atque in ſe ipſum ſtudio mirifice commendato, quod difficillimis temporibus, dum acerbe adeo in illum hoſtes ſævirent, conſtanter amicitiam retinuiſſent, Senatui gratis egit. Eo eventu adepta præteritis egregie geſtis Cæſaris gloria haud parum obſcurari, atque imminui viſa eſt, quod is, qui nuper tot victorias retuliſſet, Germaniamque in primis reluctantem perdomuiſſet, eorumdem Germanorum armis jactatus, præceps turpi fuga ſe recipere, ut vix parvo oppido tutus conſiſteret, coactus eſſet: inſigni certe humanarum varietatum exemplo, quo ſæpe fit, ut dum ſibi ſummum felicitatis faſtigium mortales attigiſſe videntur, continuo dejecti, in imum miſeriarum provolvantur.

1552

Joannes Federicus libertate a Cæſare donatus. Carolus Cæſar Villacū ſe recipit. Mauritius Saxonum Dux Oenipontem ingreditur.

Dominicus Maurocenus ad Cæſarem orator.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 At Carolo tantæ rei indignitate commoto, atque iis, quæ antea ſumma felicitate confecerat, ante oculos obverſantibus, priſtinus ille vigor animi aſſurgere irarum æſtu videbatur. Quapropter Germanos præfectos ad ſe vocabat; copias cogebat; bellum denuo parabat: complures, quorum mentes eximia illius potentia perſtrinxerat (ut Regum inclinatæ res ad miſericordiam mortales flectunt) calamitas ad opem ferendam concitabat. Ferdinandus eodem tempore cum Mauritio, atque aliis Germanis Principibus Pataviæ pro concordia laborabat, imminentibus Pannoniæ, ac Daciæ periculis ſolicitatus, quod præpotentem exercitum in eas provincias Suleimanum miſſurum ferretur, ac Georgii obitu in iis gentibus reſtinctus pro patria tuenda ardor videretur. Verum in eo negotio perficiendo multa a Germanis petebantur, qui Cæſaris potentiam coercere; libertatem augere; Principum, ac civitatum privilegia novis incrementis ampliora reddere, temporum nacti opportunitatem, conabantur. Cæſar, quamvis extrema quæque paſſurum, quam aliquid imperatoria indignum majeſtate facturum conſtantiſſime profiteretur; tandem Germanorum pleriſque poſtulatis eſt adſenſus. Mauritius pace icta cum ab armis diſceſſiſſet, ſupremus belli labor in Alberto Brandeburgenſi debellando manebat.

Caroli Cæſaris in Germanos bellici apparatus.

Pax inter Cæſarem & Mauritium Principis Salernitani Venetias reditus.

Interea Salernitanus Princeps in Galliam profectus, de Neapolitano regno invadendo cum Henrico communicatis conſiliis, Venetias revertitur, atque una cum Silvæo, Regis legato, denuo, ut Senatum ad fœdus ineundum impellerent, nituntur. *Modo Regis vires, ac potentiam oſtentare; modo afflictas, ac dejectas Cæſaris res objicere: præclaram augendi imperii opportunitatem non prætermitterent, neu aliquo ſibi beneficio Carolum demereri ſperarent, in quo plus imperii cupido, quam collati beneficii memoria poſſet. Quæ præmia Genuenſes, Florentini, Senenſes in illum obſervantiæ tuliſſent, inſpicerent.* Hæc vehementi adeo dicendi vi a legato enuntiabantur, ut Patrum animos a ſuſceptis conſiliis, quibus per tot annos Rempublicam adminiſtraverant, deducere potuiſſent, niſi rerum uſu edocti in neutras declinando partes cum dignitate incolumitatem, ac libertatem publicam retinuiſſent, quam vana rerum ſpecie, ſummis periculis obducta,

1552 cta, amittere, neque prudentium eſſet, neque eorum qui ſæpius utriuſque periculum fortunæ feciſſent; cum præſertim Neapolitana expeditio non adeo facilis cenſeretur, quemadmodum rerum novarum cupidi homines prædicabant; atque anni tempus jam eo provectum eſſet, æſtate in autumnum vergente, ut eo anno nihil confici poſſet. Itaque cunctis fere ſuffragiis latum, ut Regi, ac Principi de propenſa, atque egregia in Rempublicam voluntate gratiæ agerentur. Cetera cum per multos annos pacem cum omnibus Principibus ſervarit, ab ea nulla laceſſitam injuria recedere non poſſe. Eo reſponſo a ſuſcepta ſententia Salernitanus nequaquam deterritus, Gallos miniſtros, ad quos Rex totum negotium detulerat, ita aſſidue urgebat, ut tandem Foſſam Clodiam convenirent, atque de Neapolitana expeditione, multis hinc atque inde allatis, diſceptarent. In eo numero Turnonius, ac Ferrarienſis Cardinales, Paulus Thermius in Italia præfectus, Salernitanus Princeps, Henrici apud Rempublicam legatus, Comes Mirandulanus, Cornelius Bentivolius, Sommenſis Dux, atque alii Neapolitani regni proceres extitere. Ut Neapolitana expeditio ſuſciperetur Salerni Princeps contendebat: *Nullo negotio in Appulis, ac Salentinis oppida capi poſſe, quibus iter ad regnum omne obtinendum aperiretur: populos in ſpem libertatis erectos, Hiſpanici dominatus pertæſos; multos in iis regionibus clientes, atque obæratos habere; præcipuos regni proceres Proregi infenſos eſſe; Gallicum nomen apud pleroſque vigere: Turcicam claſſem affore; e Maſſilia Gallicam propediem venturam: ſi præpotentibus maritimis viribus regnum adorirentur, victoriam relaturos.* Verum qui negotium hoc altius ad diſquiſitionem vocabant, ac prudentiæ opinione pollebant, nihil proſpero eventu ceſſurum differebant: *Nondum inſtructas ad tantam rem perficiendam copias; nondum ea, quibus bellica tormenta veherentur, comparata: jam æſtatem fere elapſam, nec dum maritimas conjunctas vires.* His, atque aliis Paulus Thermius, ac Turnonius Cardinalis rem in aliud tempus differendam eſſe ſenſebant: nihilominus, ut pluribus in locis Cæſareanorum copias, vireſque diſtraherent, Neapolitanum regnum ſe aggreſſuros, ea de re diſſipatis ſermonibus, vulgavere. Salernitanus Maſſi-

Gallicarum partiũ proceres Clodiæ conveniunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 liam, ubi Gallica classis aderat, quam celerrime se contulit, ut cum ea in Tyrrhenum mare delatus, Turcicæ se conjungeret.

Senensium cum Gallis adversus Hispanos tractationes.

Dum hæc fiunt, novi in Italia motus exoriuntur; nam Senenses grave Hispanorum imperium perosi, occulto cum Gallis de pristina recuperanda libertate, quam sibi, per summam injuriam arce extructa, ereptam conquerebantur, consilia ineunt. Eam vero opportunitatem minime Galli spernendam rati, faces ultro incensis animis addere, Nicolaum Ursinum Petiliani Comitem ad suas partes pertrahere, copias cogere. Idem occulto Aeneas Piccolomineus, atque alii Senenses effecerant, qui permultos plebis, complures nobilium civium ejusdem facti cupiditate inflammatos sibi socios facinoris adsciverant. Itaque noctu cum ad portas se civitatis propripuissent, ab iis, qui intus aderant, una cum Gallis excepti, repente ingentem in civitate tumultum concitavere; libertatis nomine ingeminatis vocibus sublato, ad arma conclamavere. Hispani cum se in forum conglobassent, furenti populo, ac militibus obsistere non potuere. In ea urbis agitatione, ac tumultu Ludovicus Lansacius, Regis apud Julium legatus, supervenit; cives ad rem perficiendam auctoritate cohortatus, qui eodem impetu arcem nuper ab Hispanis exædificatam, præsidio ejecto, certatim dirutam, atque eversam e vestigio solo æquavere; ac per summam contumeliam Cæsaris insignibus dejectis, vexillis detractis, Henrici auspiciis libertatis omina cepere, ubique jactantibus Gallis, nulla alia, quam supplicum, ac miserorum civium causa adductos, Senensi reipublicæ ademptam libertatem restituisse; cum revera in ea Italiæ regione belli sedem constituere decrevissent, quæ ad cogendas terrestres copias opportuna, & portuum commoditate ad Gallicas classes excipiendas, Turcicasque adjungendas idonea, Tyrrhenum mare infestum, & Neapolitanum regnum assiduo belli metu solicitum redderet.

Senenses, Gallis in urbem receptis, Hispanos ejiciunt.

Classem, uti singulis annis consueverat, sub Sinanis imperio in occidentem Suleimanus miserat; quæ Zacynthi, ac Corcyræ Venetæ ditionis insulas amice prætervecta, inde per Mamertinum fretum (*Pharum* hodie dicunt) delata, Rhegium Brutiorum oppidum incenderat. Inde cum in sinum Neapolitanum se intulisset, & ad Prochytam insulam aliquan-

Rhegium a Sinane incensum.

quantisper subsititisset, Tarracinam usque provecta, adversa tempestate ad Pontias insulas rejecta fuerat. Salerni vero Princeps Massiliam appulsus, in Gallicas triremes militibus impositis, Numidicam classem præstolabatur, qua socia ad Turcicam contenderet, ut aliquid adversus Neapolitanum regnum, spe rei bene gerendæ inflammatus, experiretur. Horum apparatuum fama, ac nuntiis Prorex adductus, Auriam solicite ad Germanorum præsidia subvehenda urgebat. Is Neapolim navigationem intenderat; sed cum in conspectum Pontiarum veniisset, quæ parum a Circejo distant, ibique latere Turcicam classem, de qua nondum aliquid per exploratores cognoverat, intellexisset, superveniente nocte, flexo itinere, incitato remigio adeo in altum se extulit, ut jam hostes prætergressus videretur; nisi Dragutes cum sex expeditis, ac selectis triremibus, summo silentio vehementius classiariis nitentibus, Christianorum navigiis institisset, signoque aliis ad insequendum dato, ad pugnam Auriam lacessiisset; qui neque numero, neque viribus par, proris aversis, celerrime se subducere, atque in Cæsareanos portus se recipere contendit. Turcæ totam noctem, ac sequentis diei partem persecuti, septem ex illius triremibus cepere, Germanos septingentos una cum Madrutio eorum præfecto in servitutem redegere. Ceterum cum iis in locis classem Gallicam, ut sperabant, non inveniissent, septimo kalen. septembris vela in Hellespontum dedere; dum interea Salerni Princeps, triremibus instructis, Massilia discedens, quinto kal. supervenisset, ac Turcicam abeuntem, nunquam intermissa navigatione, frustra insecutus fuisset. Gallicæ triremes ad Chium, Aegæi maris insulam, hyemavere; Salernitanus in sequentem annum de Neapolitanorum regno invadendo consilia distulit. Veneti, senescente autumno, maritimarum gerendarum rerum tempore elapso, Theupolum imperatorem, ac Justinianum legatum ad urbem vocavere; Andreæ Duodo, alteri legato, classis præfecturam detulere.

1552

Hispanorum triremes a Sinane captæ.

Gallicæ triremes cum Salernitano Principe in Aegæo mari Stephani Theupoli, classis imperatoris, in patriam reditus. Temisvarium a Turcis captum. Lippa ab Aldana Hispano derelicta.

Ac ne annus, nullo inflicto christianæ reipublicæ a communibus hostibus vulnere, elaberetur, Turcæ cum ingenti exercitu Daciam ingressi, Temisvarium vi cepere. Eo capto, Aldana Hispanus, qui Lippæ præerat, perterrefactus, bellico apparatu flammis absumpto, magna ex parte munitionibus solo æquatis, ho-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1552 hoſte non expectato, oppidum turpiter deſeruit; Caſtaldo vero copiæ ad dimicandum cum Turca non aderant. Et Sfortia Pallavicinus, qui, Italorum in Flaminia, ac Piceno tribus coactis millibus, per Adriaticum Sinum, Venetis permittentibus, Tergeſtum delatus, in Pannoniam ſe contulerat, Germanorumque peditum, & Hungarorum equitum manum ſibi adjunxerat, a Budæ præfecto, qui ingentem equitatum comparaverat, laceſſitus, quod pugnæ ſe ſubducere non poſſet, prælium inire coactus, cum magna animi vi per aliquot horas egregio fortitudinis exemplo hoſtium impetum ſuſtinuiſſet, multos interfeciſſet, Hungaris equitibus pugnam detrectantibus, eſt fuſus, & profligatus: ipſe ſaucius cum magna ſuorum parte captus, reliqui cæſi. Pallavicinus Budam perductus, haud multo poſt pecunia redemptus eſt; inde Caſtaldus Tordam ſe recepit; hoſtes complura Pannoniæ oppida, nullo obſiſtente, occupavere. Cæſar menſe octobri Metim magnis viribus aggreſſus, cum nihil in ea civitate e Gallorum poteſtate eripienda, ingenti admoto exercitu, mœnium verberationibus, arcta obſidione, oppidum Guiſio Duce fortiter tuente, profeciſſet; tandem exeunte anno abducere copias eſt coactus, cum interim Hedinum, quod Cæſareani occupaverant, Galli deditione recepiſſent, atque eodem tempore in Subalpinis dubia, ſæpiuſque alternante fortuna, bellum gereretur.

Sfortia Pallavicinus a Turcis profligatus & captus.

Cæſar obſidionem Metenſem deſerit.

Hedinum a Gallis receptum.

M. D. LIII.

1553 IN Hetruria quoque, Senenſibus Gallorum ope in libertatem vindicatis, magnum belli incendium exoriebatur; cum Cæſar ſibi illatam injuriam inultam minime paſſurum, ſed continuo arma in eos moturum diceret; quamobrem Petro Toletano Proregi, ut cum Neapolitanorum, ac Germanorum copiis adverſus Senas proficiſceretur, injunxit. Cives, qui urbi adminiſtrandæ præerant, Ferrarienſis Cardinalis, quem Henricus Senas miſerat, opera, cum Rege fœdus inierant, quo & portus, quibus claſſes exciperentur, præbituros, & per eorum fines tutum iter, commeatuſque ſuppeditaturos polliciti fuerant. Rex illis præſto futurum, atque ab omni injuria, hoſtiumque impetu defenſurum ſe ſe obſtrinxerat. Inde haud exi-

Senenſes cum Gallis fœdus ineunt.

exigua belli ſeges extabat, incenſis utrinque vel ad præſentem Senenſium ſtatum retinendum, vel ad civitatem plectendam, atque ſub priſtino imperio recipiendam Regum animis; civibus vero vel libertatis deſiderio, ac voluptate adductis, vel pœnæ timore ob facti conſcientiam, ſi denuo in Cæſaris poteſtatem redirent, deterritis. Veneti ab inſtitutis jampridem conſiliis minime diſcendendum rati, ut ab armis abſtineretur, nitebantur. Julium Pontificem aſſidue per Dominicum Maurocenum legatum hortabantur, ne pacem Italicam denuo abrumpi pateretur; quamque, Parmæ diſſidiis amotis, quietem huic regioni pepererat, ea ne corrumperetur, contenderet: ni cito erumpenti malo occurratur, undique externas copias in Italiam confluxuras; Italos Principes magna inde detrimenta, atque incommoda accepturos. Licet vero Julius a concordia non abhorreret, attamen, cum neque Galli Senas deſerere, neque Cæſareani tutum adeo receptum Henricum ſibi in Italia comparaſſe æquo animo paterentur, ſummis difficultatibus concordiæ ineundæ ratio obvolvebatur. Senatus cum neutris favere, uti Parmenſi bello fecerat, decreviſſet, Ferdinando Gonzagæ, atque Coſmo Florentiæ Duci petentibus, ut Germanis, quos evocaverant, militibus per Reipublicæ fines tutum iter habere liceret, ultro permiſit. Idem Gallis conceſſum. Eorum copiis cum ſummo imperio Paulus Thermius præerat; Herculis Portum, Groſſetum, Alcinum montem, & Cluſium Galli præſidiarii milites tuebantur. Prorex, pecuniæ vi ad ſumptus belli faciendos tum Januæ, tum Venetiis comparata, quatuor Italorum peditum millia ab Aſcanio Cornia conſcribi, ex ſubalpinis totidem Germanorum millia evocari, duo Hiſpanorum, qui nuper ex ea provincia advenerant, Auriæ triremibus imponi juſſerat, cum iis ipſe Trituritam conceſſurus; Garziæ filio, ut cum mille levis armaturæ, ac quadringentis haſtatis, octo peditum millibus terreſtri itinere Senas proficiſceretur, mandaverat. Galli itidem Italos milites conſcribere non ceſſabant: pedites, atque equites, qui adhuc in Ciſalpina Gallia erant, adducere; ex Piceno, atque Urbinatum ditionibus quot poſſent conficere; oppida munire; nihil ad Senarum tuitionem omittere. Prorex, cum, ad Trituritam excenſione militum facta, Florentiam veniſſet,

1553

Veneti Cæſareanis & Gallis militibus iter per ſuos fines concedunt.

Paulus Thermius Gallicarum copiarum imperator.

Hiſpanorum bellici apparatus.

Garzia Toletanus exercitum contra Senenſes ducit.

Galli ad belum ſe inſtruunt.

Petrus Toletanus Florentiæ obiit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1553 nisset, ægritudine correptus interiit. Garziæ filio, in ejus locum suffecto, summum imperium Carolus detulit. Inde initium belli factum, quod variis eventibus protractum, universam Hetruriam, ac circumjectas regiones terra, marique exercuit.

Interea Suleimanus, licet Rustenum in Persidem adversus Tacmasum Regem, bellum iis in locis in Turcas cientem, misisset; attamen ingentem classem sub Dragutis imperio in occidentem missurus nuntiabatur. Quapropter ut decem in Creta triremes ad classem augendam armarentur, latum; sed postea certioribus allatis nuntiis, cum minorem triremium numerum fore quam fama percrebuerat, nam Draguti sexaginta tantummodo triremium imperium Suleimanus detulerat, cognitum esset, Senatus decretum abrogatum est. Dragutes cum Gallicis, quæ ad Chium insulam ea hyeme substiterant, in Salentinos delatus, Lacinium promontorium prætervectus, ejus provinciæ oram legendo, multis detrimentis, ac cladibus affecit. Deinde in altum elatæ classes, Mamertino freto relicto, ad Pachynum Siciliæ promontorium, hodie *Passerum* dictum, pervenere. Exinde in Africam navigationis cursu directo, atque biduum in priscæ Carthaginis portu commorati, in Sardiniam trajecere; ac lustrata classe, in qua centum omnis generis navigia censebantur, Corsicam insulam, quæ sub imperio Genuensium erat, aggressi, militibus expositis, ac populorum favore, quorum plerique infensi in Genuensium nomen erant, subnixi, Sanctum Florentium, atque alia oppida occupavere; Bonifacium, quod caput insulæ, arce, atque portu insigne, habetur, nullo negotio in suam potestatem redegere. Incursionibus, atque direptionibus fœde multis in locis Corsica vastata, præter Calvium arcem, Galli tota potiti sunt. Eo felici eventu magnum res Gallorum incrementum accepere; quod non modo mari Tyrrheno imminerent, verum ejus loci opportunitate Genuam, in qua magnum semper momentum ad Italiam invadendam fuerat, adoriri possent. Acrius igitur in Hetruria pro Senarum urbe pugnari cœptum, atque in Corsica nova certaminum sedes constituta est.

Dragutis direptiones. Dragutes cum Gallis Corsicam invadit, & complura oppida in Gallorum potestatem redigit.

His Julius Pontifex Maximus adductus, ne altius in Italiæ visceribus conceptum virus augeretur, apud Reges agebat, ut, indu-

induciis pactis, ab armis discederetur, quo de conficienda pace mox pertractari posset. Verum adeo sævierant animi, ut, prorsus abjectis, ac desperatis concordiæ consiliis, acerrime decertando provincias, populosque contererent: cum eodem tempore in Belgio, in Italiæ Subalpinis, in Hetruria, atque in Corsica pugnaretur; Cæsar Taruanam, Morinorum munitissimum oppidum, Gallis ereptum, diripi, incendi, atque everti, Hedinum quoque captum solo æquari jussisset; Rex Corsicam occupasset; Senas cum multis illius ditionis oppidis obtinuisset. Dragutes vero post Corsicam fere omnem a Gallis subactam, præda onustus, ingenti captivorum numero adducto, in Sardiniam devectus, inde septembri mense intra Hellesponti fauces, uti a Suleimano jussus fuerat, se recepit. 1553

Dragutes Byzantium regreditur.

Dum gravioribus hisce successibus res christiana jactatur, pacisque fructus uni fere ex Europæ Principibus Veneti percipiunt, non deerant, qui multis, iisdemque gravibus incommodis maritimarum ditionum Reipublicæ incolas afficerent, atque suspicionum semina inter Suleimanum, ac Venetos, quibus pax interturbaretur, jacerent. Prior Capuæ, Petri Strozzii frater, cum Gallica stipendia deseruisset, a Rhodiorum militum magistro tribus triremibus præfectus, mare Aegæum, ac Cilicium infesta prædis, ac rapinis reddebat; neque enim Turcarum manubiis, cum quibus perpetuæ inimicitiæ exercentur, contentus, Cypriis, Cretensibus, atque aliis qui Venetorum insulas incolunt, multa eo anno damna intulerat. Quæ cum in prospectu Venetarum ditionum adversus Suleimani subjectos committerentur; haud parum præpotentis Regis animus in Rempublicam accendebatur, complureſque e nostris fovere homines hujusmodi conquerebatur. His de rebus sapius cum Rhodiorum Magistro expostulans Senatus, frena illorum cupiditati injici non posse animadvertens, classis præfecto mandavit, ut Capuanum Priorem ubicumque invenisset, pro hoste haberet, obvium, obtemperare detrectantem, armis adoriretur, illius triremes armamentis exueret. Jussum præterea, ut proventus, quos permultos Hierosolymitani equites in Reipublicæ ditionibus obtinent, ad illata damna sarcienda, penes sequestros reponerentur. Justiniano Justinianio, Hierosolymitanæ religionis legato, quæ decreta sint significaretur, qui haud

Capuanus Prior Hierosolymitanus orientis maria infestat eddit.

Senatus mandata de Capuano Prior interficiendo.

Hierosolymitanorum equitum bona apud sequestros, Senatus jussu reposita.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1553 haud multo poſt, pecunia, qua damna perpeſſis ſatis fieret, in ærarium collata, cum, in poſterum ut milites a Venetis rebus abſtinerent, Magiſtrum juſſurum polliceretur, proventuum libertatem impetravit. Edictum deinde, quo iis, qui præfinito tempore in publicas tabulas nomina eam ob cauſam conjeciſſent, proſpiciebatur, vulgatum eſt. Compreſſa inde eo anno militum licentia, ac Turcarum querelæ amputatæ,

Muſtaphas Suleimani filius legatum cum literis Venetias mittit.

Erat Suleimano Turcarum Imperatori filius natu maximus Muſtaphas ex Circaſſa, licet abjectæ conditionis femina, ſuſceptus, attamen præſtanti, atque acri ingenio ad militaris gloriæ æmulationem effictus. Is arctius amicitiam cum Venetis colere, atque egregii in eos animi argumenta edere ſtatuerat. Quapropter dapiferum ſuum cum literis Venetias legatum miſerat, qui, Principe ac Patribus conſalutatis, propenſam ipſius in Rempublicam voluntatem ſignificaret; veſte inſuper aurea benevolentiæ pignore dono Principi miſſa, ut ſibi globus orbis terrarum effigiem repræſentans mitteretur, petierat. Literis perhumaniter a Senatu reſponſum eſt; varii generis pretioſæ veſtes, ac dona addita, globus miro artificio elaboratus Dominico Triviſano legato Byzantium miſſus, Muſtaphæ obitu interceptus eſt. Nam cum Suleimanus ex Roxolana, elegantis atque eximiæ formæ femina, quatuor filios, Mahumetem, Ziangirium, Selimum, ac Bajazetem, & Cameriam filiam, quæ Ruſteno nupſerat, ſuſtuliſſet, mulier de filiorum in Ottomanico regno ſucceſſione ſolicita, vel Ruſteni generi falſis in Muſtapham criminationibus, vel veneficiis, ac præſtigiis adeo Suleimani animum ab eo averterat, ut inſiti a natura patrum in filios amoris oblivisceretur. De matrimonio quoque cum Tacmaſſis Perſarum Regis filia occulto egiſſe inſimulabatur; quæ cum altius in Regis pectus inſediſſent, eo ſenſim adactus fuerat, ut, ne filius Perſæ auxiliis adjutus imperium ſibi adimeret, dubitaret. Itaque ſuperiore anno Ruſtenus in Perſidem cum ſecretioribus Reginæ mandatis miſſus fuerat, ut quacumque ratione poſſet Muſtapham e medio tolleret; qui cum in Aſiam perveniſſet, conficta calumnia, qua ad filii necem Suleimanum raperet, prætorianos cum ceteris copiis adeo Muſtaphæ ſtudere ſignificat, ut ni propere occurrat, jam e regio ſolio deturbatum

Suleimani ex Roxolana filii.

Suleimani de Muſtapha filio ſuſpitiones.

batum prope inſpiciat; nullum in ſummo diſcrimine remedium ſupereſſe, niſi ut ipſe quam celerrime in Syriam contendat. Eo nuntio territus Suleimanus, in belli adverſus Perſas ſpeciem cum copiis magnis itineribus Aleppum properat: filium ſtatim ad ſe vocat. Muſtaphas, quamvis nonnihil de iis quæ ſibi pararentur inſidiis, perſenſiſſet, atque ab Acmete Baſſa, ut ſaluti ſuæ proſpiceret, ſecreto monitus fuiſſet, conſcientia tamen, candore, atque innocentia fretus, imperio patris obtemperat; in caſtra veniens recta ad regium tentorium tendit. Ibi a mutis nonnullis inſigni corporis robore præditis, quos Turcæ in deliciis habere ſolent, patre ſpectante, ac jubente, proſternitur; proſtrato nervo guttur frangitur. Eodem momento Suleimani juſſu Muſtaphæ ſignifero (*Michaelium* Turcæ vocabant) illata nex, qui e patricia Michaelium gente Veneta ortus, cum adoleſcens admodum in Illyrico a Turcis captus eſſet, Byzantium delatus, Mahumetanaque ſacra amplecti coactus, in Muſtaphæ poteſtatem pervenerat; eique ob præclaram indolem, ac corporis ſpeciem in primis carus, præcipuum inter ejus aulicos locum obtinuerat. Filii vero necem, ratione iracundiam compeſcente, Suleimanum pœnituiſſe, atque egregii juvenis interitum ingenti animi dolore fleviſſe fertur.

1553

Suleimanus Perſicum bellum prætexens Aleppum proficiſcitur.

Muſtaphas Suleimani patris juſſu necatur.

Eduardi Britanniæ Regis obitus.

Joanna Suffolcia ab Eduardo Regni heres relinquitur.

Mariæ, Henrici ex Catharina Aragonia filiæ, ab Anglis regnum defertur.

Joanna Suffolcia in carcerem traditur.

Catholica religio in Anglia reſtituta.

Joannes Michaelius Senatus nomine.

Mariæ reginæ gratulatur.

Eodem anno pridie nonas julii Eduardus Britanniæ Rex ſextumdecimum ætatis annum agens exceſſit, teſtamentique tabulis Joannam Suffolciam, Henrici patris ex ſorore pronepotem, Maria, atque Heliſabeta ſororibus prætermiſſis, heredem regni reliquit. Verum is favor, atque omnium regni ordinum, præcipue nobilium ad Mariam Henrici ex Catharina Ferdinandi Hiſpaniarum Regis filia ortam converſus, atque inclinatio extitit, ut miro omnium conſenſu ad paternum ſolium eveheretur; Northumbriæ Ducis conatibus repreſſis, qui Suffolciæ favens, in illam tumultus concitaverat, Joanna carceri mancipata, atque Northumbriæ Duce capitali ſupplicio affecto. Inde Catholica religio in Anglia labefactata, ad priſtinum nitorem reſtitui cœpta, cunctique injecta ſpes, ut nobiliſſimum regnum, hucuſque fœda veluti tempeſtate jactatum, tandem conquieſceret. Venetorum nomine tunc Joannes Michaelius, Jacobo Superantio ſuffectus, legationis munere

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2013)

1553 nere fungebatur. Is Reginam adiit, ac Senatus nomine adeptum regnum gratulatus, Reipublicæ priſcam benevolentiam, atque obſervantiam eſt teſtatus. Franciſcus vero Donatus cum ſeptem annos principatum geſſiſſet, decimo kalen. junii exceſſit; vir civili prudentia, ac rerum uſu inſignis; a Joanne Donato, qui tum in Republica eloquentiæ laude florebat, laudatus. Comitiis de more habitis, Marcus Antonius Triviſanus, civis ſanctitate, atque innocentia, miraque in pauperes liberalitate, ac religione conſpicuus, Princeps renunciatus eſt.

Franc. Donati Principis obitus.

M. D. LIV.

1554 CEterum Senenſium res variis jactatæ caſibus, modo Cæſareanis, modo Gallis adſpirante fortuna, ſuſpenſos Italorum Principum animos tenebant. Coſmus Florentiæ Dux veritus, ne Gallorum ſucceſſus, qui Corſicam occupaverant, atque Senenſis Reipublicæ libertatis tuendæ ſpecie finitimis ſibi ditionibus imperabant, aliquando in ſui exitium converterentur, Cæſari accedere, bellumque Senenſibus inferre decrevit, adminiſtrandi illius imperio Jacobo Mediceo Meliniani Marchioni delato. Conſilii ſuſcepti cauſas Venetis, atque aliis Italis Principibus expoſuit, non propagandi imperii cupiditate adductum, ſed ut Gallos ſuis ditionibus inhiantes averteret, Senenſes ad Cæſaris imperium, a quo nuper deſciverant, revocaret, neceſſarium bellum ſuſcepiſſe. Inde exercitu in agrum Senenſem immiſſo, acri urbem obſidione cinxit. Galli omne ſtudium in urbe tuenda adhibere. Nunc mutuis incurſionibus, nunc gravioribus, vel levioribus certaminibus; quandoque oppidorum vel aggreſſione, vel defenſione res agebatur, grave atque diuturnum bellum fore, pleriſque opinantibus, non abſque ingenti periculo, ne eo tota Italia corriperetur. Iis cum Venetorum in primis animi ſolicitarentur, ut ſe ſe efferens incendium reſtringueretur, nitebantur. Par ſolicitudo Julium Pontificem Maximum periculorum propinquitate territum ceperat. Neque minus Hercules Ferrariæ Dux commovebatur, quippe qui cum Gallis ſemper faviſſet, nimiumque eorum, qui Cæſaris partes ſequerentur, incrementa ſuſpecta

M. Antonius Triviſanus a Venetis Dux eligitur. Coſmus Mediceus ad partes Cæſaris accedit. Iacobo Mediceo militare imperium traditur. Senarum obſeſſio.

ſpecta haberet, verebatur, ne, Coſmo Florentiæ Duce ſibi adjuncto, Senenſibus devictis, quidpiam adverſus ipſum Carolus moliretur. Itaque Venetorum conſilium, atque opem Hercules expoſcit. Senatus, ut omne ſtudium ad ſuas tuendas ditiones adhibeat, hortatur; neutri adhæreat; neve belli tumultibus ſe immiſceat, monet; quam ſæpius expertus fuerat, eamdem, ſi ſe objecerit occaſio, publicam benevolentiam experturum. Eodem fere tempore Montis Policiani Antiſtes cum Hercule agebat, ut Galliarum Regem certis propoſitis conditionibus ad pacem flecteret. Patrum vero exquiſita ſententia, nulla in re, quæ vel ad reipublicæ chriſtianæ decus, atque ad Italiæ incolumitatem utilior, vel ad præclari facti laudem præſtantior eſſet, adhibere ſuam operam poſſe, Herculi ſignificant; quidquid officiis, quidquid auctoritate valeant, ut initio belli fecerant, pro egregio hoc pacis bono collaturos. Eadem Julius cum eſſet mente, ut gliſcenti media Italia bello finis imponeretur, Venetos tum per illorum oratorem, tum per ſuum apud eoſdem legatum enixe hortabatur, ut quacumque ratione poſſent impendentibus periculis opem ferrent; ex veteri inſtituto cunctis nervis, ut priſtina quies Italiæ reſtitueretur, contenderent; Reges ad pacis ſtudia amplectenda incitare, atque impellere conarentur. Senatus cum inſito in publicam tranquillitatem ſtudio, tum Julii adhortatione permotus, Paulo Theupolo, apud Henricum, Dominico Mauroceno, apud Cæſarem legatis, injungit: Reges adeant; ſuadendo, hortando ad concordiam ineundam, totque chriſtianæ reipublicæ vulnera ſananda impellant. 1554

Senatus per oratores Cæſarem & Galliæ Regē ad pacem hortatur.

Ea ad concordiam incitamenta etſi a Carolo, atque Henrico probarentur, attamen bellum novis utrinque comparatis copiis augebatur. In dies vero obſeſſis difficilior, ac durior ſe ſe periculorum facies oſtentabat, circumquaque hoſtium muntionibus ſepta, atque ad omnium rerum inopiam adacta civitate. In quam dum ſubſidia inferre Petrus Strozzius, Regis in ea expeditione præfectus, nititur, kalen. auguſti ad prælium ineundum a Mediceo laceſſitus, commiſſa parum feliciter pugna, acie victus, compluribus equitibus, ac peditibus cæſis, vix ſe ſe recipere, ac ſaluti conſulere coactus eſt. Nonis infauſto certaminis exitu commotus, quidquam de ſingulari illius militari ſolertia remittens, per medios hoſtes ferro iter ſibi muniens, quam

Petrus Strozzius a Mediceo profligatus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2015)

1554 quam maximam potuit commeatuum vim in obſeſſam civitatem invexit. Verum ea hujuſmodi non fuit, ut fame preſſi Senenſes, imbelli licet, atque inutili plebis turba quotidie extra urbem ejecta, levarentur; brevique victus neceſſitate perdomitam in Cæſareanorum poteſtatem conceſſuram minime dubium erat. His ſucceſſibus magna non modo Galli moleſtia afficiebantur, ſed ii quoque in Italia Principes, quorum animis libertas, ac dignitas infixa erat, commovebantur; cum, Senis occupatis, magna in Italia Caroli auctoritati, ac potentiæ vis acceſſura videretur. Nam præter Neapolitanos, atque Inſubres, plerique etiam ex iis, qui in Italia ea tempeſtate imperia Ducis titulo obtinebant, Coſmus Florentiæ, Mantuanus Dux, atque alii minoris notæ Reguli, uno Hercule Ferrarienſe excepto, partes Cæſaris ſequebantur. Itaque quod ſæpius irrito conatu Galli tentaverant, tunc denuo efficere adnixi, Venetos ad ſe attrahere, atque ad opem Senenſibus ferendam impellere conabantur.

Petrus Strozzius Senas commeatuum vim infert.

Lodevenſis Antiſtitis, Galliæ oratoris ad Venetos oratio.

Lodevenſis Antiſtes, qui Odeti Sylvæ in Veneta legatione ſucceſſor a Rege datus fuerat, Senatum vel ad opem obſeſſæ Senarum civitati ferendam, vel ad concordiam urgendam vehementi uſus oratione adhortabatur: *Henricum non commodi, quod ad ſe perventurum ſperaret, ſpe, ſed inſita regia magnanimitate adductum antea Parmam, nunc Senarum urbem in ſui clientelam ſuſceptam, armis, copiis, pecunia juviſſe: ut prævalidæ, atque præcellentis provinciæ libertatem tueretur, quid ſummo ſtudio non egiſſe? immenſam auri vim profudiſſe; trecenta aureorum centena millia erogaſſe; totidem per eos dies perſolvi juſſiſſe; eodem tempore in Subalpinis, Provincia, Hetruria, & Germania, quatuor exercitus aluiſſe: at quonam tot labores, atque impenſæ evaſiſſent? Senas diutina prope obſidione confectas, atque ad ſupremam omnium rerum egeſtatem perductas: nec dum tantarum rerum ſucceſſibus permotos, atque expergefactos Italos Principes fuiſſe: cunctos in Venetos oculos conjicere, quæ ipſi agitarent, quæ molirentur ſedulo animadvertere, Venetam Rempublicam Italicæ libertatis fundamentum, ac veluti lumen rati: ni his eventibus commoveretur, ac ſi in ea, in qua hactenus perſtiterat, ſententia perſeveraret, reliquos illius exemplum ſecuturos, de Senarum urbe*

actum eſſe: inde civitatis in media Italia adhuc libertatem ſpirantis, ſervitute ingentem reliquos Italos Principes jacturam facturos. Quem vero miſerorum Senenſium attritæ, ac proſtratæ fortunæ non commoveant, qui arcte obſeſſi vix ſpiritum traherent, atque eodem momento opes, vitam, libertatem ipſa vita cariorem, cujus fructus aliquando deguſtarint, ni cito ſubveniretur, amiſſuri eſſent? An non hæc ſimul cum pietate ortam Rempublicam ad miſericordiam flectere debeant? quæ ſi hæc ſibi diſplicere, ſi aliquantiſper moveri, atque nonnihil molliri velle ſignificet, ſocios præclari facinoris alios quoque habitura ſit: intentiſſime huc Urbinatem, Ferrarienſem perſpicere; Julium Pontificem Maximum, cui ſemper Gallorum res cordi fuerint, ab his conſiliis non diſceſſurum: quæ improſpera hucuſque accidere, conſilio corrigi, ac virtute poſſe: id ſi aliter eveniat, a rebus Italicis ſe abſtinere Henricum decreviſſe. Cur enim nullo laborum, & impenſarum fructu ſe alienis rebus immiſceat, qui Galliæ ampliſſimo, ac nobiliſſimo regno, atque ſubalpinis regionibus, tuto, & abſque moleſtia frui poſſit? Quid enim modo Coſmum Florentiæ Ducem commemoret, qui ex privato ad eam amplitudinem fortunæ evectus eſſet, ut Cæſaris ope Florentinam rempublicam dejeciſſet, ad Senarum imperium anhelaret, Lucæ minitaretur? ea ſi acciderint, quo loco res Italiæ futuræ ſint, iis permittere, qui uſu edocti, ſincerum de rebus judicium ferrent: at vero ſi hoc tempore bellum ſibi non eſſe ſuſcipiendum Senatus arbitretur, vehementiſſime ſaltem, ut concordiæ ratio aliqua conſtituatur, incumbat, qua afflictis, atque calamitatum mole prope obrutis Senenſibus ærumnarum exitus inveniatur: neque enim ad ea, modo honeſtis confici conditionibus poſſit, Henricum, qui nullo magis, quam iſtius provinciæ beneficio ducatur, quique illius tractandæ Herculi Ferrariæ Duci munus detulerit, receſſurum.

1554

Hæc gravi oratione a Lodevenſi Antiſtite cum enunciata fuiſſent, Franciſcus Vargas, Cæſaris legatus, in ſingula intentus, nonnihil de iis, quæ ab eo cum Patribus acta fuerant, ſuſpicatus, ipſe quoque Collegium adiit, prolixo admodum ſermone effatus, cujus ſumma hæc fuit. *Quæ in negotio Senenſi cum Senatu agitata ſint, multorum ſermonibus uſurpari;*

Franciſci Vargæ, Cæſaris oratoris, cum Venetis officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1554 *adjici, de percutiendis fœderibus actum : quæ dispergerentur voces, eas minime negligendas censentem, coram Patribus prodiisse, ut persancte testaretur, nil aliud in Senensium causa, quam, ne suis juribus exueretur, Carolum quærere : eam civitatem alias sub Cæsarum imperio fuisse ; supremum illius jus apud eosdem continuo extitisse ; per temporum successiones ad se delatum modo Carolum obtinere : dissidiis, quibus ea urbs summo cum periculo ob cædes, atque illatas, acceptasque injurias conflagraret, occurrendum, frena populari libidini, ac licentiæ fuisse inquirenda. Quid porro hæc ad Gallos spectare ? Quid illis cum Senensibus ? Quorum nullum jus, nullam penes se potestatem unquam habuerint, ut in Italiam arma inferrent, quibus humana cuncta, atque divina miscerentur ? Quid timendum esset, si in Carolum Senæ concessissent ? quænam clades istæ ac calamitates, quibus ea urbe recepta Italiam affectum iri comminiscantur ? sibi suaderi non posse, Venetos, qui prudentiæ laude cunctorum opinione excellerent, qui eam tenerent Rempublicam, quæ post Romanam exorta, veram religionem, qua illa caruerat, jam a cunabulis imbuta sit, a veteri instituto recessuros, atque aures iis, qui arma ad imperium augendum meditantur, præbituros ; sed in Cæsaris amicitia, quam per tot annos inconcussam, inviolatamque servaverint, permansuros.* Hæc utrinque concitatis animis, atque ingenti adeo dicendi vi disceptata sunt, ut irarum æstus, intenecinique odii rabies facile in fronte, atque oculis emineret. De iis cum in Senatu a Præconsultoribus referretur, ea parte prætermissa, qua ad auxilia Senensibus ferenda fuerat cohortatus, ut Henrici Regis legato responderetur, decretum. *Nihil magis, quam Italiæ tranquillitatem Senatui curæ esse ; in hoc Senensium motu omni studio, ac diligentia, ut oborta dissidia concordia dirimerentur enixum ; multa cum Julio, & Cæsare egisse ; idem enixius quoque in Henrici gratiam facturum.* Haud multo post Ferrariensis legatus Herculis literas Patribus perlegit, quibus continebatur, a Julio, ut Perusiam se conferret, ubi ipse propediem, ut de concordia ageret, adfuturus esset, petiisse ; lubentique animo iter illud susceperturum pollicitum. Literas quoque ad Senatum dedit, quibus si ei collibuisset, Senenses clientelam Reipublicæ subi-

Senatus ad Galliæ oratorem responsum.

Senensium literæ ut in Reipublicæ clientelam reciperētur.

subituros diceret ; id nisi expedire arbitraretur, quammaxime posset de eorum causa componenda negotium urgeret, cum res eo deductæ forent, ut obsidionem ultra januarium mensem sustinere non possent. 1554

Dum hæc in Italia gererentur, ut singulis annis fieri consueverat, licet tunc in Syria Suleimanus esset, quinquaginta triremium classis sub Dragutis imperio Hellesponto egressa, Aegæi, atque Ionii maris oras emensa, se in Adriaticum sinum intulit, atque ad Corcyram nigram usque pervenit ; deinde in Apuliam delata, Vesta direpta, atque incensa, in Tyrrhenum mare se proripuit. Dragutes, nulla re præclare gesta, Christianorum tantum ingenti præda avecta, Byzantium, exeunte autumno, reversus est. Eo in itinere multa, & gravia Venetorum rebus damna attulit, quæ classis legati acre studium avertere non potuit : quod Dragutes amicitiæ nomine, quæ Suleimano cum Venetis intercedebat, obtectus, ad inexplebilem avaritiam, ac crudelitatem exsaturandam abuteretur ; quæ adeo molesta Patribus fuere, ut graves ad Suleimanum adversus Dragutem literas darent, quibus illum in intimiora Adriatici sinus se invexisse, majoribus triremibus, quæ in Corcyræo Euripo in Syriam iter habituræ morabantur, insidias struxisse, multis, iisdemque gravioribus damnis Reipublicæ subjectos affecisse, conquerebantur ; ac ne tot inultas injurias pateretur, sed in piratam Diis, hominibusque invisum animadverteret, flagitabant. Suleimanus ad Dragutis in Venetos infensum animum coercendum severiora mandata adhibuit : verum ea erat temporum ratio, adeo archipiratæ illius ob rei militaris peritiam, qua plurimum pollebat, se se apud Turcas extulerat auctoritas, ut postea dissimulatione utendum Patres censuerint. Suleimanus Aleppo Byzantium regressus, Hibraimum legatum, qui adeptas a se adversus Tacmasum Persarum Regem victorias nuntiaret ad Venetos misit ; cui de more excepto, victus ex publico adhibitus, quingenti aurei nummi donati, cum literis, ac muneribus, quæ ad Regem perferret, dimissus est ; ac mox Aloysius Rhenerius legatus ad Suleimanum est designatus. Neque hoc anno Hierosolymitani milites quievere. Balthassar Intimilius, Joannes Vargh es Hispanus Cypriis haud parva damna intulere. Senatus, qui superiori anno ne Hierosolymita-

Dragutes cum classe ad Apuliæ oras urbem Vestam diripit.

Veneti per literas de Dragute ch Suleimano conquerunt.

Suleimanus Hibraimum legatum Venetias mittit, ut gesta contra Persas enunciet.

Aloysius Rhenerius legatus ad Suleimanū mittendum designatus.

Senatus decreta ob damna a Hierosolymitanis equitibus Venetis illata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1554 norum redditus in Venetis ditionibus capi a militibus poſſent, juſſerat, eorumdem proventus penes ſequeſtros reponi mandavit.

Cæſar vero, Germaniæ utcumque ſeditionibus compreſſis, cum omnes curas ad bellum cum Gallis gerendum tranſtuliſſet, ab obitu Eduardi Anglorum Regis, Britannos, qui Gallis ſemper infenſi fuerant, ſibi adjungendi occaſionem nactus, Mariam, quæ nuper regnum adepta fuerat, ſibi arcta cognatione junctam, utpote ex Catharina, Joannæ matris ſorore, Ferdinandi Aragonum Regis filia, ortam, Philippo filio connubio jungere decreverat; atque re agitata, Reginam ad nuptias celebrandas illexerat. Inde dotali jure ampliſſimum regnum ad Philippum deducebatur, ac licet trigeſimum atque octavum annum Regina attigiſſet, Philippo in juventæ flore conſtituto, attamen in Cæſare cuncta Britanniæ potiundi cupiditas vicerat. Connubii leges fuere, ut Philippus aulicis tantum comitatus in Britanniam trajiceret; nemo ex ſuis ad munia regni capeſſenda admitteretur; ſi qua ſuſcepta ſibi ex Maria maſcula ſoboles fuiſſet, Britanniæ non modo regnum, ſed etiam Belgium obtineret. Philippo in Angliam profecto, magna nuptiæ lætitia concelebratæ ſunt; qui adventum ejus in Angliam initumque connubium ſignificaret, Aloyſium Cordubenſem ad Senatum miſit. Gratiæ Regi actæ; Joannes Michaelius legatus publicam lætitiam Regi, ac Reginæ patefecit. Sub id tempus comitiis totius Regni habitis, de Catholica religione reſtituenda decernitur, quæ ſuperioribus annis Henrici Regis libidine labefactata, ad priſtinum nitorem redigi, cœpta eſt. Ex ea re cum ob inſitum in Republica Catholicæ religionis ſtudium, ingentem lætitiam Senatus cepiſſet, per Mihaelium legatum apud Philippum, ac Mariam, eximiam eorum virtutem, ac pietatem, qua Deus Optimus Maximus ad opus adeo præclarum conficiendum uſus eſſet, ſummis laudibus extulit. Julio quoque Pontifici Maximo gratulatus eſt, quod ea tempeſtate pontificatum nactus eſſet, qua ampliſſimum, atque avitæ religionis gloria præfulgidum regnum, erroribus ejectis, ac profligatis, Catholicæ ſe Eccleſiæ rurſus adjunxiſſet. Cum Reginaldo Polo Cardinali eodem officii genere fungi Michaelius juſſus, qui cum a Julio legatus in Angliam miſſus eſſet, tantum morum integritate, doctrina, ac prudentia effe-

Philippi Hiſpaniarū & Mariæ Angliæ Reginæ nuptiæ Aloyſius Cordubenſis Cæſaris ad Venetos orator.

Anglorum decretum de Catholica religione reſtituenda.

Reginaldus Polus, Julii Pontificis legatus in Anglia.

effecerat, ut quod vix antea ſperandum videbatur, negotium 1554
ſumma felicitate conficeret.

Quoniam vero de Cardinali Polo ſermo incidit, de inſigni viro, nonnulla adnectere minime ſupervacaneum puto. Fuit is Eduardi quarti Anglorum Regis pronepos, cum ex filia Georgii, Clarentiæ Comitis, atque Eduardi fratris, maternum genus traxerit. Pater Richardus Polus, equeſtris ordinis, magnus Henrici Octavi cubicularius, Arturique filii alumnus. Regia itaque affinitate ſuffultus, ac propter egregiam, quam de ſe prima juventa opinionem concitaverat, Henrico pergratus fuit, qui ut inſitam illius pectori virtutem promoveret, Lutetiam, ac Patavium, quibus in urbibus toto orbe celeberrima gymnaſia ſunt, ut varias per artes ingenium excoleret, miſit; tantoſque in omni ſtudiorum genere, ac præſertim in theologicis progreſſus edidit, quantum ſuorum laborum monumenta ſcriptis teſtantur. Sed ubi Henricus de Catharinæ uxoris repudio conſilia agitare cœpit; neque Raynaldi (ita enim antequam Cardinalis eſſet vocabatur) adſentandi artes peroſi, ſalubres monitus in animum demittere, neque Regi ipſe obſecundari vellet; ſumma benevolentia in odium inexpiabile converſa, acerrime illum eſt perſecutus, ut patriam deſerere, ac ſolo migrare cogeretur. Qui cum Romam ſe contuliſſet, atque in Cardinalium collegium a Paulo tertio Pontifice Maximo cooptatus eſſet, adeo Henricus excanduit, ut præceps ira majorem illius natu fratrem ſupplicio capitali affecerit; inde matrem ſexaginta atque amplius annos vita emenſam, ſanctiſſimis moribus, ac pietate percelebrem, capite plecti juſſerit. Reginaldus cum annos viginti quinque voluntarium ſibi indicens exilium patria abſens fuiſſet, tandem Eduardo defuncto, Maria ad ſolium evecta, a Julio in Angliam legatus miſſus eſt. Legationis munere perfunctus, Cantuarienſem eccleſiam, ac regni primatum ſupremique conſiliarii dignitatem adeptus, religionis tuendæ, regnique adminiſtrandi immenſum pondus ſuſcepit; atque in eo obeundo integre adeo, & innocenter ſe geſſit, ut ſummam virtutis laudem, magnamque ſimul auctoritatem conſequeretur. Arcta ſibi amicitia devinctum, ſtudiorum omnium, ac voluntatis conſcium Aloyſium Priolum, patricium Venetum, eſt ſortitus, quem

Aloyſius Priolus Reginaldo Polo Cardinali amicitia junctus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1554 quem illi vitæ innocentia, morum ſuavitas, ac ſingularis doctrina adeo conciliaverat, ut omnium laborum, curarum, atque actionum comitem, & ſocium haberet; tantumque illius benevolentiæ, atque acri judicio tribueret, ut penitiores animi ſenſus communicaret. In Venetam Rempublicam adeo proclinato, amantique animo fuit, ut privatis, ac publicis ſermonibus ſæpe illius laudes tolleret, cum diceret: *non minus Italiam, ac præcipue Reipublicæ Venetæ ditiones, quam Angliam ipſam pro patria ſe habere; ibi genitum, hic exceptum fuiſſe affirmans*. Hæc breviter de inſigni illius ætatis viro attingere libuit.

Guido Ubaldus Urbini Dux a Venetis ſtipendiis miſſionem obtinet.

Sed ut ad inſtitutum opus revertar, Guido Ubaldus Urbini Dux, Reipublicæ terreſtrium copiarum præfectus, cum imperatorios titulos a Senatu impetrare non potuiſſet, miſſionem poſtulaverat; qua impetrata, complures operam in munere militari obeundo Venetis detulere. Tres Rhætorum pagi, Federico Salice legato, ut fœdera cum Republica pro extorribus utrinque pellendis profligandiſque jungerent, Venetias miſſo, eo negotio confecto, arctiori ſe ſe cum Venetis vinculo obſtringendi ingens deſiderium patefecere. Multa Federicus, quæ ad Rhætorum amicitiam Senatum impellerent, eſt prolocutus. *Rerumpublicarum conſimilem formam allicere, qua unius imperium peroſi, genuina, atque illibata libertate fruerentur: eam præcipue Venetis, Helvetiis, ac Rhætis intactam eſſe: Rhætorum gentis robur, ac ferociam ſuadere, qui Helvetiis adjuncti, haud vulgaria fortitudinis exempla edidiſſent: quorum opera Gallorum Reges ad regnum tuendum uſi eſſent, uti ſuperioribus bellis Franciſco, atque Henrico cum Cæſare dimicantibus contigerat: abundare militibus Rhætos, finitimos Venetis eſſe, octo dierum ſpatio quotquot vellent, ad oppida, atque arces tuendas milites educi poſſe.* Hæc, atque alia, ut Senatum ad fœdera ſuaderet, Salices protulit. Rhætis de propenſa in Rempublicam voluntate gratiæ actæ: *additum nullum ſocietatis genus, mutua benevolentia arctius Senatum eſtimare; nemini nunc fœdere devinctum eſſe; niſi novæ cauſæ acceſſerint, in eadem ſententia permanſurum*. Henricus quoque Brunſuici, & Luneburgi Dux Richardum Sichenum Venetias miſit, qui graviſſimis de rebus acturum Brunſuicenſem,

Federici Salicis, Rhætorum oratoris, de ſua gente Reipublicæ fœderibus obſtringenda officium.

Senatus reſponſum.

Richardus Sichenus Venetias a Bruſuicenſi Duce miſſus.

ſem, ſi ita Patribus libuiſſet, ad urbem venturum diceret. Annuente Senatu, Henricus Venetias acceſſit, ſecretiuſque Collegium adiens, *ſingulari*, inquit, *qua Venetam Rempublicam benevolentia proſequeretur adductum, ad Principem, Patresque conſalutandos veniſſe; alteri negotii pertractandi munus deferre noluiſſe*. Adjecit, *ſe bellicæ virtutis gloria inflammatum, Principi alicui militare ſtatuiſſe; ſecum multa reputantem, cui ſuam operam dignius deferret, præter Venetam Rempublicam, quæ multis nominibus Principes viros ad ſe alliceret, neminem inveniſſe; amplas ſibi ditiones, multos amicos, complures clientelas eſſe; quatuor equitum, viginti peditum millia, quæ ſtipendia Reipublicæ facerent, paucorum dierum ſpatio, tranſitu per ſuos fines a Romanorum Rege impetrato, in ejus ditiones ducturum; ni petere Senatus velit, tot illi amicitias in Helvetiis, ac Rhætis eſſe, ut nullo negotio per eorum ditiones ſe ſe in Venetorum fines illaturum polliceatur: bellicam diſciplinam uſu edoctum, cum bello, quo ſuperioribus annis Germania exarſerat, interfuiſſet, plura geſſiſſet, ex quibus haud vulgarem militarium rerum diſciplinam comparaſſet: ubicumque viſum Senatui eſſet, atque etiam in Venetis ditionibus commoraturum*. Iis, quæ a Brunſuicenſi proponebantur, diſcuſſis, ita reſpondendum Senatus cenſuit: *Cum Reſpublica per multos annos pacem cum omnibus Principibus colat, eamque diuturnam fore ſperet; nullam cur arma pararet cauſam eſſe: que Henricus prompto adeo, eximioque animo Senatui detuliſſet, ea perenni, grataque memoria proſecuturum*. Duci in urbe moranti publicæ munificentiæ, & liberalitatis officia delata, victus ex publico ærario tributus, mille nummi aurei dono dati. Erat ſane Henricus vel nobilitate, quod ex Saxonum familia ortus eſſet, vel viribus ſummi inter Germanos Principes nominis; nam Saxonia ut media multas ditiones obtinebat: Brunſuicum inter eas urbs præcipua eſt, incolarum frequentia, ac divitiis potens, præcipue vero ſale dives, qui ex puteorum limpidiſſimis aquis conficitur; atque ex ea regione, quæ Duci parebat, quatuor equitum, quatuordecim peditum millia colligi poterant. Poſt annum, quo Marcus Antonius Triviſanus principatum geſſerat, pridie kal. junias, cum de more ſummo mane una cum Patribus

1554 *Henricus Brunſuicenſis Dux Venetis in re militari ſuam operam defert.*

Senatus reſponſum.

Marci Antonii Triviſani Principis obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1554 tribus in interiori aulæ ſacello ſacris intereſſet, ex humanis repente exceſſit; creditumque eſt, aſſiduis vigiliis, ac jejuniis confectos, atque attenuatos ſeniles artus cum regere non poſſet, animam pietatis, ac religionis ſtudiis alitam in divinorum myſteriorum celebratione efflaviſſe. Bernardinus Lauretanus laudationis munus obivit. In ejus locum Franciſcus Venerius eſt ſuffectus. Peſtifera vero lues per Iſtriam graſſata Juſtinopolim invaſit, funeribuſque pene aſſumpſit.

Franciſcus Venerius Dux Triviſani loco eligitur.

M. D. LV.

1555 ACriori in dies obſidione Senæ premebantur, atque eo ventum erat, ut inter tot ærumnas obſtinata tantum animorum conſtantia cives adhuc infracti, atque invicti perſiſterent; cum, deficiente annona, tetra fame adacti, noxiis, humanoque generi inviſis cibis veſci cogerentur: neque ulla concordiæ ratio iniri potuerat, quod propediem neceſſitate compulſos deditionem facturos Meleniani Marchio, belli præfectus, ſibi polliceretur; occupatiſque undique itineribus, nulla ad obſeſſos ſubſidia, nulli nuntii perferebantur; ut tandem cum propinqua jam imminentium periculorum facies civibus ſe ſe oſtentaret, ſeque Germanis, atque Hiſpanis prædæ cum ſupremo urbis excidio futuros animadverterent, flectere mentes cœpere, atque cum hoſte deditionem his conditionibus, de quibus Coſmus agitaverat, pepigere. *Senarum urbs, Galli amicitia relicta, denuo in Cæſaris clientelam ſe committeret: libertate, uti ſueverat, ac magiſtratibus uteretur: civium, & incolarum crimina oblivioni traderentur; bona reſtituerentur; unicuique quocumque ſibi libuiſſet vertere ſolum liceret: ad tuendam civitatem ex Cæſaris præſcripto, ac voluntate, quos deſtinaſſet milites, ſuſciperent: arx neque nova exædificaretur, neque dejecta reſtitueretur: munitiones urbi circumjectæ diſjicerentur: Gallis militibus explicatis ſignis, armatis, cum ſarcinis abeundi facultas permitteretur.* Hæc præcipua dedendæ urbis capita, quæ licet Cæſari, qui libere recipere civitatem optaverat, non omnino probarentur; attamen ejuſmodi fuere, ut reipublicæ formam abſtulerint, ac libertatem, qua utcumque Senenſes uſi aliquando fuerant, penitus extinxerint.

Senarum deditio.

Eo

1555 Eo rerum Senenſium ſtatu Julius Summus Pontifex e vita migravit, atque Italiam, quam ſummis belli moleſtiis, ac cumulis implicaverat, iiſdem agitatam, ac perturbatam fluctibus reliquit. Comitiis habitis, ſummo conſenſu Marcellus Cervinus, Cardinalis Thuſcus, ex Montis Politiani oppido, titulo Sanctæ Crucis, Pontifex Maximus creatus eſt; priorique retento nomine, Marcellum ſecundum ſe appellari voluit. Ob ingentem de illius religione, virtute, ac doctrina apud omnes opinionem ſumma chriſtiani orbis Principes, ac populos lætitia inceſſit, quod turbulentis temporibus is ſummam in terris dignitatem adeptus eſſet, qui diſſidentes Regum animos conciliare, pacem Italiæ reſtituere, atque reipublicæ chriſtianæ vulneribus mederi poſſet. Veneti, quorum rebus antea ſæpe faverat, magno ex Marcelli dignitate gaudio perfuſi, ſtatim officiis, atque obſervantia refertis literis publicam ei lætitiam patefecere. Lecti de more quatuor oratores fuere: Carolus Maurocenus, Franciſcus Contarenus, Matthæus Dandulus, Hieronymus Grimanus. Verum orbi oſtentata Marcelli virtus, gaudium cito incredibili dolore commutavit, cum rheumate correptus ſecundo ac vigeſimo poſt die, quam pontificatum inierat, ſupremum vitæ ſpiritum effuderit; cujus obitu ſidus, quod poſt tot tempeſtates micare cœperat, momento obrutum, atque extinctum eſt. Egregia initia, ac veluti fundamenta ſuorum conſiliorum Marcellus jecerat, cum ſui exemplo lapſos Romanæ curiæ mores corrigere, atque ad priſtinam ſanctitatis, atque integritatis formam revocare inſtituiſſet; Italiæ tranquillitatem, ac quietem armis labefactatam, & concuſſam reddere ſibi in animum induxiſſet. Præclaros orſus imitaturum obitus intercepit, cum annum quartum & quinquageſimum non excederet. Ita ſe mortalium res habent, ut frequenter per virtutis ſemitas currentibus fatalis humanarum rerum neceſſitas manum injiciat, egregioſque conatus abrumpat, atque proſternat. Marcello defuncto, juſtis de more perſolutis, comitia de ſucceſſore deligendo habentur. Veneti a Cardinalium Collegio de Pontificis obitu per literas, perque Joannem Caſam legatum certiores facti, reſcribunt, hortantur, ut eum virum Marcello ſufficiant, qui ea tempeſtate, qua in Italiæ viſceribus bellum aleretur, religio catholica in plerisque provinciis nutaret, pietate, ac pru-

Julii II. obitus.

Marcellus Secundus Pontifex creatur.

Oratores a Venetis ad Pontificem deſignati.

Marcelli Pontificis obitus.

Senatus literæ ad Cardinalium collegium ad Pontificem eligendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1555 prudentia ſuccurrere labentibus rebus, atque intrepide reipublicæ chriſtianæ clavum tenere poſſet. Piſano atque Cornelio, patriciis Cardinalibus, idem per oratorem ſignificant: ſuadent, ut illi in ſuprema dignitate adipiſcenda ſuum ſtudium, ac ſuffragium deferant, qui neutri addictus, unum tantum ſibi publicum bonum, atque ipſius Italiæ quietem, conſiliorum, & actionum omnium metam præfigat.

Theatinorum inſtitutio.

Neapolitanus Cardinalis, ex Caraffa illuſtri familia ortus, Theatinus vocatus, Pontifex Maximus renunciatur. Is cum plures annos Theate epiſcopatum geſſiſſet, cœtum humilium, ac piorum virorum inſtituerat, quos *Theatinos* appellavit; qui communi victu utentes, acerrimos ſe hæreſum hoſtes profitebantur: hujuſque inſtituti anno M. D. XXVII. Roma bello, peſtilentiaque vexata, cum ab Auguſtino Amulio, claſſis præfecto, Venetias delatus eſſet, præclara fundamenta jecerat: per multos annos Chriſtianæ pietatis officiis in urbe deditus, complurium, eorumdemque illuſtrium civium familiaritate uſus, exacta jam ætate, cum annum circiter octogeſimum ageret, ad pontificatum ſublatus.

Pauli Quarti Pontificis electio.

Ac nemo fere erat, qui Pauli (ita enim nuncupari voluit) anteactæ vitæ curſum contemplatus, non ſibi cuncta ab eo moderata polliceretur; atque illum, qui ab humanis curis ſemotam ætatem traduxerat, a bellicis moleſtiis, & regum negotiis averſum, unius pontificiæ atque eccleſiaſticæ dignitatis vindicem, atque aſſertorem fore non ſperaret. Sed, vel per multos annos pectore incluſum ambitionis ſtudium erupit; vel, ut plerumque iis accidit, qui ad ſupremum honorum faſtigium tolluntur, ſtatim humanæ gloriæ faſtu captus, animum ambitione tumentem, victus atque apparatus pompa, illuſtrium ac nobilium virorum aſſidue ſibi inſervientium corona, nihil non eximium atque magnificum agitantem, ſignificavit. Qui vero intimius Pauli affectus noverant, ſummopere verebantur, ne infenſus multis nominibus in Cæſarem animus, diſſimulatione abjecta, aliquid agitaret, quo novis Italia ſolicitudinibus, ac curis exardeſceret. Qui antea delecti ad Marcellum legati fuerant, iidem a Senatu ad Paulum mittuntur: una cum illis Bernardus Naugerius, Dominico Mauroceno in ordinaria legatione ſuffectus, Romam eſt profectus.

Oratorum a Venetis ad Paulum Pontificē electio.

Bernardus Naugerius ordinarius orator ad Pontificem.

Senarum vero urbe a Cæſareanis recepta, adhuc belli reliquiæ in Hetruria manebant, cum Alcinoi Montem, Cluſium, Groſſettum,

tum, Herculis portum, atque alia oppida Galli in Hetruria obtinerent; Corſica quoque fere omnis illis pareret. Vario eventu certatum: Herculis portus a Meleniano oppugnatus, deditione recipitur, cum eo anno ſerius, quam ut obſeſſis opem ferret, claſſis Turcica ſe in ea maria intuliſſet. Nam Helleſponto Dragutes egreſſus, pacate Zacynthum, ac Corcyram prætervectus, atque e Pontiis Tarracinam delatus, recta ad Sancti Stephani portum contendit, ad Populinumque ſubſtitit. Viginti, quæ citius Julia Cæſarea, Numidiæ oppido, navigia moverant, Populoniam (cum incolæ ſe in arcem conjeciſſent) diripuere; arcem oppugnare cœpere. E reliqua claſſe Dragutes, in Populini litoribus tribus peditum millibus expoſitis, cum oppidum aggredi vellet, compluribus cæſis, reliquis in fugam actis, ad triremes regredi coactus eſt. Inde Hilva vaſtata ac direpta, una cum Gallicis triremibus in Corſicam proficiſcens, Calvio oppido fruſtra tentato, inclinante autumno vela in orientem flexit, atque amice in itinere Venetorum inſulas, ac maritimas oras legens, Byzantium revertitur. 1555

Herculis Portus a Cæſareanis deditione captus. Dragutes in mari Tyrrheno. Populonia a Numidicis triremibus direpta. Turcæ ad Populini oras cæſi & in fugam verſi.

Neque vero a Hieroſolymitanorum militum incurſionibus tuta eo anno Veneta navigia, atque homines fuere, cum ſæpius gravia ab iis illata incommoda nuntiarentur. Quibus Senatus antea (ut diximus) permotus, eorum proventus ad illata damna ſarcienda in publicum redigi juſſerat; mandataque maritimis præfectis dederat, ut in eos qui Venetorum rebus detrimenta intuliſſent, ſevere animadverterent. Ea cum religionis ſupremus Magiſter cognoviſſet, Joannem Baptiſtam Alliatam legatum Venetias miſit, qui una cum Juſtiniano Juſtiniano (quem *Receptorem* vocant) Principem ac Patres adiens, multa de Hieroſolymitanæ religionis primordiis, atque legibus protulit, quam antiquitate, inſigni pietate floruiſſe, magna atque præclara pro chriſtiana republica geſſiſſe, ajebat: *inexpiabili odio adverſus fidei chriſtianæ hoſtes Equites obſtringi: in eos ubicumque invenirent, impetum facere, bonis exuere, morte plectere: Chriſtianos, quos illi miſerrima ſervitute contererent, in libertatem vendicare: nullam cum iis pacem, nullas inducias habere: his inſtitutis altum, atque ſervatum Hieroſolymitanorum equitum ordinem: ſi a navibus perluſtrandis prohiberentur, quidnam id eſſet, quam jacta innumeros prope ante annos eorum inſtitutæ fundamenta*

Joannis Baptiſtæ Alliatæ, Hieroſolymitanorum equitum ad Venetos oratoris, oratio.

ta

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1555 *ta evertere, ſine quibus religioſus ordo corrueret, cujus milites vitam ſæpius pro chriſtiana religione devoviſſent? vigere in eorum animis eximium erga Rempublicam Venetam ſtudium, pro qua, ſi opus eſſet, opes, ac ſpiritum quoque libenter effunderent. Quapropter Senatum orare, ut Equitum proventus libere religioni permitteret, neque quidquam de priſca illorum conſuetudine, atque inſtituto imminui pateretur.*

Senatus reſponſum.

Hæc Alliata pluribus prolocuto, Senatuſconſulto quæ publica mens ſit, exponitur: *Ob ea, quæ graviſſima Venetis navigiis damna illata ſint, incredibili moleſtia affectum Senatum fuiſſe, tum quod amicitiæ jura, humana commercia, jus denique gentium violata fuiſſent, cum maria cunctis libera, neque ſecus in Venetorum navigiis, ac intra mœnium ſepta tuta omnia eſſe oporteret; tum quod pax, quæ Reipublicæ cum Suleimano intercederet, in diſcrimen adduceretur; immerita, & invita Reſpublica ad periculoſiſſimum cum potentiſſimo hoſte bellum, ex quo haud parva ad univerſam chriſtianam rempublicam detrimenta manarent, traheretur: hæc cum ita ſe habeant, ut acriora remedia expoſcere videantur, Senatum, in Hieroſolymitanum ordinem propenſum, clementius agere ſtatuiſſe, eoque tantum, ut proventus, quos in ſuis ditionibus habeant, penes ſequeſtros reponantur, contentum fuiſſe: decretum quoque ipſum amoturum, modo civium, ſubditorum, atque eorum, qui navigiis Venetis veherentur, indemnitati, atque incolumitati proſpiceretur, in poſterumque ab iis equites abſtinerent.* Franciſcus Vargas, Cæſaris legatus, quod equites in Caroli clientela eſſe diceret, ut Alliatæ poſtulatis ſatisfaceret, quæ ab eo dicta fuerant, repetitis, contendit; quibus Princeps vehementi adeo dicendi vi, atque argumentorum copia reſpondit, ut ſe ratione victum Vargas fateretur. Verum cum Senatus decreto Hieroſolymitani milites non acquieſcerent, ad Pauli Pontificis opem confugere, præcipue Puccio & Farneſio religionis protectoribus freti. Dominici Mauroceni in eo negotio diligentia, ac virtus enituit, qui ita cauſam Reipublicæ cum Pontifice egit, ut illius animum ratione flexerit. *Eo militum inſolentiam evaſiſſe, ut a juſto bello ad piraticam exercendam ſe traduxiſſent; naves amicæ Reipublicæ diripuiſſent; uſque in inſulæ Cretæ ſinus ſe intuliſſent; in Cydoniæ*

Hieroſolymitanorum equitum negotium Romæ diſcuſſum.

doniæ portu navigium intercepiſſent, bona aſportaſſent: his publica negotia, atque humanam ſocietatem dirimi, intuta maria navigantibus reddi, vectigalia, Reipublicæ nervos, ſuccidi, pacem interturbari: an non hæc graviora, atque acriora remedia exigerent? vel ex eo Reipublicæ proclinatam in omnes voluntatem dignoſci, quod proventus tantum, quibus damna ſarcirentur, uti alias factum fuerat, retinuiſſet. Pontifici, quæ legatus adduceret, probabantur; unum illud conquerebatur, quod legem de redditibus eccleſiaſticis Senatus tuliſſet. Verum neque id indiſcuſſum Maurocenus prætermiſit: *non de privata, at de publica re agi; ejuſmodi negotia inter Principes agitari conſueviſſe, publicas injurias publico decreto ſarciendas: Julium quoque Pontificem Maximum ejus generis Senatus decreta probaſſe.* His Paulus adductus ordinis apud ſe legato, ut Magiſtro ſcriberet, præcepit, ne Veneta navigia ſcrutari, Reipublicæ maria excurrere, neu litoribus adnavigare, aut in Venetos portus ſe inferre militibus permitteret. Pecunia ex proventibus in ærarium coacta, omnibus, qui damna perpeſſi fuerant, conſultum eſt. 1555

Hieroſolymitanorum Equitum origo & acta.

Sed quoniam ſæpius de Hieroſolymitanis militibus ſermo incidit, non abs re fore arbitror, ſi de eorum origine, atque inſtitutis nonnulla proferam. Poſtquam Romani imperii moles in immenſum fere aucta, ſuo pondere deprimi, & vel Principum negligentia, vel diſciplinæ militaris ſtudio neglecto, collabi cœpit (quod potiſſimum Heraclii temporibus contigit) Hieroſolymorum regnum cum Syria, atque Aegypto in Perſarum poteſtatem non abſque ingenti chriſtianæ religionis jactura conceſſit; quod divinis humanæ redemptionis myſteriis inſignia, atque eximio cultu, ac pietatis obſequiis veneranda loca, ad quæ ex cunctis orbis partibus invifenda infinitus prope mortalium numerus confluebat, impii homines, ac veræ religionis hoſtes occupaſſent. In Solymorum tamen civitate licet oppreſſa adhuc Chriſtiani degebant, cum barbari ex quatuor illius regionibus unam, in qua Servatoris ſepulchrum viſitur, Chriſtianis conceſſiſſent, reliquas cum templo ipſi obtinerent. Neque deerant qui tum ex orientis, tum ex occidentis oris, vel religione tacti, vel negotiorum cauſa ſacroſanctam tellurem adirent. Ex Italis vero negotiatoribus, qui

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1555 qui Amalphim incolebant, cum peregrinas merces orientalibus antea non visas conveherent, gentis benevolentiam, Regisque gratiam adeo sibi conciliaverunt, ut tutus ad illos aditus quocumque libuisset pateret. Ii domicilium sibi in urbe petiere. Locus in ea parte, quam reliqui Christiani habitabant, amplissimus designatur, negotiatorum ære pro foribus basilicæ Dominicæ resurrectionis, sub jactu fere lapidis, cœnobium perpetuæ Virgini Dei Genitrici Mariæ dicatum extruunt; nihil, quod vel ad cœnobitarum commodum, vel ad suæ gentis suscipiendos hospites attineat, prætermittunt; ex Italia Abbatem, ac monachos traducunt; a Latinorum institutione cœnobium *de Latina* dictum. Ad mulieres quoque excipiendas alterum cœnobium erigitur, ac Mariæ Magdalenæ inscribitur. Xenodochium præterea in eorum gratiam, qui, peregrinatione suscepta, cum ad sanctissima loca appulissent, egestate, ac calamitate conflictabantur, exædificatum, quibus victui, ac tegumento necessaria ab institutis cœnobiis suppeditabantur, Divo Joanni Baptistæ dicavere, quod ad eum sæpe locum Zacharias, magni Vatis pater, divina meditaturus accederet; vel, ut Wilhelmus Tyrius, metropolitanus Archiepiscopus, ac regni Hierosolymitani cancellarius, scriptum reliquit, divo Joanni, qui genere Cyprius, cum Alexandriæ Patriarcha, Phoca Imperatore, creatus esset, quod omnia sua liberaliter pauperibus largiretur, Misericordis, sive Eleemosinarii nomen est sortitus. Utcumque se res habeat, satis constat, in celeberrima Godefridi expeditione Gerardum ejus xenodochii magistrum cum sociis nonnullis anno circiter centesimo supra millesimum, amictum, ac ritum, quo nunc ejus ordinis milites utuntur, primum suscepisse. Id institutum a Hierosolymitano Patriarcha, ac Pontifice Maximo probatum, brevi adeo coaluit, ut viri nobilitate insignes ex longinquis provinciis religionis causa Hierosolymam accedentes, votis nuncupatis, cum religionis christianæ hostibus irreconciliabiles, perpetuasque inimicitias habituri, illi se se adjunxerint, ingentesque opes Principum liberalitate sint consecuti; Reges Hierosolymitani eorum virtuti arces, atque oppida limitanea tuenda commendaverint. Verum Christianorum rebus in Syria nutantibus, Hierosolymis a Saladino Turcarum Principe captis,

captis, Tyrum, & Ptolemaidam se se equites recepere, quæ 1555
loca diu adversus barbarorum impetus egregie sunt tutati.

Tandem cum Syria omnis in Turcarum potestatem venisset, Rhodum, clarissimam mediterranei maris insulam, anno M. CCC. VIII. Wilhelmo Villareto duce, vi occupavere. Inde Rhodiorum nomen sortiti, per annos ducentos ac quatuordecim eam insulam, sæpius Turcarum ingentibus copiis profligatis, retinuere, ut propugnaculi instar barbaris Rhodus opposita, classibus Europam invadendi facultatem ademisse videretur. Donec Suleimanus immensis viribus terra, marique aggressus, militibus per aliquot menses ingentes belli conatus sustinentibus, tandem occupavit; cum ob Christianorum Principum dissidia auxiliorum spe destituti, atque ad extrema redacti civitatem dedere (uti superioribus libris scripsimus) coacti fuissent. Rhodo amissa, Melitam Caroli Imperatoris liberalitate inhabitandam suscepere, quæ in mediterraneo mari inter Numidiam, & Siciliam sita est. Leptis quoque, quæ *Tripolis* dicitur, in Numidia adjecta. Verum hæc paucis ante annis a Turcis occupata fuerat: Melitam peregregio opere munitam ad hæc usque nostra tempora acerrime tuentur, Suleimanique præfectum Pialim prævalida classe, atque immenso prope apparatu invadentem anno M. D. LXV. summa cum virtutis, ac fortitudinis laude repulere. Ex iis profectus initiis per annorum series hucusque se Hierosolymitanus, vel sancti Joannis ordo extulit, ex quo complures viros fortes, atque egregios effluxisse nemini dubium est; licet mutata temporum conditione, sæpius præpotentes Turcarum vires minuris lacessentes præliis, infensiores Christianis reddendo, in eorum exitium incitaverint, atque a priscis legibus nonnunquam deflectentes, religionis decus, avaritiæ ac lucri sordibus aspersérint.

Primarium hunc, atque antiquitate potiorem ordinem duo post Syriam, ac Hierosolymorum regnum sacro Christianorum fœdere recuperatum, sunt consecuti: Templariorum alter, cujus novem viri auctores fuere, qui terrenis omnibus proculcatis atque abjectis, Christo Deo se mancipavint, castitatem, obedientiam, communemque victum professi. Principes hujus instituti Hugo de Paganis, & Gaufredus de Sancto Aldemaro

Templariorum equitum institutio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1555 ro fuere. His certa ſede carentibus, Rex in ſuis ampliſſimis ædibus, quæ prope templum, unde nomen ſortiti ſunt, ſitæ erant, degere permiſit: certa, quibus viverent cum temporaria, tum perpetua ab eo, ac Patriarcha beneficia tributa, ut itinera tuta peregrinis redderent, & latrones, ac graſſatores pro viribus inſectarentur. Novem annorum ſpatio cum in eo inſtituto perſeveraſſent, anno M. C. XXII. Honorii Pontificis Maximi, ac Stephani Patriarchæ auctoritate ordinis formula eſt conſtituta, albus amictus aſſignatus; mox Eugenii Pontificis tempeſtate rubra crux addita. Res inde Templariorum in immenſum crevere, immanes congeſtæ Chriſtianorum pietate, ac munificentia opes, quamplurima oppida addita, magiſtratus creati, cum certa pecuniæ vis quotannis in peregrinorum ſubſidium ab iis Hieroſolymam mitteretur. Verum ex optimis initiis peſſima exempla oborta exitium ordini attulere. Anno M. CCC. XII. a Clemente V. ſublatus, bona magna ex parte divi Joannis militibus attributa. Alteri ordini ex ambobus mixto, quod hoſpitio exciperet, & pro religione armis decertaret, vir Theutonicus initium dedit, qui poſt Hieroſolymam receptam in propriis ædibus Patriarchæ auctoritate divæ Genitricis Virginis ſacello conſtituto, Germanis ſacra inviſentibus loca, xenodochium inſtituit. Hunc quoque inſignes plerique viri ſumpto cum atra cruce candenti amictu, nobilitarunt. Hi, Hieroſolymis amiſſis, in patriam reverſi, a Sarmatis vocati, ut eis contra irruentes barbaros auxilio eſſent, Pruſſiam, chriſtianæ religionis hoſtibus pulſis, occupavere. Atque is ordo, licet Pruſſia amiſſa, viget adhuc, Maximilianumque, Rodulphi Cæſaris fratrem, Magiſtrum temporibus noſtris obtinuit.

Theutonicorũ Equitum origo.

Paulus Pont. infenſus in Cæſarem.

Ceterum diſſidia inter Paulum Pontificem, ac Cæſarem Philippumque filium novos in Italia tumultus concivere. Ea licet tunc primum ſuboriri viderentur, jamdiu tamen etiam animis erupere, cum varias ob cauſas utrinque odiorum occulta ſemina alerentur, quæ jacta fuiſſe plerique dicerent, cum a Leone Decimo Sedis Apoſtolicæ nuntius ad colligendum beati Petri vectigal in Britanniam Caraffa miſſus, legatione perfunctus, in Belgium ad Cæſarem profectus, eumque in Hiſpaniam proſecutus, ſua opera, ſi qua in re poſſet, delata, repulſam tuliſſet. Aucta vero, cum a Paulo tertio ad Neapoli-

politanum archiepiſcopatum evectus, tamquam nimium Gallicarum partium ſtudioſus, poſſeſſione diu excluſus juſſu Cæſaris fuiſſet. Ad hæc ex ſuis cognatis, ac propinquis nonnullos exilio mulctaſſe; alios levibus ſuſpicionibus adductum obtruncari juſſiſſe, ajebat; atque, quod minime ferendum arbitrabatur, ea Caroli mandata potiſſimum fuere, quibus legatis jubebatur, ut alios quoſvis potius, quam ſe Pontificem Maximum renuntiari paterentur. Par quoque odium in Cæſare vigebat, quod rebus ſemper ſuis, atque conſiliis adverſum Cardinalem Caraffam expertus eſſet. Ob id vero mirum in modum in eum Carolus, ac Philippus exarſere, quod cum illum, uti novæ Jeſu ſocietati adſcriptum, in quam Julius quoque Pontifex Maximus, ac complures e Cardinalium Collegio nomen dederant, Hieroſolymitanus eques conveniſſet, nomenque ſuum, ut ſcripto apponeret, atque cuidam decreto ſubſcriberet, petiiſſet, ipſe elate nimium Philippi Regis ſubſcribendi locum præripuit. Admirante equite, atque non ei talem deberi locum dicente: *Immo vero*, Caraffa inquit, *mihi maxime debetur, cum Decani inter Cardinales gradum obtineam; ac ſi Cardinales Regi æquiparantur; Decanus vero cunctos Cardinales antecellit: cur non ego Regem antevertam, Philippum præſertim nondum diademate aliquo redimitum?* Hoc facto, ut par erat, vehementer Reges commoti perhibentur.

1555

Verum quæ mentibus condebantur haud difficulter in apertum prodiere: nam cum Cæſareani ſibi ſecreto Sanctæ Floræ Comites adjunxiſſent, quod ab Henrici amicitia abſtractis, Gallorum vires magnam in Hetruria jacturam facturas ſperarent, Carolus Sfortia Galliæ Ciſalpinæ, uti vocant, *Prior*, qui Henrico bello Senenſi militaverat, atque binas e Gallia diſcedens in Maſilienſi portu triremes reliquerat, ut illas abduceret, ſimulatione obtectas ad Henricum literas mittit: rogat, ut, reſtitutis triremibus, aſſueta ſtipendia facere permittat. Annuente Rege, Nicolaus Alamannus præfectus cum iis Centumcellas contendit. Prior triremes Alexandro fratri ſuæmeræ Apoſtolicæ clerico, ab Alamanno tradi jubet. Illo abſente, reddere recuſanti, nihil Alexander veritus, quod in ditionis pontificiæ ſtatione conſiſterent, vim parat: abducere e portu, Alamanno contradicente, ac repugnante, conatur.

Sanctæ Floræ Comites ad partes Cæſaris accedunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1555 tur. Nicolaus illatas in Ecclesiæ ditionibus Henrico injurias conquestus, discessum inhiberi a Petro Capuano Centumcellensi præfecto impetravit. His statim Romam ad Sanctiflorium Cardinalem delatis, inscio Pontifice, per Joannem Franciscum Lotinum Volaterranum, quem a secretis habebat, a Joanne Montorii Comite, Pontificis fratris filio, callide expressit, ut statim præfecto mandaret, triremibus abitum permitteret, neque se Regum negotiis immisceret. Itaque Alexander, statim Cajetam, inde Neapolim triremibus deductis, amice, ac liberaliter a Prorege Bernardino Mendozzio, & Auria, Hispanicæ classis præfecto, exceptus est. Ea re, quod violatos Ecclesiæ portus, nullamque suæ dignitatis habitam rationem diceret, Pontifex mirifice exarsit, statimque in carcerem Lotinum conjici, Alexandrum Sfortiam, gravissimis indictis pœnis, triremes reducere Centumcellas jubet. Idem Cardinali, ut curet, præcipit, qui ira æstuantem Pauli animum mollire adnixus, illarum reditum, uti concupiverat, obtinere nequiit. Dum gravissimas interea minas Pontifex intentaret, ni monitis, ac mandatis Sanctiflorii parerent, in eos acerba quæque exempla editurum; Cardinalis autem Caraffa Guidonem Ascanium Cardinalem ad se vocatum in Hadriani arcem custodiendum misit; quæ res effecit, ut e carcere liberandi fratris causa Sanctiflorius Comes, qui Cosmi Hetruriæ Ducis exercitui præerat, ab Hispanis enixe contenderet, ut triremes restituerentur; quod tandem factum est.

Alexander Sfortia callide e Centumcellæ portu Sfortianas triremes abducit.

Pauli Pontif in Sfortianos minæ.

Guido Ascanius custodiam in Hadrianam molem missus.

Sfortianæ triremes in Pontificias ditiones perductæ.

Hæc mutui odii, & simultatum initia magna quoque inde incrementa susceperе, quod ei nuntiatum esset, Cæsareanæ factionis principes modo apud Cardinalem quem dicunt *Camerarium*, modo apud Marcum Antonium Columnam in eum colloquia clandestina serere; Lotinumque a Cardinali ad Cæsarem missum, ut de tota ratione, & exitu comitiorum, in quibus multa adversus leges acta fuissent, illum doceret. Insidias quoque sibi parari crebris sermonibus usurpabat, cum incensum per se animum in dies magis Carolus Caraffa, Cardinalis nepos, juvenis acer, in militiam potius quam in sacerdotium propensus, atque in primis Cæsareanis infensus, inflammaret. Itaque Paulus cohortes conscribi, custodes corporis augeri

1555 geri jubet; Cardinalem quem *Camerarium* vocant, & Camillum Columnam in Hadriani molem trudi imperat. Alexandro Sfortiæ absenti sacerdotium adimit; Marcum Antonium Neapolim profectum in judicium vocat; Julianum Cæsarinum, atque Ascanium Cornæum, datis vadibus, urbis exitu prohibet. Eodem tempore quammaximam potest Italorum militum manum cogit, Urbinati, pontificiarum copiarum imperatori, ut in suis ditionibus quatuor peditum millium delectum habeat, jubet, equites undique colligat. Jamque Romæ tria peditum millia aderant, quos, adjecta equitum manu, Antonio Caraffa duce, Palianum versus, Neapolitano regno finitimum Columnensium oppidum, contendere præcipit. Antonio adventanti Paliani incolæ, Marco Antonio Columna ab omnibus rebus imparato annuente, oppidum pontificiis dedere; exemplum alia castella subsecuta sunt. Antium (*Neptunum* hodie) in litore situm cepere; Bracianum ad Sabatinum lacum, Sanctiflorio Cardinali captivo permittente, præsidio militum imposito, occupavere. His haud dubium impendere Italiæ bellum videbatur, cum præsertim Avanzonius, Regis legatus, Arminiacus Cardinalis, Lansacius Pontificis animo novarum rerum consilia instillarent; gesta extollerent: unam ad ecclesiasticam dignitatem tuendam viam esse, si Cæsareanorum fastum atque elatos spiritus obtunderet: Christianissimum Regem pontificiæ dignitatis eximium vindicem, ac patronum habiturum, qui nulla pontificiam dignitatem labe infici paterétur, præpotentisque regni viribus præsentem opem laturum. Pontifex Carolo infensus, in animum Gallorum consilia demittere, aures pollicitis præbere, a Cardinali nepote impulli. Ob id Annibalem Oricellarium in Galliam mittit, qui Henricum ad Ecclesiæ, Pontificis, atque Caraffæ familiæ patrocinium suscipiendum hortetur: quidquid virium, quidquid ex Ecclesiæ ditionibus, vel ad bellum in Hetruria renovandum, vel ad Neapolitano regno inferendum peti possit, defert. Ardere enim, ut Neapolitani in Gallorum potestatem concederent, Caraffa Cardinalis optabat, atque (ut plerumque quæ maxime homines cupiunt, ea sibi facilia fore arbitrantur) suæ familiæ summam auctoritatem, ac vires, quantopere in Neapolitano regno, ac præcipue in Salentinis posset, extollere: complures propinquos, atque

Cardinalis Camerarius & Camillus Columna in custodiam dati.

Paulus Pont. in proceres Hispanicæ partis animadvertit, atque ad bellum se instruit.

Antonius Caraffa Columnensium ditiones occupat.

Galli Pontifici adversus Cæsarem concitant, Regis patrocinium promittunt.

Annibal Oricellarius Pontificis in Galliam missus, ad Neapolitanam expeditionem Regis suadendam.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1555 que affines magni nominis proceres multis ſibi nominibus adjunctos eſſe: incolis inviſum Hiſpanicum nomen: ad primum armorum, ac ſignorum Galliæ proſpectum a Cæſare Neapolitanos defecturos, ultroque Gallicum imperium ſubituros. Henricum, ne tantam præclare gerendæ rei opportunitatem omitteret, Italorum peditum, tormentorum, commeatuum magnam vim polliciti, adhortabantur; ut ſocios Venetos belli ſibi adſciſerent, magnis propoſitis præmiis, nitebantur; qui cum ingentem ex ea rerum perturbatione moleſtiam perciperent, Paulum ad ſaniora conſilia revocare licet fruſtra conati fuerant; cum improſperis Albani Ducis in Subalpinis eventis, pecuniæ inopia, Germanorum tumultibus, Ulpiano munito valde oppido a Gallis capto, auſus in dies majoreſque ſpiritus ſumeret; & quamvis de concordiæ aliqua ineunda ratione ageretur, nihil tamen confici potuerat.

Hiſpanorum in Subalpinis improſperi ſucceſſus.

Fœdus inter Paulum Pontificem & Henricum Regem.

Henricus vero ex diſſidiis inter Pontificem Maximum ac Cæſarem ſubortis peramplam ad res bene gerendas occaſionem minime prætermittendam ratus, Lotharingum, ac Turnonium Cardinales citatis itineribus cum mandatis pro fœdere ſanciendo Romam juſſit contendere. Neque difficile fuit infenſos animos mutuis fœderibus conjungere, quæ ſecreto ſub his conditionibus pacta fuere: *Ut pontificias ditiones, atque Caraffam familiam in clientelam Henricus ſuſciperet: exercitum Helvetiorum, ac Gallorum ad decem millia, haſtatos quadringentos, leviores equites mille ac ducentos in Italiam mitteret: Pontifex contra communi impenſa Italorum peditum decem millia conficeret; tormenta, apparatus, annonam, aliaque neceſſaria compararet: quingenta aureorum millia Romæ, aut Venetiis deponerentur, quorum Pontifex centum ac quinquaginta millia, Rex reliquum curaret: Bello aut Hetruria, aut regnum Neapolitanum peteretur; adeptum minori Henrici nato quadraginta aureorum millium penſione concederetur: Siciliæ quoque bellum, niſi gravi aliquo periculo Gallia laboraret, inferretur: Joanni Montorii Comiti in Neapolitano regno ditiones cum vigintiquinque aureorum millium annuis proventibus traderentur: Antonio Caraffæ quindecim millia tribuerentur: Eiſdem legibus in Inſubribus oppugnandis Pontifex teneretur: eorum imperium uni e Regis filiis, Delphino excepto, traderetur; quæ olim Eccleſiæ obve-*

obvenerant civitates, eas rurſus obtineret: Coſmus Florentia 1555
expelleretur; Senenſibus libertas reſtitueretur: Eccleſiæ fines citra Apenninum uſque ad Aternum amnem, trans ad Lyrim uſque extenderentur: Veneti in idfœdus, magnis propoſitis præmiis, allicerentur: Herculi Ferrariæ Duci ſupremum pontificiarum copiarum imperium deferretur: in Italiam ſummum copiarum præfectum, penes quem belli adminiſtrandi jus eſſet, ex inſignioribus unum proceribus Rex mitteret. Hæc ſumma fœderis capita erant, quibus Pontifex, ac Galli ſubſcripſere. Lanſacius ſtatim in Galliam, ut de ſingulis Henricum doceret, atque ad opus aggrediendum impelleret, mittitur.

Herculi Ferrariæ Duci ſupremum pontificiarum copiarum imperium defertur.

Dum hæc fiunt, Philippus Angliæ Rex ex Britannia in Belgium profectus, cunctas, quæ ad Burgundiæ principatum ſpectabant, provincias a Carolo patre libere Bruxellis accepit; cum vel rerum humanarum pertæſus, vel corporis ægritudine affectus Cæſar receptum in Hiſpaniam meditaretur. Reflantis enim fortunæ vim expertus, cum ingentem de ſua virtute, ac felicitate conceptam apud mortales opinionem ad Julium Carnicum fuga, Metenſium obſidio infauſte tentata corrupiſſent, ſecedere, atque e fluctibus in portum ſe ſe recipere ſtatuerat. Itaque Philippo filio Belgio, ac mox reliquis regnis, ac provinciis traditis, a graviſſimis curis, atque moleſtiis ſe ſubduxit. De Belgio ſibi tradito Philippus Venetos per literas, perque Vargam certiores fecit, qui ei tot provinciarum imperium ſunt gratulati. Interea Cæſareani ad bellum Pontifici inferendum neceſſaria ſedulo comparabant, ſi improviſo pontificias ditiones adorirentur, imparatumque offenderent, quas vellent illi leges impoſituros rati. Atque ut juſta induiſſe adverſus Paulum arma viderentur, illatas ab eo injurias conqueſti, immerito in Cæſarem, ac Philippum vetus effudiſſe odium prædicabant.

Philippus Rex Belgii poſſeſſionem a patre accipit.

Hiſpani ad bellum ſe inſtruunt.

Franciſcus vero Vargas in Patrum Collegio graviter admodum atque acerbe in Paulum invehebatur: *Quod Columnenſes, qui Cæſaris rebus favebant, in carcerem conjeciſſet; bona ademiſſet; oppida occupaſſet: copias cogeret; bellum adverſus Cæſarem pararet; nullis quamvis æquis concordiæ rationibus acquieſceret: jam totum ſe Gallis addixiſſe, Henrici potentem, & religionem in Cardinalium collegio extuliſſe, utpote qui amplifſimi regni vires, opes, ſe ipſum denique pro Eccleſia tuenda,*

Franciſci Vargæ apud Patres in Pontificem vehemens oratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1555 *atque augenda obtulisset; lapsum in suo regno religionis cultum restitui, duobus ab eo in Galliam theologis missis, contentus esset; totum de pace ineunda negotium sibi permisisset: ex his dignosci haud dubie posse, quam aversa Pontificis mens a Cæsare esset; incluſum pectore diu odium, atque inimicitias palam erumpere: senio jam confectum non recte sibi consulere: ab assentatoribus undique septum, a propinquis novarum rerum cupidis præcipitem agi; neque quid sibi, atque Ecclesiæ conduceret, satis prospicere. An vero arbitraretur, Cæsarem impune invadi posse, qui nullius unquam injurias perpessus, magnis viribus fultus, hostium suorum impetus semper retuderit, atque oppresserit? tot christianæ reipublicæ vulneribus illud quoque adjectum esse, ut ille, qui supremam in terris dignitatem esset adeptus, novos motus excitaret, atque Italiam vix ob præteritas clades spiritum ducentem rursus in easdem tempestates detruderet, non absque Dei Optimi Maximi imperscrutabili consilio, ut meritas de humanis sceleribus pœnas reposceret (quod alias sæpe contigisse memoria proditum est) ad honorum fastigium pravos Principes evehi.* Inde complura quoque prolocutus, quibus Paulum maledictis perstrinxit, quæcumque pararet, moliretur, vehementi oratione insectatus. Ad ea Princeps, summam ex Pontificis, ac Cæsaris controversiis Rempublicam molestiam capere, respondit, quod exitiosum, atque universæ reipublicæ christianæ defiendum bellum imminere animadverteret: in visceribus Italiæ incendium rursus excitari, quod singuli paulo ante extinguere annixi fuissent: nihil præstantius, nihil pace optabilius, quam Respublica semper concupiverit, omnique studio quæsiverit; erga Cæsarem ea mente, qua semper extiterit, optima nempe, atque egregia Senatum futurum.

M. D. LVI.

1556 *Lotharingi Cardinalis ad Venetos oratio.*

LOtharingus vero in Galliam rediens, Venetias accessit summis honoribus exceptus, Principe, ac Patribus Henrici nomine consalutatis, in hanc sententiam est loquutus; *Paulum, cum primum pontificatum iniisset, iis, quæ Gallis cum Hispanis negotia essent, se immiscere, ni prius de rerum*

rum statu edoceretur, noluisse; propterea certos homines, qui singula diligenter perquirerent, in Galliam misisse; se vero ut rerum præsentium statum Pontifici significaret, Romam ab Henrico proficisci jussum: Christiana pietate, eximia religione, optima in publicum bonum, cui noctes, diesque incumberet, Paulum mente esse; nulli infensum; ni ipse provocetur, neminem lacessere: penes Henricum pacis arbitrium, ac leges esse velle, quibus perturbatæ, atque afflictæ christianæ reipublicæ succurreret; hos præclaros orsus, hæc summis extollenda laudibus consilia a Cæsareanis perverti, qui graviter illum insectati, in Ecclesiæ ditionibus imperium ita exerceant, ut vix spiritum libere haurire sinant: jam eo elatos eorum spiritus evasisse, ut Pontifici Maximo, Christi Servatoris in terris vices gerenti, vastitatem atque exitium minentur; efficere Henricum non posse, quin majorum suorum vestigiis insistens exposcenti Pontifici opem ferat; in ea præsertim causa, quæ nulla majori vel honestate, vel æquitate nitatur: hæc omnia Reipublicæ quam summa benevolentia complecteretur, significare Regem voluisse, quo consiliorum, atque actionum suarum particeps fieret. Lotharingo a Senatu responsum; *Regi de propensa in Rempublicam voluntate ingentes se habere gratias; sperare, demptis controversiis, pacem, qua nihil universæ christianæ reipublicæ opportunius accidere ea tempestate possit, retentum iri; ex vetere instituto in ea vel conservanda, vel instauranda omne studium, ac curam se adhibuisse: idem Christianissimum, ac prudentissimum Regem facturum, sibi polliceri.*

Ceterum assiduis bellis, mutuisque cladibus non tam in Carolo, atque Henrico decertandi ardor restinctus, quam attritæ, ac prope exhaustæ vires erant, ut neque in militum stipendia pecunia suppeteret, neque bellorum diuturnitate summis incommodis afflictæ provinciæ subsidia conferre possent. Itaque Cameraci inter Cæsarem, Philippum filium, & Henricum Galliæ Regem in quinquennium induciæ pactæ fuerant, quibus ad pacem firmandam sterni iter posse videbatur, nisi gravioribus inter Summum Pontificem, ac Philippum dissidiis amplior sæviendi seges increvisset; Caraffa, atque aliis Pauli propinquis faces quotidie admoventibus, qui cum pactis in

1556 *Induciæ inter Cæsarem Philippum, & Henricum Reges Cameraci initæ.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 quinquennium induciis, de quibus tum rumores tantum diffipati erant, ſpes ſibi præreptas, atque ſucciſas pati æquo animo non poſſent, nihil non movebant, ut, quæcumque ex occulto fœdere teneretur Henricus, præſtaret. Neque vero minori angebantur metu, quod, Albano Duce e Subalpinis Neapolim profecto, ne quidpiam adverſus pontificias ditiones Hiſpani molirentur, pertimeſcerent. Henrici præconſultores in diverſas ſententias ſcindebantur. Equitum Magiſtro, provectæ ætatis viro, aſſiduo rerum uſu magnam virtutis opinionem nacto, Admirallio, atque aliis nonnullis proceribus, minime a pactis induciis recedendum videbatur; neque temporum conditionem expoſcere, ut in graviſſimi, ac periculoſi belli tempeſtates nullo operæ pretio rurſus ſe Henricus demitteret. Lotharingiæ vero Cardinalis, fratreſque, vivida juventa, militarique laude incenſi, obſtrictam Pontifici fidem præſtandam, neque præclaram illuſtrandi Gallici nominis opportunitatem prætermittendam rebantur: quorum conſiliis cum Henricus, ac Catharina uxor faciles aures præberent, novi belli ſemina jaciebantur. Caraffæ in pontificia oppida, atque urbes frumenta, & commeatus importabant; Romam munitiorem reddebant; quæ vel ad arces tuendas, vel ad hoſtes repellendos attinerent, a Petro Strozzio Pontificis juſſu curabantur.

Gallorum de Italicis rebus ſententiæ.

Sed inter hæc, cum de induciis Cameraci initis Romæ certi nuntii adveniſſent; neque ad belli ſumptus ſuſtinendos pares vires eſſent; complures miſſos facere milites coacti, neque pacis conditiones amplectebantur, neque prorſus conceptas ſpes abjicere poterant. In ea conſiliorum ambiguitate, ne penitus ſui muneris Pontifex oblitus videretur, Carolum Caraffam, ac Scipionem Rebibam Cardinales, alterum Lutetiam ad Henricum, alterum ad Carolum & Philippum in Belgium, legatos deſignat, qui pacem inter Reges ſanciendam curent. Atque haud multo poſt in Cardinalium collegio acerba quamplurima in Columnenſes exaggerat: *Quot ex ea familia prodirent, tot acerrimos Eccleſiæ inſecutores, atque hoſtes eſſe: an ea repeteret, quæ vel vetuſtis monumentis tradita, vel adhuc recenti obſignata in hominum mentibus memoria continerentur? quoties arma adverſus Romanos Pontifices induiſſent? quoties anathemate perculſi, atque diris devoti, quoties*

Carolus Caraffa & Rebiba Card. alter ad Cæſarem, alter ad Henricum a Pontif. mittuntur.

Paulus Pont. in Cardinalitii collegio in Columnenſes invehitur.

ties ditionibus, ac dignitatibus, quæ ab Eccleſia obtinuerant, exuti fuiſſent? An vetera recenſeret, necemque Bonifacio Octavo Summo Pontifici illatam commemoraret? Quis profecto eſset, cui nuper acceptas Romanæ urbis clades repetenti, ab Aſcanio, ac Pompejo Columna, Roma direpta, auguſtum divi Petri templum, ac ſacra Pontificis ſedes prædæ loco habitæ, Clemens in arce obſeſsus non objicerentur? Eoſdem cum Paulo Tertio, ac Julio Tertio inimicitias exercuiſſe; Marcum Antonium Cæſaris ſubnixum ope, patre ejecto, immania adverſus ſe ipſum, atque Eccleſiæ imperium meditatum. His, atque aliis adductum Columnenſes ditionibus exuere, anathemate plectere, atque perpetuo exilio mulctare decreviſſe. Itaque Marcum Antonium, atque Aſcanium patrem edicto vulgato anathemate perculit, honoribus, atque iis, quæ in ditionibus eccleſiaſticis oppida obtinebant, exutos, Eccleſiæ hoſtes, ac perduelles declaravit; eorum oppida Joanni Caraffæ, Comiti Montorii, nepoti ſuo, diplomate ea de re confecto, atque a Cardinalibus ſubſignato, principatus Paliani titulo addixit; pleriſque obloquentibus, maledictiſque ac probris Pauli nomen proſcindentibus, quod octogenarii ſenis, atque jam letho proximi conſilia non ad reipublicæ chriſtianæ utilitatem, ſed ad familiæ amplitudinem, propinquorumque opes dirigerentur. Miſerrima ſane vel ex eo Regum, ac Principum æſtimari conditio poteſt, qui non propria virtute, ac prudentia, ſed aliorum conſiliis nituntur; qui dum privatæ dignitati, ac commodis inhiant, ſuiſque rebus proſpiciunt, Principum majeſtatem produnt, eoſque populis inviſos in maximas ærumnas conjiciunt. Paulus Pontifex exacta ætate, innocentiæ, atque integritatis fama ad ſummam dignitatem evectus, ſuorum cupiditate, atque ambitione ad deterrima quæque compulſus, Italiam pene omnem ſubvertit, immanique belli incendio fere abſumpſit; cum interim adſentatores Paliani factum ſpecioſo nomine obtegerent: forti, ac Romanæ indolis amanti viro in Columnenſium oppidis conſtituto, ab iis perpetuo Columniam gentem excluſum, in poſterumque recuperandi facultatem ablatum iri. At vero Dux celebri pompa, inſignibus indutus, univerſo comitante populo, præ-

1556

Columnenſes a Pont. Anathemate percuſſi Eccleſiæ hoſtes declarantur.

Joanni Caraffæ principatus Paliani tribuitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 prætorianis cuſtodibus, ac levis armaturæ equitibus e Vaticano in Capitolium deductus, divinis ſolemni ritu celebratis interfuit. Neque hoc contentus Paulus, Antonium, Joannis fratrem, Montebelli oppidi; Diomedem, Joannis filium, Cavæ Marchiones creavit: ſtatimque Carolus Cardinalis, Joannes Dux, ac Petrus Strozzius Palianum cum muniendarum artium peritis ſe contulere, noviſque aggeribus, ac propugnaculis cingere decrevere; præſidiarios milites auxere; tormenta, commeatus convehi juſſere. Inde Caraffa Cardinalis triremibus Maſſiliam delatus, ad Henricum in Galliam, Petro Strozzio comitante, contendit. Rebiba quoque in Belgium iter arripuit. Hac legatorum profectione reſurgere denuo ſpes pacis, & eo, quo primum timore Italia perculſa fuerat, paulatim levari cœpit, cum nemini fere inducias inter Reges pactas abrumpi veriſimile videretur.

Caraffis honores & tituli a Pontifice delati.

Palianum a Pontificiis munitum.

Verum iis, quæ ad Palianum a pontificiis agebantur, quod inde ſibi ad Neapolitanum regnum invadendum aditum facerent, Hiſpani haud parum ſolicitabantur, cum ſimulatæ pacis tractandæ artes non amplius tegi poſſent; & Cardinalem ad Eccleſiæ, atque Caraffæ gentis patrocinium, uti pollicitus fuerat, ſuſcipiendum Henricum adhortatum fuiſſe conſtaret: cum pontificias ditiones ob pactas inducias hoſtibus objectas in maximo periculorum diſcrimine verſari diceret; Rebibamque legatum ab itinere in Belgium ſuſcepto ad ſe in Galliam vocaſſet; Herculi vero Ferrariæ Duci fœderatarum copiarum imperium delatum fuiſſe fama eſſet. Quibus nuntiis Philippus permotus, Ferdinando Alvareſio, Albæ Duci, in mandatis dat, ut, quammaximis Neapolitano in regno coactis copiis, aliiſque ex Hetruria, ac Subalpinis evocatis, per Campaniam pontificias ditiones invadens, Romam uſque profectus, vi, atque armis vel inſtante metu, vel periculi magnitudine Pontificis animos comprimat; a Gallorum amicitia ſejungat; Marco Antonio Columnæ Palianum oppidum reſtituendum curet; hæc quamcelerrime aggrediatur; Caroli, ac Petri Strozzii e Galliis reditum, Henricique ſubſidia antevertat. Ea dum Albanus ſedulo curat, Pontifex oppida regno Neapolitano objecta præſidiis auget; pecuniam undique colligit; Palianum tormentis, & commeatu firmat; Antium, Velitras, Anagniam mu-

Philippi Regis ad Albanum Ducem mandata de Pontificiis ditionibus invadendis.

muniri, urbis cuſtodias intentiori cura haberi jubet, Joanne Montorio, Paliani Duce, cui pontificiarum copiarum præfecturam tradiderat, ſingula adminiſtrante, qui Aſcanium Cornæum equitatus, Julianum Urſinum Italici peditatus præfectos creaverat. Per eos quoque dies Joanne Antonio Taſſio curſorum Magiſtro, ac Garzia Laſſo Vega, Regis legato, ob literas Tarracinæ interceptas, quibus Albanus Romam quamprimum ducere exercitum urgebatur, Romæ in carcerem conjectis, irarum cauſæ augebantur. Omnia in urbe tumultus plena; complures Cæſari favere; rem in celeritate poſitam eſſe affirmare. Coſmus Florentiæ Dux tria peditum millia, quæ ad Albanum mitteret, cogebat; ex Pedemontana regione, atque e Gallia Ciſalpina mille ac quingenti Hiſpani pedites; e Germania militum auxilia evocabantur.

1556 *Joannes Montorius Pontificiarum copiarum præfectus.*

Garzia Laſſus Vega, Hiſpanorum legatus, & curſorum magiſter in carcerem conjecti.

Pontifex, iis, quæ Hiſpani meditabantur, cognitis, jamque propediem armis controverſias dirimendas ratus, Antonium Caraffam, Montebelli Marchionem, ad Senatum mittit, qui de rerum ſtatu Patres doceat. Is, ab inito Pontificatu quæ cogitationes quæ conſilia Pauli fuerint, perſequitur: *Nihil illum vehementius concupiviſſe, quam ut catholicam religionem confirmaret; prolapſam diſciplinam reſtitueret; corruptos mores corrigeret; ad priſtinum nitorem, ac decus Eccleſiam revocaret: his præclaris, atque egregiis artibus Pontificem doctrina, ac pietate inſignem ſedulo incumbentem, atque in optimo curſu expedite ſanctiſſimorum Pontificum veſtigiis inſiſtentem, deturbatum, ac pene dejectum libidine, atque ambitione Hiſpanorum fuiſſe; qui veteri in illum odio incenſi, ipſis invitis, ſupremam dignitatem adeptum torvis oculis inſpicerent; variis injuriis affecto, demum bellum minitarentur; armaque in promptu, quibus Eccleſiæ ditiones aggrediantur, haberent. Quid enim ea commemoraret, quæ omnibus nota eſſent? portus Eccleſiæ violatos, triremes per vim abductas, perduelles receptos, multa occulto agitata, ex quibus qua invidia, quave rabie conciti Chriſti Servatoris in terris locum obtinentem inſequerentur, dignoſci poſſe; & nunc Albanum Ducem militem conſcribere, copias cogere, Germanos ad Apoſtolicæ Sedis atque adeo totius Italiæ exitium adcerſere. Quem enim lateat, Alpium clauſtris a præferoci gente, atque Italico nomini infenſa tranſmiſſis,*

Antonii Caraffæ, a Pont. ad Venetos miſſi, oratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 *sis, quot pericula nobilissima hæc provincia sit subitura? quem non permoveat religionis discrimen, gente, quæ, jamdiu priscis institutis relictis, novis se erroribus contaminavit, atque hæreseos detestabili labe coinquinavit, patenti Italiæ campo recepta, divina, humanaque omnia permixtum iri? his Pontificem religionis, ac pacis studio flagrantem vehementer turbari; eadem Reipublicæ religionis, ac pacis amantissimæ significare voluisse: petere, ne Germanis per Venetos fines iter in Italiam permittat; venientes vi repellat; neve eam pestem, ex qua tot mala libertati, ac religioni impendeant, Italicum solum ingredi patiatur.* Gravia imminentia hæc pericula Senatui erant, omnique studio pro Paulo, ac Philippo conciliandis connixus fuerat: sed Reipublicæ vetus institutum secutus, neque se permolesto immiscери bello, neque alicui se adjungere statuerat. Itaque Antonio significatur; *eas ob curas, quibus Pontifex premeretur, summo dolore Patres affici: Verum de concordia prorsus actum esse non arbitrari: pro Italica pace retinenda, & hactenus laborasse, & nihil in posterum ad eam conservandam prætermissuros: quod vero ad transitum Germanis intercludendum attineat, cum plures aditus sint, quibus e Germania in Venetas ditiones perveniatur, difficile arceri eos posse, multisque copiis, quæ modo in promptu non sint, opus esse; neque Rempublicam, quæ cum omnibus Principibus pacem servet, obsistere militibus pacate per suos fines transeuntibus consuevisse.* Atqui ut propensum in Pontificem, ejusque ditiones animum patefaceret, tres tormentarii pulveris myriadas Caraffæ Pauli nomine petenti Senatus concessit.

Paulus Pont. a Venetis postulat, ut transitum Germanis per suos fines non permittant.

Senatus responsum.

Martinus Alonsus Philippi ad Venetos orator. Francisci Vargæ, Hispani oratoris ad Venetos, oratio.

Eodem tempore Franciscus Vargas cum Martino Alonso, quem Philippus extra ordinem cum literis ad Senatum miserat, Patres adiit; atque ut erat magna dicendi vi, gravem orationem habuit, qua multa de Paulo conquestus, complura de bello Italico, de Regis causa est persecutus: *Pauli Pontificis animo alte acerrimum in Carolum, ac Philippum odium insedisse; quod multis ante argumentis cognitum, post initum pontificatum aperte erupisset; occulta cum Gallis fœdera adversus illos pepigisse: pacem ore sæpius præferre, pectore bellum alere; legatos pro pace ad Reges in speciem misisse, revera*

vera quo Henrici animus ad inducias infringendas a nepote incederetur. Cur enim mox Marcum Antonium Columnam damnasset? anathemate perculsum perduellem declarasset? oppida ademisset, propinquis suis tradidisset? Cur Garziam Lassum, quem ad illum Rex, ut de concordia ageret, designaverat, cur Joannem Antonium Tassum tetro carcere includi jussisset? an non ex his satis intelligi, quænam mens Pauli sit? bellumne, an pacem cum Rege malit? At vero si bello rursus Italia implicetur, ac pontificia cum Cæsareanis arma congrediantur, quot inde clades, quot pericula consecutura sint vix explicari dicendo potest; dum eodem tempore divina, atque humana cuncta turbari necesse sit. Id enim Paulus meditatur; in id incumbit, ut Gallorum exercitus in Italiam inducat, quibus Philippo, cui viribus par esse nequit, obsistat: neque quantis religionem periculis objiciat, animadvertit, quam inter bellorum tumultus, atque armorum strepitus elanguescere necesse sit. Non intelligit, belli sede in hac provincia constituta, cuncta militum libidini, atque avaritiæ objectum iri; scilicet id illi fixum est, si pares voluntati vires essent, Hispanos Italia pellere. Ob id Neapolitanum regnum Philippo adempturum minatur; atque ut institutum consilium perficere queat, quot velit Henricus, in Cardinalium Collegium cooptaturum pollicetur, ut eo defuncto, suarum partium Pontificem habeat. Ex his quis non intelligat, dissidiorum, ac schismatum materiam ali; dum is, qui communis omnium parens titulo, ac nomine censetur, in christianos Principes auctoritate abuti, atque armis sævire velit. Neque vero esse, quod quis Philippum arguat, qui arma ad se tuendum, non ad Pontificem oppugnandum induat: id insitum natura esse, ut omnes se resque suas tueantur; cum præsertim nemini de pietate, ac religione, quam sinceram, Catholicamque profitetur, Philippus concedat; & cum eodem Paulo Summo Pontifice sæpius egerit, ut, controversiis compositis, æquis conditionibus pacem amplecteretur. Nam quod conquerantur Regem Ecclesiæ perduelles fovere, ac tueri, nemini mirum videri debere, si eos, qui sua stipendia faciunt, deserere nolit. Quod vero addunt, hæresi infectas gentes in Italiam venturas, hujus rei culpam affingi Philippo non posse, qui non proferendi imperii cupiditate

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 *tate ductus, sed ut suas res tueatur, bellum suscipere cogitur: id potius iis esse tribuendum, qui ad arma capienda compulere. Nam quorum copiis utatur? nisi eorum, qui sibi subjecti sunt, qui sua regna, ac provincias incolunt: Gallos certe ea in re minime imitatus, qui Turcas ad Cæsarem oppugnandum sibi socios superioribus annis adjunxere: quamquam ad omnia extrema ingens necessitatis telum impellere solet. Neminem igitur vel parum propensi in Ecclesiam, aut religionem animi Philippum insimulare, vel imperii propagandi cupiditatis arguere debere, cum id unum quærat, ut illatas sibi injurias fortiter repellat. Quod vero postremum est, idem enuntiat, societatem Reipublicæ se petere, arctiori nexu cum illa adstringi cupere; quæcumque pollicitus fuerit, cumulate præstaturum: ob id Martinum Alonsum Venetias cum literis misisse, quibus illi perampla ad fœdus cum Republica sanciendum facultas permitteretur. Scire se fœdera nonnunquam ad alios invadendos; nonnunquam ad se ipsos ditionesque suas tuendas fieri: quamcumque inire Patres rationem velint, ab ea Regem, qui summa benevolentia Venetos complectatur, non discessurum.* Maximæ ob præclaram in Rempublicam significationem Philippo Senatusconsulto gratiæ actæ: at unum in pace præsidium hoc tempore collocandum esse, Senatum censere, adjectum est; pro eximio hoc bono retinendo, omne studium, operam, industriam adhibiturum.

Hispani Venetos arctiori fœdere sibi adstringere nituntur. Senatus responsum.

Interea Albanus Dux, ut justum Paulo bellum intulisse videretur, Julium Tolfium, Sancti Valentini Comitem, ad eum mittit, qui suum studium, atque obsequium, uti religionis Principi deferat; de iis, quæ in Cæsaris, ac Philippi beneficiarios, amicosque egerit, conqueratur; in urbe, atque oppidis hostes, ac perduelles exceptos; publicos homines indicta causa in vincula conjectos; tabellarios captos; resignatas literas; gravibus injuriis Reges affectos, quin vehementer commoveantur, de iis repellendis cogitarent, efficere non posse. Pontifex, re ad Cardinalium collegium deducta, mox Julio vocato, in Cæsareanos acriter invectus, Dominicum Nigrum ad Albanum Ducem cum mandatis se misisse inquit: *contra jus bellum sibi Philippum inferre: ceterum nullis minis, periculisve deterritum, gravia quæque, atque acerba passurum, ne-*

Julius Tolfius ab Albano Duce ad Pontificem mittitur.

1556 *neque pontificiæ dignitati, aut Apostolicæ sedi ulla in parte defuturum: esse Deum malorum vindicem, a quo se christiano gregi custodem datum sciret.*

Albanus, Dominico Nigro perhonorificis verbis excepto, sed re infecta dimisso, totus in bellum intendit; ac ne arma adversus Pontificem Maximum, quem christiani Principes summis honoribus venerarentur, temere induisse videretur, Bernardinum Peccium Venetias mittit, qui causas, quæ Philippum Angliæ Regem ad id bellum suscipiendum adegissent, Senatui exponeret: *Invitum Catholicum Principem id consilii cepisse; multas, ac prægraves acceptas a Paulo contumelias diu tulisse; fœdera adversus ipsum cum Gallis icta; Colalumnenses acerbe multatos; legatos, jure gentium spreto, violatos; sæpius invitatum æquissimis conditionibus pacem renuisse: victam prudentissimi, ac humanissimi Regis patientiam, ut tandem vim armis depellendam statuerit: quocirca cum exercitu Albanum Romam contendere, hostium impetus antevertere, & bellum in alienam domum inferre decrevisse.* Jam septemb̃er mensis aderat, atque Prorex cum duodecim peditum millibus, sex gravioris armaturæ vexillis, mille ac ducentis levioribus equitibus e Neapolitani regni finibus pontificias ditiones ingressus, Pyrrho Offredo, qui bellum Paulo denunciaret, præmisso, Pontem Corvum, in Fregellarum vetustis munimentis situm, vi cepit; deinde Ceperanum, Ferentinum, Frusinonem, atque alia oppida in suam potestatem redegit, quæcumque caperet, ea se Ecclesiæ, & futuro Pontifici servaturum professus. Quo ferme tempore Gallica classe Carolus Cardinalis, ac Petrus Strozzius e Massilia Centumcellas delati, inde Romam, una cum Monlucio, ac Lansacio, aliisque Gallorum proceribus pervenere; in iis, quæ ad arma tractanda, atque ad urbem tuendam attinerent, sedulo incubuere.

Dominicus Niger a Pontifice ad Albanum Proregẽ missus. Bernardinus Peccius Neapolitani Proregis jussu Venetias proficiscitur.

Inter hæc Pontifex cum se in grave, ac periculosum bellum incidisse, in Venetisque, vel ad illud gerendum vires, vel ad concordiam ineundam summum auctoritatis pondus inesse intelligeret, utpote qui nuper in Italia Cæsareanorum incrementa suspecta haberent, atque pro pace retinenda summa semper cura, ac solicitudine adhibita fuissent, Joannem Fran-

Hispanorũ exercitus Pontificias ditiones invadit. Pyrrhus Offredus bellum Pontif. renuntiat. Pons Corvus & alia oppida ab Hispanis capta. Carolus Caraffa Card. cum Gallicis proceribus Centumcellas adhibitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 Franciſcum Commendonum, Zacynthi Antiſtitem, qui ab Senatu opem, atque auxilium expoſceret, Venetias mittere decrevit. Is, ſingulis, quæ ab inito Pauli pontificatu acciderant, commemoratis, Patres ad opem ei ferendam gravi, ac vehementi oratione eſt cohortatus. *Sive enim jus, atque æquitas, ſive religio, ſive majorum inſtituta, qui præclariſſimam hanc Rempublicam ſua virtute pepererant, atque auxerant; ſive præſens rerum ſtatus in conſilium adhiberentur, omnia Pontifici ſubveniendum eſſe, ſuadere. Quid enim æquius, quam ſummam in terris ſuſtinentem Dei Optimi Maximi majeſtatem injuſto bello laceſſitum tueri? ab atrociſſimis injuriis Sanctiſſimam Apoſtolorum ſedem vindicare? Paulum immerito armis vexatum; in urbe obſeſſum, eos, qui chriſtianum nomen profitentur non abſque indignatione, ac lachrymis inſpicere. Quis*, inquit, *erit harum rerum modus? Quouſque tandem ſe ſe iſtorum jactabit dominandi libido? Nam ſi in æquiſſimas pacis leges conſenſiſſent, non eo deventum eſſet, ut impia arma moverentur. At proculcare pontificiam majeſtatem volunt, leges indicere; quocumque eos veſana imperandi cupiditas rapit, eo per fas, atque nefas contendere. Neque vero nunc primum repente hæc conſilia iniere; ſed jamdiu hauſta retentaque pectoribus, uti ſæpius antea fecere, palam præſeferunt. An non ii ſunt, qui cum primis Italiæ dominatum affectent, nullam occaſionem, qua illorum opes, atque imperium in ea augerentur prætermiſere? Nam, ut Neapolitanos præteream, an non Inſubres, pro quibus acerrime ſæpius certatum eſt, vobis in primis nitentibus, ut Italo Mediolanenſe imperium Principi traderetur, ſibi arripuere? An non Florentinorum rempublicam oppreſſere? Ii ſane ſunt, qui ſuperioribus annis Placentiam occuparunt; Parmam oppugnarunt; ac nuper Octavium Farneſium illarum Ducem ſibi adjunxerunt; Senas in ſuam poteſtatem redegere. Ac veluti exiguæ illorum in Italia imperii acceſſiones forent, nunc pontificias ditiones adorti, Latium pene omne occuparunt, Romanam civitatem obſident, religionis Principem e ſede deturbare conantur. Tot undique Paulus anguſtiis ſeptus quoſnam imploret? quorum auxilium rebus ſuis nutantibus poſtulet, niſi eorum, quorum animis Pontificum Romanorum decus, Italiæ libertas ſem-*

Joan. Franciſcus Commendonus a Pont. Venetias miſſus.

Joannis Franciſci Comendoni, oratio.

ſemper infixa fuit? Quid enim catholicam religionem, cujus 1556
ſemper ſtudioſi fuiſtis; quam una cum imperio, ac libertate hauſiſtis, commemorem? pro qua arma in remotiſſimas regiones intuliſtis; ſanguinem ſæpius intrepide profudiſtis; & modo, prob dolor, colluvione perditorum hominum in hanc provinciam vocata, in diſcrimen adducitur, quo quid acerbius, quid gravius audiri, aut excogitari poteſt? Exigua hæc ne vobis ad opem Paulo Pontifici Optimo Maximo ferendam videntur incitamenta? An potius per ſe ſatis rerum magnitudine incendere, & pietate allicere debent? Res quoque veſtra agitur: niſi forte, armis univerſa circumſtrepente Italia, nulla vos publicarum calamitatum cura tangit: niſi vaſti iſtius, quod alitur, incendii flammas ad vos minime pervaſuras arbitramini; neque tot incrementis auctas, atque exaggeratas Cæſareanorum fortunas in veſtram perniciem coituras unquam exiſtimatis; cum majores veſtri nimium in hac provincia externorum efferentes ſe ſe vires, regnandique cupiditatem fœderibus coercere, & obtundere armis conati ſint, voſque ipſi nullis laboribus, nullis ſumptibus, ut decus, ac libertas hujus provinciæ retineretur, peperceritis. Cum igitur hæc tot, tantaque ſint, ut Reipublicæ veſtræ utilitas, religionis cauſa, pontificia dignitas agatur, quæ vos ad auxilia Paulo ferenda ſuadeant, quid oratione mea, quid ſuaſione opus eſt? Amplum terra, marique imperium obtinetis; claſſes vobis, atque copiæ adſunt; pecunia ſuppetit; ſumma veſtra apud omnes Principes auctoritas. Quid vel ad utilitatem præſtantius, vel ad gloriam propagandam illuſtrius, quam majorum virtute, veſtris laboribus congeſtas vires, atque opes ad Pontificis ſubſidium adhibere? Juſta, ac pia pro Apoſtolica ſede arma ſumere, vel auctoritate veſtra niti, ut ſubortæ controverſiæ, ac diſſidia tollantur, bellum ab Italiæ finibus arceatur. Pontificum Romanorum dignitas, ac vetus catholicæ religio retinetur? Hæc profecto Paulum facile a vobis conſecturum reor, dum majorum veſtrorum facta, atque inſtituta intueor, qui, ut in civium animis flammam virtutis alerent, reſplendiſſima comitiorum aula illuſtria exempla excellenti artificio expreſſa eſſe voluerunt; inter quæ veluti lumina illud egregie micat, quo Alexandrum tertium Pontificem Maximum recepiſtis, foviſtis,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 *viſtis, veſtris auxiliis, veſtris armis in priſtinum dignitatis locum reſtituiſtis, qua ex re ingentem apud cunctos mortales gloriam per omne ævum duraturam retuliſtis.*

Hæc diſerte, atque incredibili prope dicendi vi Commendonum enuntiaſſe publica monumenta produnt. Quibus permotus Senatus, ne, quod ad Paulum, ac Philippum conciliandos attineret, quidquam prætermitteret, Phœbum Capellam, a Secretis, ad Albanum Ducem in caſtra per diſpoſitos equos mittere ſtatuit, ut quacumque ratione poſſet, illum ad pacem Reipublicæ nomine hortaretur. Qui cum citato itinere Romam perveniſſet, Bernardo Naugerio legato negotio communicato, ſtatim ad Albanum Ducem tendit; propenſum in publicam pacem Senatus ſtudium in Summos Pontifices, quorum incolumitati, ac dignitati ſemper proſpexerit, obſervantiam patefacit: ſuadet *ne exortum incendium latius evagari permittat; arma ſiſtat; de concordia cogitet; ſperare, divino favente Numine, nuper obortas tempeſtates, pace Italiæ reſtituta, ſedatum iri.* Albanus, coactum ſe ad bellum deſcendiſſe, inquit: *quem enim fructum ex eo bello Philippus ferret? a pace, modo æquis conditionibus fieri queat, non abhorrere; rem omnem ex legati Veneti ſententia, cujus prudentiam optime noſſet, confecturum.* Per eos dies ſane a Philippo literæ ad ſuos ſcriptæ fuerant, quibus pacis negotium Venetis permittere, ſi minus inter pontificios ac Cæſareanos conveniret, in eoſdem conſentire judices jubebantur. Id cum multis de cauſis Senatui non placuiſſet, Phœbus, vel hominem ad Pontificem mittat, vel colloquio locum deſignet, Albano ſuadet. Sed cum nulla ratio inveniretur, qua exulceratis utrinque animis ſatisfieri poſſet, nec Pontifex Palianum deſerere, neque Cæſareani ullas, niſi eo relicto, vel penes ſequeſtros depoſito, conditiones admitterent, nullumque ad fidem ſervandam vinculum ſatis eſſe arbitrarentur; cum per aliquot dies Phœbus enixe, quæ in mandatis habuerat, perficere curaſſet, tandem irrito conatu Venetias reverſus eſt. Senatus, fruſtra Albani Ducis animo pertentato, denuo per legatos agit; Federico Baduario injungit, ut Carolo & Philippo filio ſuadeat, ne diutius bellum protrahi in Italia ſinant;

Phœbus Capella Senatus decreto ad Albanū Ducem miſſus.

Albani Ducis reſpoſum.

Phœbus Capella negotio infecto Venetias regreditur.

Senatus mãdata ad Federicum Baduariū oratorem de pace cum Carolo & Philippo tractanda.

nant; nonnihil de ſua contentione remittant; æquioribus legibus de concordia cum Pontifice tranſigant. Ii, ſe nihil magis cupere, quam ut bello neceſſario ſuſcepto finis imponatur, ſignificant. Eodem officii genere Paulus Theupolus cum Ferdinando Romanorum Rege perfungitur. 1556

Interea Albanus propius ad urbem accedit; Oſtiam adoritur, oppidum capit, arcem crebris verberationibus quaſſatam deditione recipit. Qua ex re ingens adeo terror Romam invaſit, ut cum annonæ inopia laborare cœpiſſet, de priſtino vigore, atque infracto, quem adhuc præſtiterant, animo Caraffæ dejicerentur. Itaque ad decem dierum inducias deventum eſt: inde Carolus Caraffa, ac Sanctiflorius Cardinalis in inſulam, quæ ſcindente ſe in duas partes Tiberi conficitur, medio inter utraque caſtra intervallo, Albanum Ducem convenere. Variis hinc atque inde agitatis, cum præcipuæ de Paliano controverſiæ exitus non inveniretur, Senis a Philippo Pontifici traditis, negotium componi poſſe, Caraffa dicente, cum ad id mandata ſe non habere Albanus diceret, induciæ in quadraginta dies prorogatæ ſunt, quo tempore Franciſcus Paceccus in Hiſpaniam ad Philippum proficiſceretur, ad quem totam rem Albanus rejecerat. Dum hæc fiunt, Henricus magnas in Gallia copias comparat; Helvetiorum auxilia evocat; ingentem exercitum mittere in Italiam ſtatuit, cui Guiſium Ducem e Lotharinga familia præficit; abſque fracti fœderis noxa arma pro Pontifice, quod induciis comprehenderetur, ſumi poſſe affirmans. Hercules quoque Ferrariæ Dux, qui hactenus ſua conſilia celaverat, delatum ſibi fœderatarum copiarum imperium ſuſcipit; levioris, atque gravioris armaturæ equites mittit; pedites ſedulo conſcribit.

Interea Caraffa Cardinalis, ſumma cum auctoritate Legati titulo, quem *de latere* vocant, Venetias acceſſit; a Principe, ac Senatoribus regia navi, cui *Bucentauri* vetuſtas nomen indidit, circumfuſa undique civitate, exceptus, ad Ferrarienſes ædes deductus eſt; mox in Principis, ac Patrum Collegio de præſenti rerum ſtatu copioſe verba fecit. *Duo Paulum Pontificem Maximum, poſtquam ſummum dignitatis faſtigium attigiſſet, ſibi propoſuiſſe; alterum, ut collapſam*

Oſtia ab Hiſpanis capta. Induciæ inter Pontif. & Hiſpanos.

Carolus Caraffa & Sãctiflorius Cardinalis Albanum Ducem conveniunt, inducias prorogant.

Franciſcus Paceccus in Hiſpaniam mittitur. Henrici Regis bellici apparatus. Guiſius Dux ad Italicum bellum deſignatus. Hercules Ferrariæ Dux fœderatarum copiarum imperium ſuſcipit.

Carolus Caraffa Cardinalis legatus Venetiis excipitur, & ejus officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 *ecclesiasticam disciplinam, ac mores restitueret, religionisque controversias, more majorum convocato concilio, dirimeret; alterum, ut dissidentes Regum animos firma pace connecteret: æquum se præstitisse patrem, illud præter cetera argumento esse, quod ex induciis in quinquennium pactis summam voluptatem percepisset, neque Ferrariensi Cardinali, ut Roma decederet, præcipere veritus fuisset. His præclaris initiis, ut plerumque in maximis rebus fit, summa impedimenta se se objecere: initium ab triremibus per vim e Centumcellensi portu Neapolim abductis factum; tumultus inde Columnensium subsecutos, quos dum Paulus, uti multorum criminum reos, justis plectere pœnis aggrederetur, Cæsareanos in suam clientelam receptos fovere, tueri, neque in eos ut animadverteret pati potuisse; Mox arma in illum sumpsisse; palam, atque clam petiisse: interceptos homines habere, qui Hispanorum insidias detexissent; ut interim veneficia, paratosque dolos silentio præteriret, tum quæ ab initio belli eo usque gesta fuissent. Quot Albani Ducis, quot pontificiæ copiæ essent, recensuit; Paulo ejusmodi non esse vires, ut diuturno bello sustinendo pares esse queant. De concordia sæpius agitatum, atque eo potissimum tempore, quo Senatus Phœbum Capellam Romam miserat; nihil definitum fuisse. Atque, ut reliqua* (inquit) *facile conficerentur, Palianum Columnensibus restituere, qui Paulus posset? an illatas Ecclesiæ injurias pessimo exemplo non ulciscì? an eo pontificiam dignitatem abjicere, ut beneficiarios, ac subjectos summis criminibus obstrictos, pœnisque obnoxios, per ludibrium sibi insultantes ferat? Eam ob rem quod summopere Paulus concupiverat, ut bello injuste illato finis imponeretur, effici nequivisse.*

His atque aliis decimo kal. januarii coram Principe, ac Patribus enunciatis, alium sibi diem Caraffa ad Pontificis mandata exponenda deposcit. Et quoniam natalitiis festis publicis negotiis interdictum erat, sexto kalen. januarii secretius collegium adiens, literas ad Decemvirum magistros exhibuit. Earum summa hæc erat. Legatum illum *de latere* ad Rempublicam atque alios Italos Principes a Paulo Summo Pontifice designatum, ut bellum, quo Ecclesia premeretur, amovendum,

Pauli Pontificis literæ ad Venetos.

at-

atque avertendum curaret. Alteras insuper addidit, quibus 1556
fœdera cum Venetis, atque aliis Italiæ Principibus quibuscumque sibi conditionibus videretur ineundi facultas permittebatur.

His perlectis, ad societatem cum Pontifice ineundam Patres hortatur. *Summis votis expetendam occasionem oblatam esse, qua & in tuenda Ecclesia, Pontificiaque auctoritate, cujus semper majorum exemplis incitati studiosissimi fuissent, nunquam intermorituram laudem consequerentur; atque eodem tempore imperii propagandi egregiam facultatem arriperent. Quis enim ambigeret, pontificiis, ac Venetis conjunctis viribus; Henrico insita Gallorum Regibus virtute ac pietate accedente; quin omnia prospera eventura sint? ac facile Italia Hispanos pelli, atque huic nobilissimæ provinciæ, quæ gravi superbæ, atque avaræ gentis dominatu premitur, pristinum decus restitui posse? Inspicerent Neapolitanos illis parere; Insubribus dominari; Florentinis compedes injectos; Parmæ, ac Placentiæ urbes, Octavio Farnesio ad partes pertracto, sui juris factas; Senenses libertate exutos: modo religionis caput petere, oppida Ecclesiæ occupasse, nuper Ostiam urbi Romæ hærentem cepisse: ni tot incrementis, atque inexplebili dominandi potentiæ obsisteretur, brevi ad reliquos quoque eam contagem pervasuram. Ecclesiasticas ditiones diripi, turbari, capi non posse, quin eodem velut attactu res Venetæ afficerentur: unum id, Pontificem, ac Venetos, firmissimum veluti aggerem sibi objectum obsistere; si Pontificem offenderint, si bello lacessitum in summas angustias redegerint, quæve juris sui sunt occupaverint, quis dubitet eos sibi gradum ad Rempublicam oppugnandam facturos? Cuncta itaque ad fœdus solicitare, atque impellere; summam sibi illius persuadendi a Paulo auctoritatem delatam: animum tantummodo ad societatem ineundam adjicerent, non vereri, ne facillime res ad exitum perducatur: non verbis agendum propositos; habere quas Reipublicæ diu exoptatas Flaminiæ civitates, Cerviam nempe, ac Ravennam tradat: eas statim, Pontifice ita jubente, concessurum, donec Apuliæ portus, atque Abduam Adriæ in Reipublicæ potestatem concedant. Ac si quis exactam Pontificis octogesimum primum annum attingentis ætatem objiciat, tot ex Senatus voluntate in Cardinalium Collegium cooptaturum, quot ad alium*

Caroli Caraffæ Cardin. oratio ad Venetos habita.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1556 *Pontificem, Paulo defuncto, creandum ſufficiant, polliceri. Ea tanti eſſe, ut juſtam imperii propagandi opportunitatem nunquam Reipublicæ laxiore ſinu fortunam explicuiſſe arbitraretur.*

Hæc ſumma Caraffæ orationis capita fuere, quæ inſequenti die Lodevenſis Antiſtes, Henrici legatus, haud abſimili ſermone eſt ſubſecutus. *Non amplius de bello, ad quod omnia jam ſedulo compararentur, ambigi poſſe; Henricum cum exercitu quamprimum Alpes tranſgreſſurum: ſpes omnes de pace prorſus abjectas; nil niſi bellum Pontificem, ac nepotem meditari: peramplam amplificandæ Reipublicæ opportunitatem adeſſe, quæ ſtatim duabus præcipuis urbibus, pro quibus diu dimicaverat, ſibi adjectis, laboram antecapere præmium poſſet: nullum ſibi ex ſuſceptis moleſtiis, ac ſumptibus fructum a Rege peti; amplam nimium adeptum mercedem, ſi Cæſareani Italia pellantur, exiſtimaturum: nullum in ea imperium, nullas urbes, aut oppida ſibi depoſcere: Neapolitanis Regem, Inſubribus Ducem filios daturum, qui, regno Galliarum relicto, in Italico ſolo coaleſcant: eos quoque, ſi ita Senatui libuiſſet, Venetiis educatum miſſurum. Suadere igitur, hortari, ne tantæ rei præclare gerendæ tempus elabi paterentur.* Iis, quæ a Caraffa Cardinali, Galloque oratore enunciata fuerant, mature perpenſis; omnem proferendi imperii cupiditatem, inſitoſque humanis animis affectus prudentia, ac ratione cohibendos, nullis propoſitis præmiis, ab iis, quibus per multos annos Rempublicam adminiſtraverant, conſiliis recedendum Patres arbitrabantur; uſu ipſo, ac rerum experientia docti quanta ex Italico ſemel bello ſuſcepto pericula, quot ſumptus, quot labores ſubeundi forent; præſentem rerum ſtatum, modo is pace, ac concordia retineri poſſet, incertus belli eventus, quibus per ſummum ludibrium fortuna abuteretur, anteferendum rati. Coacto itaque Senatu, ut Caraffæ reſponderetur latum eſt. *Poſt ea diſſidia, quæ inter Paulum Summum Pontificem, & Cæſarem ac Philippum exorta fuerant, cum nihil bello acerbius Italiæ accidere poſſe Senatus animadverteret, quidquid officiis, quidquid auctoritate potuiſſet, id omne ſummo ſtudio ad concordiam contuliſſe: in eadem quoque ſententia manen-*

Senatus ad Pontif. legatum reſponſum.

nentem nihil, quod efficere, aut excogitare poſſit ad pacem revocandam, prætermiſſurum. Ceterum antequam de ineundis fœderibus ageretur, Cæſaris, ac Philippi Regis reſponſum expectari oportere, ne præpropera tractatione abruptum, ac recipiſcum pacis negotium videretur. Decreto, ut moris eſt, Cardinali perlecto, cum parumper ſubſtitiſſet, *Cupere ſe*, inquit, *quænam de iis, quæ attulerit, Senatus ſententia ſit, intimius pernoſcere: nam quod ad pacem attineret, pro certo habere, e Pontificis dignitate nihil Cæſareanos agi paſſuros; immo cuncta ad bellum conſilia adhibituros: ne itaque verborum ambitu uterentur, ſed ſingillatim in iis, quæ Pauli nomine fuerat prolocutus, Senatus voluntatem apertius ſignificarent.* Cum vero tertio kal. januarii factum Senatuſconſultum, Cardinali poſtridie ejus diei perlegeretur, quod eo tempore novi Præconſultores creantur, res in januarium menſem, anni inſequentis rejecta eſt. 1556

Franciſci Venerii Principis obitus.

Eo anno Franciſcus Venerius, cum principatum in Republica annum ac menſes undecim geſſiſſet, quarto nonas junias migravit e vita: ad Servatoris templum delatus, poſtea a Petro fratre egregii Mauſolei honore decoratus eſt. Comitiis ex lege habitis, Philippo Trono, Stephano Theupolo, Thoma Contareno Marciis Procuratoribus ad ſummæ dignitatis faſtigium nitentibus, prætermiſſis, Laurentius Priolus nondum in id Collegium cooptatus, quod raro accidit, decimoſeptimo kal. julii ſuffectus eſt. Peſtilentiæ quoque lues per urbem graſſata, complures, ac præcipue infimæ plebis homines abſumpſit; quæ per contagem effuſa, ni a magiſtratu ſaluti præfecto opportunis remediis fuiſſet compreſſa, artus pervagata, ingentem cladem editura videbatur. At ægrotorum congreſſu, ac ſupellectile ſe abſtinere, cœtus, ac turbas hominum evitare, illa demum ingruenti malo ſalutaria fuere; multis in vicinos agros, villaſque circumjectas, relicta urbe, donec morbus deſæviret, migrantibus. Peſtilentiæ annonæ caritas comes fuit, cum acerrimi morbi metu frumentis, atque aliis, quæ in vitæ uſus neceſſaria ſunt, importandis mortales deterrerentur. Quæ res præter cetera legi occaſionem dedit, qua cautum eſt, ut neglecta, vel ſtagnantium aquarum alluvione, vel limo, ac junco inculta loca in poſterum cultu adhibito, producendis

Laurentius Priolus Dux legitur. Peſtilentiæ peſte & inopia vexata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1557 lis animadverterent. Itaque quod in re præsenti poterant, equitatum comparabant, pedites Italos cogebant. Cum in militibus Hispanis, atque Germanis, qui in oppidis erant, seditione militari tactis, castrorum disciplina, atque erga duces obedientia elanguisset, novos in Germania delectus haberi Philippus jusserat. Madrutius vero, atque Aternus, quo expeditiori itinere milites uterentur, Alexandrum Vicecomitem Venetias misere, qui cum Varga legato per Reipublicæ fines transeundi octo Germanorum peditum millibus, mille ac ducentis equitibus, trecentisque jumentis ad subvehenda tormenta facultatem peteret; quæ ultro a Senatu concessa est. Cosmus quoque, Florentiæ Dux, quod latos cum pontificiis ditionibus fines haberet, Gallorumque arma vereretur, majoribus præsidiis res suas egere ratus, quatuor peditum millibus, ac quadringentis cataphractis equitibus e Germania accersitis, copiam per Venetas ditiones itineris faciundi a Patribus impetravit. Cumque per eos dies Gallos equites in Italiam per Rhætos in Camonicam vallem, quæ Veneti imperii est, venturos nuntiaretur, Brixiæ, ac Bergomi magistratibus, quæ in ea re voluntas Senatus esset, poscentibus, aditum iis liborum permitti jussum: neque enim Senatui, in neutram partem propendenti, iis intercludi itinera e republica esse videbatur. At Paulus, quod suis hostibus per Reipublicæ fines iter Veneti permisissent, moleste adeo tulisse visus est, ut per aliquot dies Bernardum Naugerium legatum admittere noluerit, quem mox, animi repentino impetu, ac veluti ardore restincto, perhumaniter excepit; ac deinde per Commendonum Episcopum quatuor Helvetiorum millibus transitum petenti satis a Senatu factum est. Dum vero arma, ac milites tota Italia cogerentur, ut suis rebus Senatus consuleret, peditatum, atque cataphractorum equitatum augeri, trecentis ac triginta levioris armaturæ equitibus, centum ac quinquaginta adjici, qui numerum quingentorum conficerent, decrevit; centum aureorum millibus in ærarium congestis, ut urbes, atque oppida munitiora redderentur, sancivit. Legatus summa cum auctoritate Thomas Contarenus in continentem missus, ne detrimenti aliquid Respublica caperet, sedulo prospicere, ac curare jussus.

Alexander Vicecomes transitum Germanorũ militum per Reipublicæ fines obtinet.

Senatus Cosmo Florentiæ Duci Germanorũ militum transitum concedit. Helvetiis a Pontificiis delectis transitus a Venetis concessus.

Veneti numerum militum augent. Thomas Contarenus legatus cum imperio in continenti eligitur.

Jam

1557 Jam ad Augustam Taurinorum Gallorum copiæ ad decem & octo peditum, equitum tria millia convenerant, atque Duria amne trajecto, arrepto in Insubres itinere, Valentiam primum illius regionis oppidum adorti, deditione recepere: inde Zanaro superato, per Derthonenses Regium Lepidi, in Ferrarienssium finibus oppidum, contendere, ubi Hercules cum quinque Italorum peditum millibus, equitum gravioris ac levioris armaturæ manu Gallos præstolabatur, atque Corregium aggressus, metu, ad deditionem compulsum sibi adjecerat; per Placentinum, ac Parmensem agrum commeatus affatim Octavio Farnesio, Cæsareanarum licet partium, suppeditante. In eo exercitu quatuor Gallorum, sex Helvetiorum peditum, equitum duo millia censebantur, cum Brisacius cum octo peditum millibus, atque octingentis equitibus in Subalpinos reversus esset. Regium Estensis cum suis copiis venerat; eodem quoque Caraffa Cardinalis se contulerat. De bello administrando consilia ineuntibus, Ferrarienssi Parmam initio aggredi, Octavio ejecto, civitatem a Pontifice obtinere posse rato; vel Cremonam adoriri, atque in Insubribus belli sedem statuere placebat. Guisio in Hetruriam exercitum ducere, ac arma in eam provinciam inferre satius videbatur. Caraffæ neque Galliæ Cisalpinæ, neque Hetruriæ invadendæ consilia probabantur, id Paulo statutum esse affirmanti, ut quamcelerrime pontificiis ditionibus subvenirentur, armaque in Neapolitanum regnum verterentur. Id consilium Guisius amplexus, movere exercitum, rectaque Bononiam, inde Arminum petere decrevit. Hercules cum nihil e sua sententia statutum animadverteret, suis subductis copiis, itinera se committere noluit. Qua ex re apud plerosque aut inconstantis, aut parum fortis animi notam subiit.

Gallorum exercitus ad Augustam Taurinorũ. Valentia a Gallis capta. Corregium a Ferrariẽsi captum.

Conventu vero Regio Lepidi dimisso, Venetias Hercules accedens, quæ illum, ut ad Gallorum partes se adjungeret, impulerant, Patribus exposuit; complura de Hispanorum odio acerbe conquestus: *Se per dolos, atque insidias sæpe petitisse, oppidis, atque urbibus insidisse; Brixellum, ad Padum oppidum occupatum, quæ Parmensi bello adversus se egerant, satis documento esse. Pontificis preces, ac jussa quinquies ad se datis literis accessisse, quibus ut amplissimum*

Galli, expeditione Neapolitana decreta, exercitum Bononiam versus ducere decernũt. Hercules Ferrariensis Venetias se confert.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1557 *mum ſibi honoris gradum, vices Galliarum Regis in Italia obeundi ab Henrico delatum ſuſciperet, hortabatur, atque pro ſuo jure imperabat; ſe vero jurejurando ad tuendam uti beneficiarium Eccleſiam adſtrictum abnuere non potuiſſe; hæc conſilia neque a ſua, neque a publica libertate, ac dignitate ſejuncta ſibi videri: Henricum, qui ſub ejus clientela quieſcentem Octavium Ferneſium, neque copiis ſibi, neque pecunia parem, incolumem ſervaſſet, ſe quoque tutum, atque illæſum præſtaturum confidere. Ecquid porro libertati, ac dignitati Italiæ utilius, quam Pontifici opem ferre; illius ditiones tueri; neque pati, ut Hiſpanorum dominatus ſe ſe latius effunderet?* Adjecit, *non ignorare, mirari pleroſque, quod ad exercitum profectus non ſit; id vero ſe ab eodem Pontifice per literas, quas recitari voluit, juſſum feciſſe, quibus ne e ſuis ditionibus diſcederet, monebatur; nam quod ad ſe attinet, cur copiis ſummo cum imperio præeſſe nolit, nil cauſæ eſſe. In ea demum, qua ſui majores, atque ipſe obſervantia in Rempublicam fuiſſent, perſeveraturum; fortunas, imperium, vitam denique ipſam, ſi ſe occaſio objiceret, libenter pro eadem effuſurum.* Vix ea Patribus effatus fuerat, cum ab Alphonſo filio literæ ſupervenere, Mutinæ hoſtium conſpirationem fuiſſe detectam: qua ex re perturbatus Hercules, re Patribus patefacta, atque enixe illorum ope implorata, nocte inſequente Ferrariam rediit, ſtatimque Senatum certiorem fecit, explorati quidquam de inſidiis Mutinæ minime compertum haberi; ceterum cuncta ſuſpicione, ac metu plena eſſe: magnas copias prope ſuos fines cogi; quocirca enixius auxilia Senatus flagitare. Patres cum Herculem ſuopte conſilio graviſſimis ſe moleſtiis, ac curis implicaſſe, univerſumque belli pondus in pontificias ditiones, ac Neapolitanum regnum caſurum animadverterent, cunctatione utendum, neque quidquam ea in re decernendum cenſuere.

Hercules Ferrarienſis, nuntiis de conſpiratione Mutinenſi acceptis, Ferrariam proficiſcitur.

Petrus Strozzius Oſtiam deditione capit.

Interea Petrus Strozzius, qui Romæ cum militari imperio præerat, induciis elapſis, cum ſex peditum millibus, ac tormentorum manu Oſtiam adortus, deditione recepit, munitionibuſque hoſtium, quæ mari commeatus intercludebant, diſjectis, civitatem magno incommodo levavit: inde Vicum Varronis, ſive potius Valerii, in poteſtatem redegit. Guiſius vero,

vero, Caraffa, Ferrariæ Princeps, aliique Gallicarum partium proceres magnis itineribus Romam contendunt, ut coram Pontifice de bello gerendo conſilium caperetur. Re agitata, ut impetus in Neapolitanum regnum fieret, decretum eſt; cum nihil Paulo, niſi Hiſpanos ex eo pelleret, actum fuiſſe videretur; exercitus Arimino Anconem proficiſcitur. Equites, ac pedites Itali Antonii Caraffæ auſpiciis Reate coacti, copiis ſe adjungunt. Guiſius Roma Anconem reverſus, cum inde ad Truentum amnem, qui Aprutium a Piceno dividit, perveniſſet, quingentis levioribus equitibus præmiſſis, trajicere cum exercitu ſtatuit. Ii aliquot admixti peditibus tranſgreſſi, regione circumquaque luſtrata, exilia quædam caſtra, dedentibus ſeſe oppidanis, recipiunt; alia fœde diripiunt: ipſe cum univerſis copiis, ſeptem ac decem muralibus tormentis, Truento trajecto, ad Civitellam caſtrametatur; vineas agit, machinas diſponit; quati mœnia jubet; per diruta ingreſſum in oppidum molitur. Illius conatus Sfortia Sanctiflorius comes virtute ac diligentia avertit. Nuntiis vero de Albani Ducis adventu allatis, poſtquam per aliquot dies fruſtra oppidum oppugnaſſet, citra flumen Caropulum prope Aſculum indignabundus ſe recepit, pollicita Caraffas minime præſtitiſſe conqueſtus, in Hetruriam, vel in Galliam Ciſalpinam exercitum ducturus. Ancone iterum cum Guiſio, Turnonio Cardinali, Petro Strozzio Caraffæ conveniunt; de præſenti rerum ſtatu diſceptatur: Gallos exorant, ne ex iis regionibus copias abducant; Italos pedites ad exercitum quamprimum venturos; tria Helvetiorum millia ſuis ſtipendiis evocata Pontincem propediem habiturum; unicum Paliani Ducis filium prædem in Galliam cum Petro Strozzio, qui quo loco res eſſent Henricum doceat, miſſuros. Guiſius contra quatuor Helvetiorum millibus exercitum auctum; regnum Neapolitanum invaſurum pollicetur. Strozzius cum Paliani Ducis filio in Galliam contendit. Dum hæc geruntur, Marcus Antonius Columna, acriter Paliano obſeſſo, in circumjectos agros incurſiones facit, commeatu oppidani laborare incipiunt. Paulus tria Helvetiorum peditum millia, qui per eos dies Romam pervenerant, novem Italorum vexillis, ac trecentis levioris armaturæ equitibus adjectis, Antonio Caraffa Duce, ad

Gallorum copiæ Anconem proficiſcuntur.

Petrus Strozzius cum Paliani Ducis filio in Galliam proficiſcitur.

Marcus Antonius Columna Palianum obſidet.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1557 ad opem Paliano ferendam, annonam, atque bellicos apparatus importandos mittit. Hos medio itinere Columna adoritur, qui ſtatim in fugam, turbatis ordinibus, conjectis, compluribus Helvetiis cæſis, nonnullis amiſſis vexillis, relicto commeatu, in Segniam præcipites ſe protrudunt, atque inde Romam revertuntur. Strozzius in Italiam reverſus, Regis mandata detulit, quibus ex Pontificis ſententia bellum adminiſtrari jubebatur; igitur Guiſius e Piceno movens, Romam iter intendit, illum Spoleti Petrus Strozzius, atque Caraffa Cardinalis ſecum de belli ratione acturi adiere.

Pontificii a Columna profligati. Guiſius exercitum Romam verſus ducit.

Dum alternis eventis inter pontificios, atque Hiſpanos decertaretur, nunquam de Pauli, ac Philippi conciliandis animis negotium Senatus intermiſerat. Sæpius Pontificem per Naugerium legatum hortabatur, ut, abjectis de bello conſiliis, omne ſtudium ad pacem conferret, neque diutius illud augeri virus ſineret, quo Eccleſiæ opes inani fructu exhaurirentur, & univerſa Italia contabeſceret; cum eodem tempore Subalpinæ regiones, Ciſalpina Gallia, Hetruria, atque Eccleſiæ ditiones eo incendio conflagrarent. Sæpius pacem Philippo Regi per Michaelem Surianum oratorem ſuadebat, quod nullum ex eo bello fructum, nullam ſibi laudem pareret. Erat in Paulo perplexa, atque ambigua mens, quæ ex fortunæ varietate modo in ſpem attolleretur, modo dejecta concideret. Itaque nonnunquam adeo in pacem proclinatus videbatur, ut ſe a Senatus conſiliis minime diſceſſurum diceret; aliquando bellum ita meditabatur, ut jam ſpe Neapolitanum regnum præciperet. In hac vero ſententia labantem Caraffæ nepotes erigebant, ac ſuſtinebant, qui ingentes opes, ac titulos ex armis ad ſe perventuros vana ſpe imbuti ſibi pollicebantur. Accedebat pontificiæ dignitatis majeſtas, gentiſque faſtu elatus animus, quibus demittere ſe ſe, atque e præcelſo ſolio deſcendere, dum concordiæ conditiones tractaret, exiſtimabat; ut propterea cum Albano Duce colloquia averſaretur, ac ni a Philippo, qui ſe ſupplex adiret, mitteretur, nihil facturum diceret. In Rege magna ad pacem inclinatio, dummodo illam honeſtis conditionibus ſancire poſſet; ſumma erga Pontificem veneratio, ac ſtudium: non a certo homine ad Paulum mittendo abhorrere; totum pacis conficiendæ

Michael Surianus ad Philippum Regem, orator.

ciendæ negotium Senatui permittere; ab eo, quod illi viſum fuiſſet, non receſſurum. Eadem quoque in Albano Duce in pacem propenſio noſcebatur. Coſmus quoque Florentiæ Dux, ut bello finis imponeretur, laborabat; ob id officiis, & auctoritate, quammaxime poſſet, in eam rem incumbere Senatum hortabatur, idque eo vehementius, quod nuper Senarum urbe beneficiario jure a Philippo accepta (quod Patribus per Petrum Pandulphinum legatum ſignificaverat) bellum a finibus procul arcere ſuis conducere rebus arbitraretur.

1557 *Senæ beneficiario jure a Philippo Florentiæ Duci conceſſæ.*

Verum cuncta irrito conatu ceſſerant; neque ab armis, niſi neceſſitate impellente, diſcendendum fore plerique cenſebant. Nam Guiſius jam ſe Romam prope intulerat; atque Albanus Dux, Marco Antonio Columna cum Hiſpanis, ac Germanis militibus ad Palianum oppugnandum præmiſſo, cum reliquis copiis in Latium non ſine totius urbis, ac Romani populi metu, & terrore ſubſequebatur, ut prælio decernendum fama percrebreſceret. Iiſdem ferme diebus, cum ex lege, qua Romanis a Pontificibus regnum Neapolitanum Carolus Cæſar acceperat, divi Petri Apoſtoli feſto die ſeptem aureorum millia, atque albentem equam quotannis Philippum exhibere Eccleſiæ oporteret, oblatamque penſionem Paulus recipere noluiſſet, Franciſcus Vargas, ne quidpiam de ſui Regis jure, quantum in ſe eſſet, imminui ſineret, Triultium, Pauli legatum (quem Venetiis id muneris obeuntem Cardinalatus honore inſigniverat) adire, Regiſque nomine ſolvere ſtatuit; ſi Triultius renuiſſet, obnuntiatione uſurus. Scriba itaque adſumpto, ad ædes Triultii accedit, quæ ſtatuerat ex equi conatur. Triultius in ſcribam verbis acriter invehitur; minas intentat: ad Principem, & Patres profectus Vargas factum deteſtatur; plecti ſcribam flagitat. Vargas de probris, ac contumeliis a Triultio in eundem ſcribam congeſtis conqueritur; utrinque irarum æſtu animi feruntur. Senatus rem omnem uti acciderat per Naugerium Pontifici deferendam curavit.

Marcus Antonius Columna ad Palianum oppugnandum ab Albano Duce miſſus. Albanus Dux exercitum in Latium ducit. Paulus Pont. oblatam ab Hiſpanis de Neapolitano regno penſionem recipere recuſat.

Dum hæc geruntur, Philippus bellum adverſus Gallos in Morinis molitur. Philibertum Allobrogum Principem cum prævalido exercitu in hoſtium fines impetum facere jubet, qui

Philibertus Allobrogum Dux Sancti Quintini oppidum aggreditur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1557 qui ad Divi Quintini oppidum (Auguſtam Veromanduorum dictum antiquitus volunt) ad Sommam amnem ſitum , profectus , oppugnaturus caſtra locat . Anna Momorantius equitum magiſter Henrici juſſu eo ſtatim cum trigintaduobus Germanorum , duobus ac viginti Gallorum peditum ſignis , quatuor equitum millibus , tormentis majoribus quatuordecim contendit , levibus præliis hoſtem diſtinendo , in oppidum commeatus inferre poſſe ratus . At Philibertus , inſtructis copiis , amne trajecto , Momorantium aggreditur . Germanici , ac Belgici equitatus impetum cum diu Galli ſuſtinere non poſſent , primum trepidare , mox diſtractis ordinibus cædi , fugam capeſſere , complures capi , alii abjectis armis ſe ſe dedere . Summi nominis viri in hoſtium poteſtatem conceſſere , atque inter hos Anna ipſe Momorantius una cum filio captivi ad Philippum nondum ad exercitum profectum perducti ſunt ; qui mox , cum ſe in caſtra contuliſſet , vehementius Sancti Quintini oppidum oppugnare , acriter ſe Gallis tuentibus , cœpit : quod tandem VII. kal. ſeptembris vi captum , ac ſæviſſime direptum eſt . Admirallus captivus in hoſtium poteſtatem pervenit . Ea clade accepta , Gallorum res magno in diſcrimine verſabantur : flore equitatus amiſſo , inſignioribus regni proceribus captis , jam non de bello inferendo , ſed de Galliæ finibus tuendis agendum erat . Itaque ſtatim Henricus ex Italia Guiſium cum copiis revocare ſtatuit : qua ex re omnia cum Pontificis Maximi tum nepotum conſilia disjecta , atque everſa fuere .

Anna Momorantius ad Sancti Quintini oppidum cū Gallis proficiſcitur .

Galli ab Hiſpanis profligati, & Sancti Quintini oppidum a Philippo Rege captum .

Henricus Rex Guiſiū ex Italia revocat .

Philippus Franciſcum Valentianum , Hieroſolymitanum equitem , qui partam ſignificet victoriam , ad Senatum mittit . Vargas legatus cum eo Collegium Patrum adiens , poſteaquam rem , uti geſta erat , narraſſet , ſubjecit , ob ingentem Regis felicitatem , ac virtutem , Divino aſpirante numine , victoriam nil de Regis in pacem publicam ſtudio imminui ; eam ſi unquam antea , hoc tempore ſummis votis cupere : proſperos rerum ſucceſſus ad tria potiſſimum , pacem ipſam , chriſtianæ reipublicæ incrementum , & Venetorum commodum conferre , ſibi in animum induxiſſe . Ea omnia Pontifici , quo facilius ad concordiam flecteretur , per Naugerium Senatus juſſu ſignificantur . Eodem tempore Triultius Cardinalis , quantis

Franciſcus Valētianus a Philippo Rege Venetias miſſus ad partam victoriam enuntiandam .

Triultius Cardinalis, apud Venetos legatus, res pontificias Venetis commendat .

tis undique periculis ob Hiſpanorum victoriam circumſeptus 1557
Paulus ſit , Patribus oſtendit : Henricum graviſſima clade perculſum ex Italia ſuas copias ad Gallias tuendas accerſere coactum ; omnibus deſtitutum viribus , atque auxiliis , hoſtium voluntati , ac libidini Pontificem objectum iri : afflictis , ac perditis rebus , nullum ſibi , niſi in Republica ſubſidium ſupereſſe . Quapropter Pauli nomine Eccleſiæ imperium , pontificiam dignitatem illi commendare ; petere , ut priſca pietate ſe , reſque ſuas tueatur ; pro illius incolumitate quantum poſſit officio , atque auctoritate nitatur . Senatus nullo officii genere Paulo defuturum pollicetur . Statim per literas perque legatos denuo pacis negotium ſuſcipit ; Marcum Antonium Franciſcium a ſecretis , mutatis ad pernicitatem equis , Romam ſtatim proficiſci jubet : præcipit , omnem operam , ſtudium , diligentiam ad Principum animos ſtabili pace conciliandos adhibeat ; cum Naugerio legato ſtatim Paulum adeat , quæ in mandatis habeat , exponat . Franciſcius Romam profectus cum Naugerio primum Caraffam Cardinalem , deinde Pontificem alloquitur , juſſa Senatus patefacit . Paulus in Reipublicæ laudes effuſus , ingentes Senatui gratias agit , illius pietatem extollit : quod fauſtum , felixque ſit , Albanum Ducem adiret , paciſque negotium conficeret . Cardinalis , tuto itineris ad exercitum faciendi facultate Franciſcio ab Albano Duce impetrata , antequam in caſtra progrediatur , de rerum ſtatu docet . *Aequum non eſſe* (inquit) *ut , abjecta prorſus dignitate , Pontifex in Hiſpanorum voluntate ſit , qui ſuperbe nimium Palianum oppidum petant , e regia eos liberalitate pendere , eique prorſus addicere velint : ama hæc adeo eſse , ut iis legibus omnis ſpes concordiæ prorſus auferri videatur : extrema potius , quam eas leges paſſurum ; neque Guiſium multa , eaque gravia petentem , ne ſoli hoſtilibus armis pateant , dimiſſurum ; atrociſſima quæque tormenta ſubiturum , vitam denique ipſam pro jure ac dignitate Pontificis retinenda , prompto , atque hilari animo effuſurum .* Hæc atque alia vehementi concitatum ſpiritu loquentem Cardinalem Naugerius lenire adortus , eorum , quæ jam præterïiſſent , obliviſci , ex animo in pacem intendere ; *Nunc demum tempus eſſe* , inquit , *ut Italiæ vulnera , ſummo totius chriſtianæ reipublicæ beneficio ,*

M. Antonius Franciſcius a Venetis ob ineundam pacem Romam mittitur . Pacis negotium .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1557 *neficio, concordia coaleſcant*. Carolus Naugerii oratione permotus proſperum rei exitum Senatui acceptum relaturum, immortalis beneficii memoriam nunquam ſibi excidere paſſurum, ampliſſimis verbis teſtatur.

Albanus e ſuis, qui Senatus ſcribam in caſtra deducat, hominem Romam mittit. Is, fiduciariis Senatus literis exhibitis, ſubjicit, *notum Proregi eſſe, quantopere Veneti, ut ab Italia bellum averterent, nixi fuerint: poſtquam ad arma deventum eſt, nunquam ſuadendo, hortando, ut concordiæ ratio aliqua iniretur, deſtitiſſe: Phœbum ob id Capellam ad eum miſiſſe, neque minus propenſum in pacem animum Regem oſtendiſſe, qui negotium omne Reipublicæ permiſerit; cum hactenus omnia irrito conatu acciderint, nunc Dei Optimi Maximi beneficio opportunum tempus adeſſe, quo Philippus, eximia victoria comparata, excelſo animo ad pacem conciliandam uteretur: magna ſpe duci, ſi in colloquium deſcenderetur, rem celerrime confici poſſe; quapropter petere, ut quamprimum ad certum cum pontificiis locum conveniat*. Albanus Senatus in pacem ſtudium effert, Regem eadem eſſe mente teſtatur. Ceterum congredi cum pontificiis ſe poſſe negat, colloquia utpote alias inani fructu ſuſcepta averſatur. *Quid enim quæ Grottoferratæ, quæ in inſula habita fuerant, commemoraret? e Regis dignitate non eſſe tempus inutili verborum certamine conterere. Quod enim obſervantiæ, atque obſequii genus in Pontificem edi poſſet, quod ille non cumulate præſtitiſſet? an non Paliani vice Senarum urbem per Franciſcum Paceccum obtuliſſe? at faſtu tumentes ingentia facta, egregios magnarum rerum ſucceſſus ſpirantes, ſe ne reſponſo quidem dignatos: ſi illorum animos tanta pacis cupiditas inceſſiſſet, rem peragi abſque colloquio poſſe*. Ad hæc Franciſcius: *nullam neque faciliorem, neque compendioſiorem ad concordiam viam eſſe, quam ſi coram mutuis ſermonibus diſceptetur: dum per alios agitur, mora, & cunctatione incerta, ac fallaci eventus ſpe negotium protrahi*. Tum Albanus: *ſi par utrinque voluntas afferatur, verendum non eſſe, ne res cito conficiatur; nihil eo bello Regem petere; nullas ad eum urbes, nulla oppida perventura; cuncta, quæ recepiſſet, Eccleſiæ redditurum: cur igitur a pace, modo æquis conditio-*

ditionibus ſanciatur, abhorret? a pleriſque, quibus in magnas anguſtias compellere Paulum potuiſſet, Regis juſſu abſtinuiſſe; quod uſque ad Romanæ urbis portas acceſſiſſet, ſcalas mœnibus admoviſſet, nulla alia re ductum, niſi ut durus nimium Pontificis animus, fractus, ac perterritus ad concordiam flecteretur. Tum Franciſcius, *eo magis colloquium cum Caraffis ineundum Albano eſſe*, inquit, *quo promptius cunctis pacis ſtudium ſignificet, neque quidquam, quod ad illam attineret, prætermiſiſſe videatur: petenti Senatui Veneto ea in re ſatisfaceret; atque hoc poſtremum Italiæ quieti, ac tranquillitati tribueret*. Multis hinc atque inde agitatis, tandem victus Albanus, Senatus voluntati ſatisfacturum, inquit; locum colloquii Prænefte deligit. Franciſcius ſtatim cum Ducis reſponſo ad Pontificem, atque Cardinalem revertitur. Tubicine præeunte, Romam ingredienti undique multitudo circumfunditur, ecquidnam ferret, ſolicite poſtulat; dum mixtæ interim vulgi fremitu multorum voces exaudirentur, qui extrema quæque ſe pati inclamantes, eas, quibus circumſepti eſſent, calamitates perpeti diutius non poſſe, vociferarentur. Sequenti igitur die Carolus Cardinalis, atque Antonius Caraffa, Pontifice adſentiente, una cum Sanctiflorio, & Vitelorio Cardinalibus, Prænefte prope Albani Ducis caſtra ſe contulere; mox Cavio oppido haud longe a Paliano ad negotium peragendum deſignato, eodem omnes convenere. 1557

Pontificii cum Albano Duce Præneſte mox Veioii ad colloquium conveniunt.

Dum hæc fiunt, Lodevenſis Epiſcopus, quo loco Gallorum res ſint, Patribus exponit; clades nuper acceptas memorat; *Guiſium cum exercitu in Galliam evocare, Italiamque deſerere Henricum cogi; pro qua tuenda quid egerit, quid per tot annos, immenſis fere exhauſtis copiis, ſuorum ſanguine, atque internecione effecerit, iis notum eſſe, qui ea, quæ pro Parma, pro Senenſi Republica, pro Romano Pontifice aggreſſus ſit, proſpexiſſent: vehementer deſere, atque angi, quod præclaris auſibus eximiæ Regis voluntati, ac virtuti fortuna infeſta nimium extiterit: ſpe tamen ampliſſimum, ac potentiſſimum Galliæ regnum, inſita virtute, ac robore ſubnixum, diutius illatas injuras inultas non paſſurum. Id tantum vereri, ne, exer-*

Lodevenſis Galliæ legati apud Venetos officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1557 *exercitu ex Italia ſubducto, Pontifex ad indigniſſima quæque prolabi, atque teterrimas pacis leges ſubire cogeretur : in eo Italiæ dignitatem, ac libertatem, pro qua Reſpublica ſemper ſolerter excubaverit, verti : ſed ut copiæ retineantur, adhuc penes Senatum eſſe, qui, ſi pecunia, qua plurimum pollet, nutantibus rebus ſuccurrere velit, ne in tot tenebris aliqua lux emicet, ambigendum minime videatur.* Hæc Lodevenſis.

Verum biduo poſt nuntius de pace ſupervenit, quæ poſt varia utrinque agitata, tandem his legibus ſancita eſt. *Albanus Dux Regis nomine ſupplex a Pontifice veniam poſtulet ; qui idem officii genus exhibeat, a Philippo Romam mittatur : Regem uti filium Pontifex amplexus, jiſdem, quibus reliquos Chriſtianos Principes, beneficiis exornet : Gallico fœdere Paulus renuntiet, ſeque communem parentem æque ambobus addictum præſtet : quæcumque ſacris initiati viri, aliique omnes eo bello deliquiſſent, priſtinis opibus, ac dignitatibus reſtitutis, oblivioni mandentur ; Marco Antonio Columnæ, Aſcanio Corneo, aliiſque pontificiis perduellibus exceptis, in quos, uti ſibi libuerit, animadvertat, oppida, arces, aliaque bello ab Hiſpanis occupata integra fide reſtituantur : Paliano ſexcentorum peditum præſidium communi pontificio, ac regio ſumptu imponatur ; ei ex Pauli voluntate præfectus detur, qui Paulo, ac Philippo ſacramento obſtringatur.* His conditionibus pridie idus ſeptembris bello, quo per biennium fere dimicatum fuerat, finis eſt impoſitus. Pacis nuntio ex Naugerii literis accepto, Senatus, cunctique civitatis ordines magna lætitia ſunt affecti. Per literas, perque oratores Pontifici, Regique gratulantur : ab iis pro impenſa ſolicitudine, ac ſtudio, quo in concordiam incubuerat, Senatui gratiæ actæ. Verum Romana urbs nondum belli fluctibus emerſa, Tiberi amne aſſiduis imbribus iutumeſcente, poſtridie ejus diei, quo pax inita fuerat, aquis pene abſumpta eſt ; planis, frequentioribuſque locis oppletis, ingenti ædificiorum ſtrage edita, miſeræ plebis fortunis bello attritis, ad extremum fere redactis. Guiſius cum ſuarum copiarum parte Centumcellas contendit ; inde triremes con-

Pax inter Pontificem & Philippum Regem.

Roma Tiberis illuvione male habita.

Guiſius mari in Galliam revertitur.

conſcendens, in Galliam delatus eſt. Eadem die, qua Guiſius itineri ſe dedit, Albanus Dux Romam ingreſſus, Pontificis pedes de more exoſculatus, ab eo perhonorifice eſt exceptus. 1557

Finis Libri Septimi.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

Hispanorum contra Herculem Ferrariae Ducem, in Italia motus exorti brevi, Cosmi Florentiae Ducis opera compositi sunt. Galli, rebus contra Hispanos prospere gestis elati, Suleimano mittendae in occidentem classis auctores fuere. Surrento capto, maritimis locis vastatis, expugnata Civitella in insula Baleari minori, praeda graves Byzantium Turcae rediere. Varii, ardente inter Gallum & Hispanum bello, utrimque eventus narrantur. Alterum alteri conciliare Venetus omni studio contendit. Imperium, quod Carolus V. abdicaverat, Ferdinando ejus fratri VIIvirum suffragiis delatum est. Factum Paulo IIII. Pontifici minime probatum. Galliae, & Hispaniae Regum oratoribus, uter utri, cum Principi officii caussa adessent, digniori loco cederet, acerrime contendentibus, Senatus Gallicum oratorem de antiqua honoris possessione nequaquam dejiciendum censuit. Carolus V. in hispanico secessu diem supremum obiit. Conventus utriusque Regis oratoribus ad pacem componendam Lillam indictus. Induciae inter ipsos pactae. In Mariae Angliae Reginae defunctae locum Elisabetha successit. Obortae inter Cremonenses, & Brixianos ob Ollium amnem controversiae, neque arbitrorum colloquiis diremptae. Pax inter Gallum, & Hispanum sancita. Suleimanum ab Hungarica expeditione domesticae filiorum dissensiones averterunt. Cotarenus in Dyrrhacchii portum classem intulit, arcem crebris verberationibus ictam pluribus locis diruit, piratarum biremes illinc abduxit. Quod contra foedus haec in Turcas egisset, dies illi senatusconsulto dicta: factum apud Suleimanum purgatum est. Henricus Galliae Rex in equestri ludo gravi suscepto vulnere interiit, ac Francisco II. regnum vacuum reliquit. Paulus IIII. Pontifex Maximus postquam in nepotum avaritiam & libidines gravissime animadverterat, severissima ad ecclesiasticam disciplinam restituendam edicta ediderat, e vivis excessit. Plebs Romana furore percita in ejus monumenta saeviit. Venetiis Laurentius Priolus Princeps fato functus est. Ejus frater Hieronymus ad principatum evectus. Cardinalium comitiis Pius IIII. cui Joanni-Angelo Mediceo ante nomen erat, Pontifex renunciatus est. Ob religionis dissidia Galliae regnum turbari coepit. Foedissima Hispanicae classis ad Meningem insulam clades describitur. Turcae arce insulae impositа strenue ab Alvaro Sandaeo propugnata tandem potiti. Pius IIII. Concilium iterum Tridentum indixit. Cum idem Veronensibus Episcopum dare Marcum-Antonium Amulium, id temporis apud Sanctam Sedem Reipublicae oratorem, agitaret animo, quod id per suas leges non liceret, vehementer Patres commoti sunt. In Gallia, dum perduellium licentiae frena injicere conabatur, Franciscus II. immaturo fato ereptus. Carolus VIIII. frater heres fuit. Senatus legatos duos, qui Reipublicae nomine Concilio interessent, Tridentum misit: in Marcum-Antonium Amulium, quod cardinalatum sibi delatum non renuisset, graviter excanduit. De Trevilienſibus, qui, obortis propter Brembum amnem controversiis, in Bergomensem agrum excurrerant, praedam egerant, captivos abduxerant, apud Insubriae gubernatorem graviter Veneti conquesti sunt. Hac de caussa Bergomum validissimis operibus munitum est. Haeresis in Gallia grassari coepit, resque in civile ac intestinum bellum erupit. Interea Tridentum cunctorum fere Christianorum Principum legati adfuere. Inter Venetos, ac Bojariae Ducis oratores de digniori loco occupando certatum est. Lis, Pontificis jussu, Venetis est adjudicata. Galliae Regi rem catholicam contra novatores propugnanti centum aureorum millia, belli civilis subsidium, a Senatu missa sunt. Christophorus Canalis, pugna cum piratis commissa, graviter duobus jaculis ictus est. Deletis hostibus victor, ex vulnere occubuit. Praemia egregia in ejus heredes a Senatu collata. Pax inter regios, & Vgonottos in Gallia sancita est. Veneti Pontificem a comparandis adversus haereticos iterum in Gallia tumultuantes armis dehortati sunt. Gradenses, Utinenses, ac Muglenses ab Austriacis finitimis vexati: res tamen per arbitros amice statim composita. Absoluta Tridentina synodo, Patres dimissi sunt. Pius IIII. Venetis, quod omnium primi synodi decreta in suis ditionibus servanda jussissent, magnificas ad divi Marci aedes eorum oratoribus Romae incolendas dono dedit. Classem Suleimanus ingentem commeatu, bellicis machinis, ac milite valide instructam contra Hierosolymitanos Equites misit. Turcae ad Melitam expositi Sancti Hermi arcem egregie propugnatam non sine maxima suorum caede tandem cepere: per quatuor menses Divi Michaelis munitione oppugnata, obsidionem Equitum virtute solvere coacti, Byzantium re infecta revertere. Pius IIII. Romae mortuus est. Michael Gislerius successit, qui Pius V. appellatus. Pialis supremus turcicae classis praefectus Chium occupavit: in hadriaticum sinum classem intulit. Veneti infestum hominem celeri classis apparatu a suis finibus avertere. Dum ancipiti fortuna inter Christianos & Turcas in Pannonia dimicabatur, Suleimanus ad Zigetum exstinctus est. Imperium Selymo filio obvenit. Turbarum, quae in Belgio excitatae, origo & caussae continentur. Selymum de invadenda Cypro consilia agitare, Venetias allatum est. Maritimae ditionis oppida validius a Venetis firmata sunt, & ad Leucosiam Cyprii regni caput egregiae munitiones excitatae. Pax inter Maximilianum, & Selymum facta. Selymus in ganeis & lustris imperii administrationem auspicatus. Contra perduelles bellum in Gallia protractum est. Post Hieronymi Prioli obitum Venetiis Petro Lauretano nec opinanti principatus delatus est. Novi ab Arabia ad totam Aegyptum pertinentes tumultus, eo Selymi armis aversis, Venetos, Pontificem, Hispanos incertos omnes, quos Turcae petituri essent, metu omni levaverunt. Statim a conciliata iterum cum foederatis perduellibus pace, tertio civile bellum in Gallia exarsit. Centum aureorum millia a Venetis Galliarum Regi commodata. Marcus Quirinus piratica navigia semel iterumque in suam potestatem redegit: piratas ad unum contrucidavit. Annonae caritate vehementer Venetiis laboratum est, Navale foedissimo incendio, majori tamen civitatis trepidatione, quam damno conflagravit.

HI-



HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER OCTAVUS.

BEllo Pontificio composito; Gallis in suum regnum abeuntibus, universus armorum impetus in Herculem Ferrariæ Ducem convertebatur, in quem Philippus valde infensus, quod fœderi adversus ipsum cum Gallo adhæsisset, nihil non editurus videbatur. Itaque summum belli ducem Octavium Farnesium designaverat: equites; Insubrum copias; Subalpinæ regionis viros; Hetruscæ milites; Cosmi Florentiæ Ducis auxilia coniunxerat. Eo subito ingruentis belli periculo Hercules perterritus, licet omnino ad tantam molem sustinendam impar esset; attamen suæ ditionis oppidis firmatis, præsidiis auctis, pedestru, atque equestru collecto, se ad Hispanorum impetus excipiendos comparabat. Quod vero Venetos belli propinquitate suoque periculo

1557

Octavius Farnesius a Philippo Rege copiarum imperator contra Ferrariæ Ducem designatus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1557 culo ad opem ſibi ferendam impelli poſſe arbitraretur, Cymaclii Epiſcopum Venetias miſit, qui, quo in diſcrimine Hercules verſaretur, ſignificaret: *In concordia Romæ inita præteritum, Hiſpanorum cupiditati, atque invidiæ objectum fuiſſe; qui recentibus in Gallia ſucceſſibus elati, veteris in illum effundendæ malignitatis ex oblata opportunitate cauſam peterent: eos propediem cum viginti peditum, duobus equitum millibus in ſuos fines impetum facturos: quocirca Reipublicæ, cujus ſe ſemper filium profeſſus eſſet, opem, atque auxilium implorare: nihil ſibi incommodi accidere poſſe, quin ex eo aliquid ad ipſam quoque manaret. Quos enim ab Hiſpanorum dominandi cupidine ſatis tutos eſſe, qui omnem fere Italiam perluſtrarint, bellique facibus incenderint? Callide pacis legibus comprehenſum iri Herculem noluiſſe, ut ſtatim in ipſum arma inferrent; relictum, deſertumque opprimerent. Quorum enim opem, quorum auxilia expectet? Gallorum ne, qui ſuis rebus veriti Italia decedere coguntur? an Pauli Pontificis Maximi, cujus auctoritate, ac juſſu cum fœderatarum copiarum præfecturam ſuſcepiſſet, ab eo modo deſertus eſt? aliorum ne Italorum Principum, ex quibus Octavius Farneſius belli dux adverſus ipſum a Philippo eſt declaratus? Coſmus novo Senatum beneficio obſtrictus, magnam peditum, atque equitum manum in bellum confert? Unum ſibi præſidium in Venetis ponere; Senatum orare, ut difficillimo, ac periculoſo tempore illi præſto eſſe, opitulari, ſubſidiis juvare velit; vel eniti, ut turbo iſte, qui ſuis ditionibus imminet, concordiæ aliqua ratione diſjiciatur, ac propellatur.* Hæc Cymaclii Epiſcopus. In eas enimvero curas, ac ſolicitudines Herculem ſe demiſſurum, jam tum primum Veneti providerant, cum illum ad Gallorum partes acceſſiſſe cognoverant; cui quidem ut neutri ſe obſtringeret, ſuaſores ſemper extiterant. Ipſe vero minime, ut ſolebat, communicatis conſiliis, imperii proferendi ſpe captus, ſummum præfecturæ honorem ſibi delatum avide ſuſceperat. Ea vero utcumque Herculi accidiſſent, Hiſpanorum armis oppugnari moleſte Patres ferebant. Verum ne prorſus de concordia deſperarent, multa efficiebant: non alienus ab Italica pace Philippi animus; bella, quæ ab eo cum Henrico acerrime in Gallia gerebantur; Pauli Summi Pontificis

Herculis Ferrariæ Ducis per Cymaclii Epiſcopum cum Venetis officium.

cis auctoritas, cui Herculem beneficiario ſibi jure obnoxium vinci, ac peſſumdari minime conduceret: anni demum tempus autumno in hyemem labente, quo neque arma commode tractari, neque imis, ac paluſtribus locis, in quibus pleraque Herculis oppida ſita erant, munera militaria obiri poterant. His adducti Patres Herculis animum labantem erigunt, confirmant, ſpem injiciunt, brevi eos turbines cum illius prudentia, ac virtute, tum Pontificis auctoritate depulſum iri: quibuſcumque poſſent officiis, ut arma conquieſcant, operam daturos, quidquid ex Reipublicæ ditionibus commodi ſibi accedere poſſit, liberaliter pollicentur, ac deferunt. 1557 *Senatus eſponſum.*

Octavius Farneſius, eductis copiis, kal. octobris bellum auſpicatus, Monticulum agri Regienſis, admotis tormentis, metu ad deditionem compulit: inde Sancti Pauli oppidum ab omnibus imparatum rebus recepit. Minutis præliis, atque parvis oppugnationibus vario eventu hinc, atque inde anni exitu iis in locis dimicatum. Quo tempore Venetiis Ziliæ Dandulæ, Laurentii Principis conjugis, Ducis inauguratio lætiſſimum, veteris inſtituti memoria renovata, civitati ſpectaculum præbuit; cum a Paſchalis Maripetri Ducis tempeſtate uſque ad ea tempora centum annorum curſu elapſo exoleviſſet, nullaque eo cultu matrona id dignitatis faſtigium attigiſſet. E Barbadicis ædibus in divorum Gervaſii & Prothaſii vico ſitis Senatus frequens aurea talari veſte amictam, ducalique caput infula redimitam, magno matronarum comitatu ſtipatam, Buccentauro excepit, & ad aream uſque divi Marci perducit, egreſſam per forum, quo ingens populi multitudo confluxerat, mediam inter Marcum Centanum, & Antonium Juſtinianum ex ſexviris ſeniores, plauſibus, ac multitudinis acclamationibus perſtrepentibus: quacumque incederet soleis, ſtatuis, obeliſcis, fornicibus, ſeſe in obtutum dantibus, ad ædes Principis Patres deduxere.

Octavius Farneſius Ferrarienſes ditiones invadit.

Ziliæ Dandulæ, Prioli Principis uxoris, inauguratio.

M. D. LVIII.

BEllum Ferrarienſe interea lente procedebat, quod etiam non diuturnum fuit, cum omnis armorum procella ſe ſe in Galliam, ac Belgium effudiſſet, ac Philippus gravioribus 1558

diſ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 distentus curis cum potentissimo Rege dimicare coactus, novos in Italia motus alere, suis rebus conducere non arbitraretur; neque copiarum erogandis stipendiis pecunia suppeteret, atque Octavii Farnesii milites in tumultus, ac seditiones prolaberentur. Hyeme vero ita suis ditionibus, atque urbibus Hercules firmandis vacaverat, ut nisi majoribus viribus aucti prosperos belli eventus sibi Hispani polliceri non possent. Re itaque per Cosmum Florentiæ Ducem agitata, tandem his conditionibus pax subsecuta est: *Fœderibus cum Paulo, atque Henrico percussis, Hercules renuntiaret; amicitiam æque cum Regibus coleret; Hispanis non secus ac Gallis iter, & commeatus per suos fines præberet; quæ ab Octavio oppida in Regiensium finibus adempta fuerant, restituerentur; utrinque abolitio criminum fieret; inter Farnesios, atque Estenses vetus necessitudo renovaretur; Gallis, qui Herculi militaverant, liberum per Insubres in Subalpinos, vel in Galliam iter permitteretur; Cosmus initæ concordiæ se vadem daret; pacta ad Philippum signanda perferrentur, interea inducіæ fierent.* Quibus sane rebus non ægre Philippus ipse assensus est: nam ob Icium nuper amissum ingenti clade perculsus, cum tot bellorum pondus sustinere non posset, ultro pactis legibus subscripsit, plerisque licet obloquentibus, quod non absque regiæ dignitatis, atque amplitudinis nota cum Italiæ Regulo iis conditionibus pepigisset. Verum quæ sub id tempus in Gallia, ac Belgio accidere, Italiæ jactatæ, multisque tempestatibus circumactæ tranquillitatem, atque otium peperere.

Pax inter Philippum Regem & Ferrariæ Ducem.

Dum enim Philippus, Namurco, ac Sancti Quintini oppidis communitis, copiis in hyberna deductis, vere novo acrius in Gallos bellum meditaretur, Henricus ob acceptas clades regio pudore suffusus, media hyeme, quæ eo anno frigidissima fuit, copias sedulo comparabat. Jam ex Italia Guisius, Strozzius cum aliis Galliæ proceribus redierant; pecunia sponte in regni subsidium a populis congesta, Germanorum auxilia adcersebantur. Itaque, brevi ingenti coacto exercitu, Hispanis intra oppidorum mœnia receptis, per circumjectos agros nemine obsistente vagantur; ac ne ignobili otio marcescere vividos Gallorum gentis impetus pateretur, Sancto Quintino, quem

quem Hispani multo opere muniverant, prætermisso, ad Icium, sive Caletum, Anglorum in Belgio oppidum, animum adjecit, ex quo facili ex Britannia in Galliam trajectu, nonnunquam immissis copiis, multa Angli, ac gravia suæ genti damna intulerant. Ejus consilii Petrus Strozzius auctor erat, qui, nullo militarium rerum usu, nulla virtute præstantibus Britannis propugnatoribus perterritis, eo potiri haud difficile fore suadebat. Itaque kal. januarii Guisius admotis castris, turrim ad portum sitam, Anglo se in oppidum recipiente, occupat. Postridie arcem tormentis quassatam, mari refluente, quod reciprocantibus æstubus in viginti pedum altitudinem modo attollitur modo deprimitur, Anglis nequicquam obsistentibus, capiunt. Eodem victoriæ cursu oppidum, incolis se dedentibus, ea conditione recipiunt, ut Angli tuto in Britanniam trajicerent; captivi quinquaginta Guisio traderentur; quidquid pecuniæ, supellectilis, mercium in urbe esset, id ei permitteretur; tormenta bellicique apparatus intacta Regi manerent. Caleto capta, ingenti Henricus lætitia perfusus, statim ad urbem invisendam contendit. Guinesium decem a Caleto passuum millibus haud absimili impetu Galli aggressi, postquam dies aliquot ingentibus, ac crebris ictibus mœnia diverberassent, præsidiariis militibus prope omnibus cæsis, deditione potiuntur. Ameſium, quod reliquum in continenti Britannis erat, ab incolis desertum recipiunt. Dirutis oppidorum mœnibus, Caletum tantummodo, Rege jubente, inexpugnabili opere cinctum, præsidio militum firmatur, quod adversus Anglos toto continenti ejectos, Gallis pro munimento fuit.

1558 *Icium a Gallis receptum.*

Gallorum progressus.

Prosperis hisce successibus, quibus acceptas ad Sanctum Quintinum clades sarsisse sibi Henricus videbatur, ad majora audenda, ac conficienda excitus, ingentem auri vim, quam quingentarum myriadum summam conficere ferebatur, coegerat; certum Byzantium hominem miserat, qui classem a Suleimano mittendam in occidentem curaret, quam numero ac viribus apprime instructam, centum scilicet ac viginta triremibus, hippagogis viginti, aliisque navigiorum generibus ad trecenta Hellesponto Suleimanus eo anno emissurus nuntiabatur. Cur vero tantas maritimas vires coqeret, cum explorati nihil haberetur, crebrisque rumoribus in Cyprum expeditionem

Henricus a Suleimanum ad classem in occidentem mittendam hortatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 nem moliri Turcas fama diſſiparetur, idque ex literis a Ferdinando Romanorum Rege, ac Philippo intelligeretur, Veneti claſſem augere, milites cogere, ſubſidia ad maritima loca mittere ſtatuunt. Ut centum triremes armarentur, in Senatu latum eſt. Claſſis imperator majoribus comitiis Thomas Contarenus, divi Marci Procurator, creatus. Pandulphus Contarenus legatus deſignatus. Statim decem triremes ad claſſem, cui Chriſtophorus Canalis, alter legatus, præerat, mittuntur. Melchior Michaelius cum ſummo imperio Corcyram proficiſcitur. Septingenti pedites in Cretam mittuntur. Cyprii regni præſidia, octingentorum Italorum peditum ſupplemento tranſmiſſo augentur; levioribus equitibus ducenti Thoma Luſio præfecto adjiciuntur. Literæ ad Sebaſtianum Venerium, ſupremum inſulæ præfectum, atque reliquos magiſtratus perſcribuntur, ut regni primores vocatos, ad patriam, reſque ſuas acriter tuendas, ſi ſe occaſio obtuliſſet, intrepide pro regni nobiliſſimi defenſione certamen ſubeundum hortentur. Ejuſdem exempli ad Cretæ, aliarumque provinciarum magiſtratus dantur. Octavo idus maji vexillum imperatorium inter miſſarum ſacra a Vincentio Diedo Venetiarum Patriarcha ſolemni ritu concelebrata, Thomæ Contareno a Principe delatum eſt; ab eodem, comitante Senatu, ad imperatoriam triremem de more deductus ad claſſem proficiſcitur. In ea duo atque octoginta navigia cenſebantur; Illyricæ triremes viginti; Cretenſes tredecim; Venetæ decem atque octo ad tranſtra ablegatorum; biremes quinque; celoces quindecim; myoparones tres. His Venetorum apparatibus Turcæ haud parum ſolicitabantur, veriti, ne præteritarum cladium memoria, ad ſocietatem cum Philippo Hiſpaniarum Rege ſæpius incitante, atque adhortante ineundam accenderentur. Itaque Ruſtenus Antonio Barbadico, Reipublicæ legato, ad ſe vocato, *Mirari ſe*, inquit, *cur Veneti claſſem, novis adjectis triremibus, augerent, oppida præſidiis firmarent, ingentem pecuniæ vim effunderent: cur enim ſibi a Suleimano amico pertimeſcerent, qui pollicitam ſemel fidem (ut præpotentem Regem decet) nunquam fallere conſueviſſet?* Ad ea Barbadicus, *mirandum minime eſſe*, inquit, *ſi ingentibus eo anno viribus maria obſidentibus, Veneti, ex veteri inſtituto, ad ſua regna, ac provincias tutandas*

Turcarum apparatus. Veneti claſſem augẽt.

Thomas Cõtarenus claſſis imperator.

Pandulphus Contarenus legatus.

Chriſtophorus Canalis alter claſſis legatus.

Melchior Michaelius legatus cum imperio Corcyram mittitur.

Sebaſtiauus Venerius Cypri ſupremus præfectus.

Ruſteni Baſſæ cum Antonio Barbadico legato officium.

*das claſsem numero, ac robore paratiorem reddiderint, valid*ioribus præſidiis urbes, oppidaque firmaverint; vigili id nimium prudentiæ non novarum rerum ſtudio tribuendum.*

1558 His vero nuntiis Turcæ permoti, ut claſſis quamprimum educeretur, curaverant. Ea cum ad Nicopolim perveniſſet, pridie nonas junii amice Corcyræ euripum prætervecta, quarto idus ſe in Neapolis conſpectum dedit. In occidentem vero itinere ſimulato, intendentibus ſe tenebris Turcæ ad litus appulere: inalbeſcente die militibus expoſitis, Surrentum adorti, nullo negotio captum, flammis abſumpſere, ad decem hominum millia, atque in his multos religioſos viros, ac mulieres captivos fecere; univerſam oram, quæ a Græca turri, uſque ad Salernum protenditur, direptionibus, incendiis crudeliſſime deformavere. Inde Prochytam profecti, de captivis reſtituendis egere: cum Neapolitani octoginta aureorum millia in religioſorum gratiam, ne ſacratis quidem parcendo vaſis, coegiſſent. Claſſis præfectus, ni totidem ex ſuis reciperet, captivos cum pernegaſſet, Prochyta diſcedens, altius in Tyrrhenum provectus, litora legens, cum oppida ad illorum impetus excipiendos expedita eſſe intelligeret, in Corſicam navigationis curſum direxit. Ibi Gallica claſſe minime inventa, in Provinciam iter arripuit, Niceamque, vel Saonam Gallis ſibi adjunctis aggreſſurum percrebuerat. Jam enim conſtitutum ferebatur, ut Briſacius cum ſex peditum, duorum equitum millibus ſuperveniens, Monœci portum, atque oppidum in ſuam poteſtatem redigere conaretur: inde Genuam aut vi aut civium diſſenſione potituros rati, cum præſertim claſſis Turcicæ præfectum prætereuntem, legato ad eum ſalutandum miſſo, Genuenſes multis muneribus affeciſſent, civiumque complures Gallorum factioni addicti dicerentur. Verum cum Briſacius per multos dies Lugduni commoratus, pecuniæ neceſſitate adactus, neque copias cogere, neque ſe in Provinciam proripere potuiſſet, Turcæ ad minorem Balearem inſulam delati, Civitellam oppidum aggreſſi, non abſque ſuorum cæde, ac ſanguine expugnavere. Oppidani abductis in Provinciam reverſi, licet Gallorum claſſem commeatuum copiam, incolas ad arma evocatos, pontes Varo amni inſtratos inveniſſent; attamen, ægritudine claſſiariis correptis, ac longa

Turcarum claſſis Surrentum occupat, Neapolitanas oras diripit.

Civitella in Baleari minori a Turcis capta.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 ga navigatione defeſſis, cum nollent milites exponere, a Lerine inſula diſcedentes, litoribus Genuæ emenſis, auguſti initio, nulla re, quæ tot ſumptibus, atque apparatibus reſponderet, confecta, Byzantium rediere. Veneti Thomam Contarenum, claſſis imperatorem, ad urbem vocavere, qui ſtatim ſe magiſtratu abdicavit.

Claſſis Turcica Byzantium revertitur. Thomas Cõtarenus, Claſſis imp. in parriam redit.

Cypri regnũ a Venetis munitum.

Quoniam vero multa de Cypria expeditione variis diſſipata rumoribus fuerant, diligentius pro eo regno tuendo excubare Patres cœpere, ut ex incolis trium peditum millium delectus haberetur, juſſere. Bellicarum rerum ſcientes præfecti, qui ad militaria munera obeunda inſtruerent, uſuque, & exercitatione formarent: attributi *Francomati* (id militiæ genus vocabatur) immunitates conceſſæ, ſtipendium, licet exile, collatum. Epirotarum equitum ſexcentorum numerus ad octingentos auctus; iis ne agro colendo, quem ſtipendii loco acceperant, animos, & corpora neglecto ſervitio dejicerent, ex ære publico pecuniam perſolvi juſſum. Centum præterea ſclopettarii equites ex inſulanis, totidem ex Italis, qui Cyprio ſolo coaluiſſent, ad litorum cuſtodiam delecti; diverſa quoque armorum genera parmæ, ſariſſæ, haſtæ, gladii, ac ſclopi ad equites, & pedites armandos tranſmiſſa; ad hæc ligones, ſarcula, ſulphureum pulverem, ferreorum globorum numerum, tormentorum rotas, ac ſtrata advehi mandatum. Decretum præterea, ut priſca olim Tamaſſus (nunc *Famaguſtæ* civitas) atque Cerines oppidum munitionibus, ac propugnaculis ad hoſtium impetus excipiendos validiora redderentur; circumjectis agris complanatis, quo liberiore proſpectu ab inſidiis tutiora fierent.

Dum hæc ſedulo Veneti curant, Galli, viginti peditum millibus, atque ingenti equitatus robore coacto, Guiſio Duce, Theodonis villam munitiſſimum oppidum, quod non longe a Metis quatuor leucis diſtat, Moſellæ amni propinquum, loco ad iter Hiſpanis in Germaniam intercludendum ſito, tormentorum vi, cuniculorum ſuffoſſione aggreſſi, per vim potiuntur. In ea oppugnatione Petrus Strozzius glande plumbea trajectus occubuit: vir magnitudine animi, militari virtute, per varios humanæ fortunæ caſus, ac labores durato corpore, ac ſpiritu imperterritus, merito priſcis ducibus conferendus: ex cujus

Theodonis villam oppidum a Guiſio captum.

Petrus Strozzius glande plũbea interfectus.

cujus obitu parem damno mœrorem Gallia perpeſſa eſt. Diverſa ex parte Paulus Thermus, decem peditum, duobus circiter equitum millibus collectis, Caleto Gravelingam, vel Sancti Audomari fanum adoriturus egreditur. Ea oppida ab Hiſpanis munita occupare minime poſſe ratus, finitimam regionem vaſtat, ac diripit, Duncherchium capit. Dum jure, atque armis de dignitate, atque imperio inter Reges contento ſtudio, atque odio dimicatur, Philibertus Sabaudiæ Dux Aegmondanum cum mille Hiſpanorum peditatu, totidemque levioris armaturæ equitibus, quatuor Germanorum millibus præmittit; ex oppidorum præſidiis octo peditum millia, quoſque poſſit equites educere, præcipit; quam celerrime adverſus hoſtem contendere, acie decernere jubet. Aegmondanus cum iis recta in hoſtes progreſſus, prælio decertat; Gallorum exercitu profligato, pleriſque cæſis, Thermo ſauciato, atque capto, ingentem victoriam retulit. Ita æquatis utrinque vel victoriis, vel cladibus, Regum vires collabebantur, ut potius ingentibus populorum calamitatibus, ſuorum cædibus, pecuniæ ob immanes bellorum impenſas inopia, quam inimicitiis miteſcentibus, atque pugnandi ardore reſtincto, ad pacis tractationes cogi viderentur. 1558

Duncherchium a Paulo Thermo captum.

Aegmundanus Dux Gallorum exercitum profligat, Thermum Ducem capit.

Verum Henricus, clade ad Gravelingam accepta, non deſpondere animo; nihil de vivida virtute, gloria vires miniſtrante, remittere; exercitum augere; amicorum auxilia cogere, ut brevi fortior, ac validior ad conferendam cum hoſte pugnam evaderet. Neque minus in Philippo belli ſtudium, quem victoriæ nuper partæ felicitas audentiorem redderet. Itaque brevi cum a Gallo, tum ab Hiſpano eo numero, ac robore exercitus comparantur, quibus multis ab hinc annis inſtructiores nemo ſe vidiſſe affirmaret. Nam ſub Gallorum ſignis equitum ſcloppettariorum (quos *piſtolettos* vocant) novem; cataphractorum duo millia; totidem leviorum eſſe ferebantur; Gallorum peditum quindecim millia; totidem Germanorum; totidem Helvetiorum, in quorum ſupplementum Henricus ſex millia illius gentis acciverat. Majorque Saxonum Ducis natus cum tribus equitum millibus ad exercitum pervenerat. Philippi vero copiæ ſex ſcloppettariorum, duorum millium ac quingentorum cataphractorum; leviorum equitum

Gallorum & Hiſpanorum præſtantes exercitus.

fere

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 fere tantumdem; sex Germanorum; octo Vallonum peditum millium numero constare dicebatur : tria insuper Hispanorum millia ex Hispaniis expectabantur ; ad hæc Britannica classis prævalida, qua peditum quatuordecim millia vehebantur; ut Hispanorum copiæ ad quinque ac triginta peditum, duodecim equitum millia, Gallicis numero pares censerentur : atque adeo castris propinqua duces castra locaverant, ut quatuor leucarum (quarum singulæ duo italica milliaria conficiunt) intervallo tantummodo sejungerentur ; ducum animos, hostium prospectu incitante, atque acuente, ut pari virtute, atque ausu Guisius, ac Sabaudus propediem in aciem prodituri dicerentur. Inde magna mortalium animi suspensione detinebantur, quisnam tantorum conatuum exitus foret; in quamcumque partem se felicibus renidens succesſibus fortuna verteret, magnos inde motus, successus rerum varios consecuturos; hoc supremo post tot annos certamine afflictas, atque penitus prostratas vires christianæ reipublicæ nervos debilitatum, ac convulsum iri.

His præter ceteros Veneti solicitabantur, quod clades cladibus in dies adglomerari, exhauriri internecionibus Christianorum provincias intuerentur; inde communibus animos, ac vires hostibus adjici, qui perpetuis Christianorum Principum dissidiis superba nimium incrementa susciperent. His de rebus sæpius Præconsultores sermone inter se habito, diutius minime cunctandum rati, Senatusconsulto, legatis, ut quamprimum Reges adirent, eosque ad pacem ineundam Senatus nomine hortarentur, imperandum censuere: sensim collabentes christianæ reipublicæ vires ob oculos proponerent, ingentes populorum cædes : per tot annos in reipublicæ christianæ viscera sævitum : ne ex tot provinciis collectum copiarum florem conteri, neu tot fortissimos viros, tot egregios duces infausto, atque exitioso bello concidere paterentur. Literæ ad Reges adjectæ ; ut Regum legatis vocatis eadem ex Senatus sententia significarentur, latum.

Nicolai Zeni oratio.

Neque deerant qui statim designandos ad Henricum, ac Philippum extra ordinem legatos putarent, inter quos Nicolaus Zenus, continentis Sapiens, prompto vir ingenio, subtili, atque acuto dicendi genere præstans, qui temporum illorum

rum calamitates miseratus nunquam antea eo malorum deven- 1558
tum fuisse differebat : *Jam præpotentes Regum exercitus, quibus ea ætas majores non vidisset, exiguo spatio secerni, ut brevi, ni Deus Optimus Maximus hoc a cervicibus christianæ reipublicæ malum averteret, acie decertaturi essent; neque adhuc quemquam inveniri, qui de pace sermones injiceret: assiduis bellis defessos (uti a Reipublicæ legatis intelligeretur) Principum ad concordiam proclinatos animos esse. Verum fastu, atque animorum magnitudine eam propensionem tegi; qui prior de concordia verba fecisset, eum sibi detractum aliquid de gloria, ac dignitate arbitrari; ita importuno, atque exitiali silentio res ad extremum prope casum prolapsas. Cur igitur quæ sæpius pro pace excubasset Respublica, difficillimo hoc tempore in id sedulo, atque ex animo non incumberet? An rem tantam, tam gravem per literas, atque ordinarios legatos confici posse? Certos ad id mittendos cives esse, qui suadendo, hortando ad concordiam Reges impellere nitantur. An eorum oblitos esse, quæ superioribus annis, ad Nicæam missis legatis, effecissent, quorum opera Carolus, ac Francisci filius in decennium inducias pepigere? An illorum, quæ nuper inter Paulum Pontificem Maximum ac Philippum Regem bello, Phœbo Capella, ac Marco Antonio Francisco a secretis ad Albanum Ducem in castra proficisci jussis, egissent, unde immortali cum Senatus Veneti laude pax Italiæ effulsisset? Eam vero laudem ingenti utilitate cumulaturos : nam uter Regum victor evasisset, ambigendum esse, ne, ut Principum ingenia gloriæ, atque imperii avida sunt, fortunæ felicitate subnixus, adjecta potentiæ accessione, ad aliorum perniciem tenderetur. Henricum non modo Galliæ amplissimo, ac fortissimo regno imperare, verum, Scotiæ Regina in matrimonium adscita, Scotorum regnum obtinere; Suleimanum, potentissimum Turcarum Regem, socium, ac fœderatum habere. An non devicto hoste, ad Belgium occupandum sibi gradum facturum? An non vetere Insubribus, ac Neapolitano regno petendi desiderio incitatum in Italiam venturum? Philippum Hispanus, Belgium, Insubres, Neapolitanum regnum obtinere; Cosmum Florentiæ Ducem veteri, ac recenti beneficio devinctum; Urbinatem nuper suæ militiæ adscriptum, Octavium Farnesium Par-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 *Parmæ, ac Placentiæ Ducem addictum; multas in Germania clientelas habere. Quonam, depressis ac profligatis Gallis, superbæ gentis dominandi libido se se tolleret? Enitendum esse, ne grave hoc exortum incendium se se latius effundendo cuncta corripiat; Senatui præsertim, qui, ne nimium se se alterius efferret potentia, atque ut æquabili temperamento pax, libertasque Italiæ retineretur, laborasset. Itaque hoc rerum statu minime cunctandum; quamprimum, ut periclitanti christianæ reipublicæ subveniatur, extra ordinem legatos mittendos censere.*

Philippi Foscari oratio.

Iis, quæ a Zeno adducebantur Philippus Foscarus, Consilii Sapiens, *neminem arbitrari*, inquit, *ita tardo, atque hebeti ingenio esse, qui non summopere recondi ea arma cuperet, quæ miserrime in mutuam Christianorum perniciem distringerentur; id ipsum omnes & velle, & in primis optare, id porro non vanæ ostentationis specie, sed re ipsa statim peragendum esse, ne, dum legatorum missione tempus teritur, cunctando pulcherrimi consilii fructus interciperetur. Quæ vero propositæ legationis utilitas esset, non satis intelligere, dum eadem, quæ Zenus vellet, per ordinarios legatos perfici possent; nisi forte Suleimanum lacessere minime sibi pertimescendum arbitraretur, quem cunctus Reipublicæ actiones sedulo observare, qui ignoraret, esse neminem. Quasi vero*, inquit, *rebus conducere vestris possit, ut dum fœdere Principes nectere enitimini, adversus vos potentissimi Regis arma exacuatis. Quis enim nescit, postquam efferæ gentis potentia excrevit, quam gravia vobis ejus arma fuerint, quarum vel magnitudine, vel infida, ac suspecta sociorum amicitia quot damna subiveritis, prætereundum potius silentio, quam difficillimorum Reipublicæ temporum acerba memoria refricanda est. Illi vero maritimi apparatus, ea cunctis rebus adornata classis, an non in Cyprum destinabantur? nisi vestro studio, copiis, præsidiis, triremibus susceptа consilia disjecta, atque interturbata essent. Horum impetus ut fortiter, atque constanter sustinere virtutis, atque in patriam pietatis est; ita ultro provocare, atque elicere, neque prudentiæ est, ab iisque consiliis abhorret plurimum, quibus, armis invicem reliquis sævientibus, pacem retinuistis, servastis, auxistis.* Hæc, atque alia cum disceptata forent, frequens

quens Senatus Præconsultorum sententiam probavit, ac per dispositos equos ad legatos mandata perferri jussit. 1558

Veneti per oratores Reges ad pacē hortantur.

Acceptis Senatus literis, statim Joannes Michaelius ad Henricum, qui tunc ad Damianum oppidum extra Lutetiam morabatur, proficiscitur, quæ sibi injuncta fuerant, exequitur: *Quot ex acerrimo bello clades christiana respublica perpessa sit, quot eo tempore impendeant, exponit; nihil vel ad amplissimum Galliæ regnum servandum, atque augendum; nihil ad publica sananda vulnera pace opportunius esse: neminem inveniri, qui tot malis defessus summis votis concordiam non exoptet, pacem non exposcat: Veneti Senatus nomine enixe petere, orare, ut tandem perturbatis, afflictisque rebus prudentia, ac pietate succurrat, neve, quantum in ipso sit, eximium hoc bonum expetere diutius mortales patiatur.* Henricus, gratiis Senatui actis, belli causas in Hispanos confert, qui nimium elati, suisque rebus tantum augendis intenti, duriores conditiones proponant: Christianum se Regem esse, pietatis titulos a majoribus hausisse, pacem, dummodo sine detrimento, ac dedecore confici possit, ex animo amplexurum. Eodem officii genere Lotharingiæ Cardinalem, supremum Regis Consiliarium, Michaelius aggreditur. Is, præteritorum temporum memoria repetita, *una cum imperio hereditario veluti jure, bella ad Hispaniæ, ac Galliæ Reges pervenisse*, inquit, *quibus miserandum in modum christiana respublica lacerata, ac discerpta pene ad interitum properaret; sed hactenus qui aversos animos conciliandi negotium susciperet, neminem extitisse: Paulum Pontificem Maximum, cujus præsertim id munus esset, nullos unquam de concordia sermones injecisse; neque, si maxime velit, perficere quidquam posse, quod ei ne minimis quidem in rebus Reges confiderent: Venetos tandummodo, qui æque cum iis pacem servarent, atque in neutram partem inclinarent, tam grave, adeo arduum negotium posse ad exitum perducere.* Mihaelius inde Lutetiam reversus, quæ egerit, Catharinæ, Regis uxori, significat; quæ non aliunde conficiendæ pacis spem, nisi a Veneto Senatu dimanare posse confirmat: ut ad id onus suscipiendum Patres vehementer hortetur, a legato petit. Eodem tempore Michael Surianus citato itinere Bruxellis Atrebatum contendit; inde in castra ac Philippum progreditur, mandaquens

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 data exponit. Summum Rex in pacem ſtudium oſtendit; ne, uti maxime cuperet, conficeretur, Gallorum ſuperbiam, nimiamque regnandi libidinem impedimento eſſe. Eadem Albanus Dux, ac Feriæ Comes legato teſtantur; nihil omnino ſperandum arbitrari, niſi Senatus auctoritate, qua plurimum poſſit, uti velit: id ſi faciat haud dubie Gallos ad æquas conditiones concordiæ ſubeundas impulſurum.

Carolus Cæſar, imperio fratri delato, in Hiſpaniam ſe recipit.

Interea dum cuncti ancipiti rerum eventu, atque expectatione ſolicitantur, urbium oppugnationibus, præliis, direptionibus provinciæ, ac populi conteruntur; Carolus Cæſar in Hiſpaniam, tutum veluti portum, ſe recepit, atque humanis ſolutus curis, totum ſe pietati, ac religioni addixit, Imperiumque fratri detulit; idque per literas, Arauſionenſi Principe in Germaniam miſſo, Septemviris ſignificat. Ii cum Francfordiam conveniſſent, Ferdinandum Caroli loco Imperatorem dixere. Qui gratulatum ad illum proficiſcerentur, legati a Senatu deſignati; Joannes Capellius eques, Bernardus Naugerius. Ferdinando vero ſeptemviralibus comitiis Imperii dignitatem adepto, Paulus Pontifex Maximus mirum in modum excanduit, quod lege minime renuntiatum diceret, neque Carolum ad alium cæſareum decus transferre potuiſſe; penes Septemviros jus tantum defuncto ſucceſſorem eligendi, viventi non eſſe; ſi quis abdicare ſe Imperio velit, eum (uti pontificio diplomate caveretur) ſupremo reipublicæ chriſtianæ Principi, Pontifici, inquam, illius faſtigium dignitatis permittere oportere. Itaque Paulus Martinum Guſmanum, quem ad eum Ferdinandus legaverat, neque uti legatum urbem ingredi, neque ad colloquium admittere voluit. Is dum e Germania Romam proficiſceretur, Venetias accedens, Principe, ac Patribus Ferdinandi nomine conſalutatis, ut ei favere apud Pontificem vellent, rogavit. Neque Aloyſius Mocenicus legatus a Senatu juſſus quidquam, quo Pauli animus flecti, ac molliri poſſet, prætermiſit: *ne perturbatas adeo chriſtianæ reipublicæ res recenti hoc, graviſſimoque diſſidio cumularet: ne de religione diſſentientes Germanos acerbius exaſperaret: Ferdinandum egregia pietate, catholicæ religionis ſtudio incenſum, nihil ejuſmodi fuiſſe promeritum: videret, ne acriter nimium agendo, ad ea conſilia, a quibus adhuc averſus fuerat, impelleretur: non defuturos qui illum armis, pecunia juvando incitent, quo ſeceſſio, ac ſchiſma in Eccleſia ſuboriatur: inde clades innumeras, ac calamitates emanaturas; itaque altius providendum, ac ne*

Joannes Capellius, Bernardus Naugerius ad Ferdinandum Cæſarem legati. Paulus Pontifex Imperii ceſſionem ratam non habet.

Martinum Guſmanum a Ferdinando miſſum, Pontifex ad urbem accedere vetat.

ne parva initia in ingens malum evadant, Pontifici in primis proſpiciendum. Sed a ſuſcepta ſemel ſententia Paulum dimovere difficillimum erat; in re præſertim, in qua de pontificia dignitate, & auctoritate agi ſibi videretur; pleriſque licet concedendum aliquid, ac de nimia ſeveritate nonnihil remittendum cenſentibus. Quocirca in dies cum negotium extraheretur, Ferdinando jubente, Guſmanus Roma, re infecta, diſceſſit. At mox Franciſcum Vargam apud Rempublicam legatum (ſi qua definiendæ controverſiæ ratio iniri poſſet) denuo Romam mittendum cenſuit. Venetis vero, ne altioribus radicibus malum coaleſceret, aſſidue adnitentibus, inani fructu ſumptus labor, neque quidquam Paulo vivente confici potuit. 1558

Franciſcus Vargas Venetiis Romã Ferdinandi cauſa proficiſcitur.

Gallorum & Hiſpanorum legatorum acerrima de principe loco controverſia.

Verum Ferdinando Imperatore renuntiato, quæ ſuperiore anno inter Regum legatos de potiori loco obtinendo controverſia exorta fuerat, animos in ſuorum Principum, ac gentis decus incenſos obſtinate, atque acerbe nimium exercuit. Cujus rei ſeriem ſi brevibus univerſam complectar, operæ pretium me facturum exiſtimo. Antequam e Belgio in Hiſpaniam Cæſar proficiſceretur, Franciſcum Vargam e Veneta legatione adcerſitum, cum per aliquot menſes apud ſe detinuiſſet, rurſus cum ſuo, tum Philippi filii nomine Bruxellis datis literis in Italiam contendere, atque eodem munere apud Venetos fungi juſſit; ipſe mox (uti fecit) abjectis Imperii adminiſtrandi curis, ac moleſtiis, in Hiſpaniam abiturus. Vargas ad urbem accedens, cum, de more, Patrum Collegium adiiſſet, ſe Cæſaris, ac Philippi nomine legationem obitum ſignificat; nullum officii genus, quo vel regum benevolentiam vel ſuam in Rempublicam obſervantiam patefacere poſſit, prætermiſſurum. Ut vero de principe loco retinendo Patrum ſententiam eliceret, adjicit: *Pro feſto quoque divi Marci die, qui vii. kal. majas concelebrari ſolet, in comitatu Principis futurum.* Ad hæc Princeps: *Vargæ adventu, ac repetito legationis munere nil gratius cunctis civitatis ordinibus accidere potuiſſe. Sed cum antea Lodovenſis Antiſtes, Gallorum Regis orator, invitatus fuiſſet, vereri ne inde (quod minime vellet) contentionis occaſio ſubrepat.* Tum Vargas: *non a Philippo tantum, ſed a Cæſare, quemadmodum fiduciariis li-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 *teris conſtaret, ad Rempublicam deſignatum fuiſſe*, inquit: *decedere de ſuo jure non poſſe: petere, ut in ejus, quem antea obtinuiſſet, loci poſſeſſione retineretur: ſi ampliſſimorum regnorum, quibus Philippus potiretur, præſtantia, ac numerus recenſeatur, an non illum antecedere, neque ulli primas deferri oportere?* His ab Henrici legato cognitis, ſtatim ipſe Patres convenit. *Admiratione ſe affici*, inquit, *quod antiquitus Galliarum Regum oratoribus delatum honoris locum præripere ſibi Philippi legatus velit, qui jam ſe Cæſaris legatione abdicarit, atque ex veteri inſtituto Venetiis digreſſus duplicatis muneribus a Senatu decoratus fuerit: Carolum, legatis Principum dimiſſis, in Hiſpaniam ſe recepiſſe; mole regnorum depoſita, privatam vitam ducere: & nunc, pulcherrimo aſtu Cæſaris nomine literis inſcripto, illud quæri, ut Gallorum Regem qui ceteros vel antiquitate, vel dignitate, vel titulis antecederet, Philippus præiret: ſe itaque nunquam de ſuo jure quidquam remiſſurum, neque ſolenni die a Principis latere deſceſſurum.* Ex his legatorum diſſidiis ne quid gravius accideret, enitendum Patres cenſuere. Marcum itaque Antonium Amulium conſilii, Dominicum Bolanum continentis Sapientes ad oratores mittunt, qui hortentur; ſuadeant, ea die a publicis ſe cæremoniis abſtineant. Qua ratione, qua prece obfirmatos animos aggreſſi tandem flexere; quæ acciderant, Jacobo Superantio apud Henricum; Michaeli Suriano apud Philippum legatis ſignificantur; quid ea in re ſtatuerit Senatus Regibus exponere jubentur. Henricus, *quæ Patres decreviſſent, probare ſe*, ait, *neque ſecus decerni potuiſſe*. Philippus, *ſuam dignitatem, ac decus Reipublicæ cordi fore, ſibi ita polliceri, quam qui maxime*, affirmare.

Itaque toto ſuperiori anno legati ſe a Principis comitatu abſtinuere; ſed cum a Ferdinando, qui nuper, ut diximus, Imperii gubernacula ſuſceperat, legatus Venetias acceſſiſſet, ea ex re opportunitatem nactus Aquenſis Epiſcopus, in Lodevenſis defuncti locum orator ſuffectus, ut ſibi quem ſemper Cæſaris oratori proximum locum obtinuerat, a Senatu permitteretur, flagitat. *Cur enim priſcum Gallorum jus cunctatione ipſa vel adimeretur, vel in dubium vocaretur? ut diutius ſua poſſeſſione interdiceretur, æquum non eſſe.* Proximus erat aſcendenti Chri-

Chriſto Servatori in cælum dicatus dies, qui vetuſta conſuetudine ſacer, ac ſolennis quam maxime civitati habetur, quem ingens parta de Othone, Friderici primi Imperatoris filio, navalis victoria, qua Alexander tertius Pontifex Maximus in priſtinum dignitatis locum eſt reſtitutus, ſinuſque Hadriatici civium ſanguine adeptum imperium annuli ſtata cæremonia, ac deſponſatione percelebrem reddunt, in quo Princeps regio amictu bucentauro ad id munus obeundum legatorum, magiſtratuum, ac Senatorum ſtipatus corona, undique cymbis, biremibus, aliiſque navigiis circumfuſa populi frequentia devehitur. Vargas itaque cum de Aquenſis Epiſcopi petitione cognoviſſet, Collegium illico adit: *ne ſibi Henrici legatus præferatur, quem ipſe merito præire debeat,* poſcit. *Cur enim Philippus præferendus non ſit, quem tot regna, ac provinciæ ſupra ceteros Reges eveherent? Hiſpaniarum regna, Belgium, magnam Italiæ partem; Inſubres nempe, ac Neapolitanos obtinere, ultra Gaditanum fretum, Herculeaſque metas ad ignotas antea novi orbis immenſas in occidentem regiones ſe ſe protendere. Britanniam nuper dotali jure adjectam, cujus Reges Franciæ titulos ſibi adſciverint. An vero ſi ſuperiori tempeſtate proximum Cæſaris legato locum Gallus obtinuerit, id nunc quoque ſervandum eſſe, cum rerum vices, ac temporum conditiones immutatæ ſint? Humana cuncta varietati obnoxia, tolli nonnunquam, aliquando deprimi, ut mirum non ſit, tot titulis, tanta regnorum acceſſione auctum Hiſpaniarum Regem principem ſibi locum vendicare. His addi egregiam Philippi in Rempublicam voluntatem, quam ſæpius teſtatam, ſi ſe obtuliſſet occaſio, omnibus benevolentiæ officiis, copiis, claſſe, viribus res Venetas juvando patefacturum: ſperare ſibi a Senatu eum honoris gradum delatum iri, quem & Regis majeſtas, & ſpectatus in Rempublicam animus expoſceret. At ſi quid ea in re ſtatuere Senatus velit; ne, ſe inaudito, quidquam decernatur, flagitare. Si feſto Aſcenſionis die Henrici legatus intereſſe velit, ſe quoque adfuturum, neque adeo præripi ſibi locum paſſurum; vim adhibenti vim illaturum.* Hæc acriter adeo utrinque & apud Patres, & paſſim in urbe jactabantur, ut a maledictis, & contumeliis non abſtineretur. Cum vero neque Principis ſuaſiones Vargæ incenſum, atque æſtuantem animum ſedare, neque Franciſcus Franciſcius, Decemvirum ſcriba,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 ba, ad Aquenſem miſſus ab inſtituta ſententia amovere potuiſſet, Senatum tandem cogere neceſſe fuit, ejuſque decreto legatis ſignificari : ſibi placere, ut jurgiorum, & contentionum vitandarum gratia ſolennibus non intereſſent. Bernardus Naugerius, Jacobus Superantius Præconſultores ad oratores mittuntur. Vargas, *ſe à Senatus voluntate non diſceſſurum*, inquit. Aquenſis, quem ſemper obtinuerat, ſibi locum adimi conqueſtus, publico ſcriba teſte adhibito, *cuncta Henrico ſcripturum, ejuſque mandata expectaturum*, affirmat. *Interim vero cum obſiſtere Senatus decretis nequeat, celebritati non adfuturum.*

Senatus decretum de Gallorum legato in poſſeſſione potioris loci retinendo.

Cum vero in dies majoribus negotium difficultatibus involveretur, atque æqua Gallorum poſtulata Patribus viderentur, retinendum in priſca poſſeſſione Gallum cenſuere. Itaque, ut a Principe Senatus verbis Vargæ legato ſignificaretur, latum : *Poſt Caroli in Hiſpaniam ſeceſſum, dum pro Philippo Hiſpaniarum, atque Angliæ Rege legationis munere fungeretur, rem a Senatu cunctationibus, moraque extractam : modo, cum a Ferdinando nuper ad Imperium ſublato orator acceſſiſſet, qua ratione Aquenſi diutius, quem Galli Reges ſemper retinuerant, locus pernegaretur, non ſatis videre : quippe qui poſt Cæſaris legatos, uti complura, eaque priſca, pacis, fœderum, publicorumque geſtorum monumenta teſtantur, reliquos Chriſtianos Principes prægreſſus eſſet : neque eo quidquam de Philippi juribus detractum, aut imminutum iri ; ſubortas vero controverſias eorum, quibus definiendi jus ſit, ſententia dirimendas voluiſſe.* Vargas, ad quem nonnihil diſſipatis per civitatem rumoribus de Senatuſconſulto pervenerat, ſecretius Collegium, Decemvirum magiſtris præſentibus, adiit : *Per omnium ora circumferri*, inquit, *de legatorum loco decretum ; quæ in vulgus diſpergerentur, an vera ſint, noſſe cupere.* Tum Senatuſconſulto audito, acriter, atque acerbe conqueritur : *indicta cauſa legem latam : ſi ſententiam ferre Senatus voluerat, rationes ſuas antea deſpiciendas fuiſſe. Quid Philippus, ejus rei nuntio accepto, faceret, ignorare : pro comperto habere, magnam ſibi illatam injuriam exiſtimaturum ; omnia potius fieri, quam ita cum Catholico Rege agi oportuiſſe, quem ſemper amicum Reſpublica experta ſit, cujus claſſe ad communes*

Franciſcus Vargas, Philippi Regis legatus, de Senatus decreto conqueritur.

nes opprimendos hoſtes ſocia uti poſſet. An ea ab Henrico Galliæ Rege auxilia ſperarent, qui Chriſtianiſſimi titulo jactabundus, Chriſtianis ipſis infenſiſſimus eſſet : recentia, atque adhuc ſanguine reſperſa veſtigia Surrentum, Maſcum, ac quidquid Salernitana ora continetur, inſpicerent. Quid ejuſmodi in Philippo Catholico Rege, ad pietatem, ac juſtitiam nato, vel invidorum hominum livor inveniat ? Proinde cum ita viſum Senatui fuerit, illius mandata expectaturum, neque ab ea die in Patrum conſpectum uti legatum proditurum. His a Varga vehementi oratione enunciatis, Princeps brevibus reſpondit : *Nihil, quod alicui damno verteret, Senatum ſanxiſſe, aut juſſiſſe ; priſci moris nil immutatum, ut eam ob cauſam Rex eximia prudentia præditus perperam ſecum actum a Republica exiſtimaret, quam veteribus non modo, ſed recentibus conſiliis, actionibus, officiis amicam cognoviſſet.* 1558

Philippi Regis & Hiſpanorum ob Senatus decretum perturbatio.

Verum quam credi par erat, altius Philippi animo vulnus, quod ſibi Senatus decreto inflictum rebatur, hærere viſum eſt. Cum enim de eo nuntius Bruxellas allatus eſſet, omnes conqueri, fremere, Venetos maledictis inceſſere ; prælatum Hiſpano Gallum non pati : *Non id potiſſimum Regem promeritum ; non id decerni a Senatu debuiſſe.* Hæc altius inſidere Michael Surianus, orator, vir ſingulari prudentia, acri atque expedito ingenio, moleſte ferens, malevolorum hominum voces obtundere, & Senatuſconſultum tueri, ſtudebat ; quidquid ſtatuiſſet, æquitatis ſtabili, inconcuſſoque fundamento inniti. *Quid enim decretum, niſi, ut, quem ſemper poſt Cæſaris legatos Gallus locum obtinuiſſet, in ejus poſſeſſione perſeveraret ? uter maximorum Regum præiret, neque ad ſe ſpectare, neque decreviſſe.* Sed in Philippo magna animi perturbatio, quod inde nonnihil de ſua detractum dignitate arbitraretur. Cui cum Surianus rem, uti geſta erat, expoſuiſſet, *graviter ſe, quæ acta fuerant, ferre*, reſpondit, *atque eo gravius, quod Gallorum metu facta fuiſſe viderentur.* Ad hæc Surianus : *Ex iis, quæ Senatus decreverat, nihil de veteri in illum benevolentia, atque obſervantia ademptum voluiſſe ; neque judicis partes ſuſcepiſſe : quid enim ab eo magis alienum ? nihil de priſca conſuetudine immutatum : proximum Cæſaris legato locum, quem ſemper obtinuerat, ut in eo permaneret, Regi Gallo*

Michaelis Suriani apud Philippum oratoris prudentia in Senatus decreto defendendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 *lo permiſiſſe : nihil vero metu Senatum egiſſe , ea ſatis patefacere , quæ ſuperioribus annis a Republica geſta fuerant .* His lenire Regis animum , Senatumque tueri eſt adnixus ; cum regis vero præconſultoribus , Albanoque in primis Duce , acrius propugnat ; ratione , prudentia , dicendi vi ita agit, ut , deſæviente impetu , ac maturius rem expendentibus , primus animorum ardor ſenſim tepeſcere , atque elangueſcere videretur , Albano ipſo affirmante : *nihil ob id de Philippi in Rempublicam benevolentia deceſſiſſe ; cunctis opibus , quadocumque ſe occaſio daret , præſto futurum ; ſecum Surianus reputaret* (hoc enim ſermone utebatur) *Philippi Regis claſſem , & copias in Venetorum atrio , veluti clavo infixas eſse ; ſublato , iis , prout libuiſſet , uterentur* . Hæc an Hiſpanica adſentatione , an ex animo diceret , incertum ; illud exploratum , cum ad Regem , ut de adepta ad Gravelingam victoria gratularentur , legatus acceſſiſſet , perhumaniter exceptum , quamque Rex animo moleſtiam contraxerat , abſterſiſſe , atque abjeciſſe omnino viſum eſſe . Attamen paulo poſt , Franciſco Varga Romam ob Ferdinandi negotium proficiſci juſſo , intimos animi ſenſus diutius cohibere non potuiſſe ſignificavit , quamvis Vargas ad obeundam rurſus legationem rediturum , Joanne Hernando ab epiſtolis interea relicto , conſtanter affirmaſſet .

Caroli Cæſaris obitus, & elogium .

Sub id vero tempus Carolus Cæſar octavum ac quinquageſima annum agens exceſſit , Imperator prudentia , fortitudine , rebus geſtis inſignis , felicitate nulli ſecundus ; niſi in ſenium vergentem corporis vires , inſitus ad gloriam impetus , ac fortuna ſuis cœptis adſpirare aſſueta defeciſſent . Multa cum illo Venetis , cum ad Italicam pacem firmandam , tum ad Turcarum impetus repellendos fœdera interceſſere , ex quibus nullum ſumptibus , laboribus , ac periculis dignum Reſpublica fructum tulit . Nam Franciſco , Sfortiæ ſobolis poſtremo Mediolani Duce , defuncto , ut Inſubribus alium Ducem daret , nunquam adduci potuit . Bello vero cum Suleimano geſto , vel miniſtrorum negligentia , & inſito in Venetos odio ; vel ingenti rerum mole Cæſare preſſo , in Rempublicam univerſum fere belli pondus procubuit . Ceterum propenſo Carolus in Venetos animo extitiſſe , de illis honorificentiſſime ſenſiſſe , magnique eorum amicitiam feciſſe viſus eſt : neque im-

immerito , quod Senatus peramplis ſibi propoſitis conditionibus , a pace nunquam receſſiſſet ; Mauritii Saxonis arma fugientem , ad Julium Carnicum receptum , foviſſet , atque ad ſpem meliorem erigere conatus eſſet . Ipſe vero , Maranum in Venetorum poteſtatem conceſſiſſe , fratrem ægre ferentem , atque ira æſtuantem demulſit , ac pacatiorem in Rempublicam reddidit . 1558

Philippi Regis conſilia de pace .

Caroli patris obitu Philippi Regis conſilia a belli curis ad concordiam flectebantur ; cum ad Hiſpanicam profectionem in dies exſtimulatus Belgium , & Italiam attritas , ac quaſſatas , pace prius recreare , ac reficere vellet . Igitur , Magnus equitum Magiſter ac Sanctadreanus Tribunus , vulgo *Mareſciallum* vocant , qui captivi ab Hiſpano detinebantur , una cum Arauſionenſi , Ruigomeſio , Meliti Comite , atque Atrebatum Antiſtite , Lillam Frandriæ oppidum convenere . Ibi jactis de pace ſermonibus , ut , veteribus omiſſis controverſiis , de iis tantum , quæ poſt ademptam Carolo Sabaudio Allobrogum provinciam acciderant , diſceptaretur , ſancitum eſt . Inde ad Clercampium , in Sancti Pauli comitatu cœnobium , Lotharingus Cardinalis , equitum Magiſter , Sanctandreanus , Aureliani Epiſcopus , Albaſpina a ſecretis pro Gallo ; Albanus Dux , Atrebatum Antiſtes , Ruigomeſius , atque Auraſionenſis pro Hiſpano , ſe contulere . Induciæ in viginti dies pactæ ; adventante hyeme , cum ægre ſub ſignis contineri copiæ poſſent , in hyberna deductæ . Ceteris compoſitis , cum Caleti tantummodo controverſia ſupereſſet , oppido decedere Gallis negantibus ; Philippo vero , Anglo non adſentiente , nullas conditiones admittente , negotium anni reliquo extractum , in duos menſes induciæ prorogatæ ſunt . Cameſium Cameraci Epiſcopi oppidum , quo anni ſequentis initio ad rem perficiendam convenirent , deſignatum : cum interea Maria Britanniæ Regina , Philippi uxor , diuturna ægritudine confecta obiiſſet ; cui Eliſabetha , ex Anna Bolenia ab Henrico Octavo ſuſcepta , ſucceſſit . Eadem quoque die Reginaldus Polus Cardinalis deceſſit , cujus virtus , ac ſingulare in catholicam religionem ſtudium enituit . Inde præcipuo Britanniæ lumine extincto , piaque Regina defuncta , regnandi initio liberum unicuique Eliſabetha religionis arbitrium permiſit .

Lillæ conventus ad pacem inter Reges tractandam .

Induciæ inter Reges pactæ .

Reginaldi Poli Cardinalis obitus. Eliſabetha religionis arbitrium permittit .

Eo-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 Eodem anno ob Ollium amnem inter Brixienſes, & Cremonenſes tumultuatum, cum hi priſca totius fluminis poſſeſſione Brixienſes depellere conarentur. Ac primum ad jurgia; mox ad arma deventum eſt; perampla, ac nobili Brixiæ civitate, ne quidquam, quod juribus ſuis officeret, finitimi molirentur, adnitente: cum ex eo amne, qui a Sebino lacu, quem hodie *Iſeum* vocant, manans aquarum fecunditate Brixienſe ſolum ingenti ubertate donat; quamplurima publice, ac privatim commoda incolæ conſequantur. Igitur Brixienſes milites cogunt, ad Ollii ripas armati conſiſtunt, vi adverſus Cremonenſes uſuri. De iis contentionibus cum Vargas Philippi legatus cognoviſſet, ut Brixienſes ab armis abſtineant, amice ſubortæ controverſiæ tollantur, a Senatu petit; ne parvis initiis inter finitimos, atque invicem incenſos populos bellum exoriatur. Poſtulatio æqua Patribus viſa. Itaque Rex, ac Veneti, edicto promulgato, ſuos utrinque ab armis diſcedere jubent. Mox, ut negotium per arbitros definiretur, decretum. Veneti Dominicum Bolanum, Brixiæ Prætorem, dixere; Philippus Joannem Anguſolam, Senatorem Mediolanenſem, dedit: ii condicta die cum ad Ollii ripas ſtetiſſent, atque de controverſiis diſceptaſſent, re infecta, diſceſſere.

Brixienſium & Cremoſium de Ollio amne diſſenſiones.

Dominicus Bolanus, & Joannes Anguſola arbitri de Brixienſibus & Cremonenſibus cõtroverſiis.

M. D. LIX.

1559 INſequentem annum a Virgineo partu M. D. LVIIII. pax inter Reges initio ſancita inſignem reddidit, qua afflictæ, ac perturbatæ chriſtianæ reipublicæ opportune conſultum eſt; tum quod ingentes copias Suleimanum ad Pannonias invadendas cogere, Viennamque præpotenti exercitu adoriturum nuntiaretur; tum quod religionis diſſidia eo uſque excreviſſent, ut peſtilens in Germania jam exortum virus non modo Angliam, catholica Regina defuncta, afficeret; ſed in Galliam quoque paſſim ſerpendo ſe ſe effudiſſet, quæ præter alias cauſas ab externis curis ad internos morbos curandos Henrici animum traduxerant. Itaque Cambreſii pax iis conditionibus inita eſt: *Quæ ad totius reipublicæ chriſtianæ incolumitatem, decus, atque incrementum attinerent, ea ſe Reges*

Pax inter Galliarum & Hiſpaniarum Reges Cambreſii inita.

ges præſtaturos, atque ad religionis diſſenſiones tollendas quamprimum concilium univerſale cogi curaturos pollicentur: In Morinis, ac Belgio utrinque capta oppida, Hedino excepto, reſtituantur: Taravanna in Galli poteſtatem redeat: Quæ in Monferratenſi ditione loca occupata fuerant, Mantuanorum Duci tradantur; ipſe vero incolis, qui ad partes Regum tranſierint, id minime fraudi fore, jurejurando ſeſe obſtringat: Valentiam Inſubrum civitatem Galli deſerant: Cirnum inſulam Genuenſes uti antea poſſideant: Qui ex Corſis Henrico faverint, pœnæ immunes ſint: Oppidis, quæ in Hetruria Galli poſſident, decedant: Sabaudo quæcumque Galliarum Rex in Subalpinis occupaverat, Auguſta Taurinorum, Pinarolo, Clavaſco, Cherio, Villanova, in Haſtenſi agro; quæ per triennium in ejus poteſtate ſint, exceptis, reſtituat, quo tempore Philippus Haſtam, Vercellaſque poſſideat. Vt pax firmius coaleſceret, connubii nexus acceſſere; Philippus Eliſabetham, Henrici Regis majorem natu filiam, quadringentorum aureorum millium dote tributa, uxorem duceret; Emanueli Philiberto, Sabaudiæ Duci, Margareta Henrici ſoror connubio jungeretur; trecenta aureorum millia, ac Biturigum, quoad ea viveret, ditio tribuerentur, dum æque cum Regibus amicitiam coleret. Hæ præcipuæ pacis leges fuere. In amicis vero recenſendis honorifica utrinque Venetorum mentio facta. Optatæ pacis nuntio Venetias allato, publicæ lætitiæ egregia ſigna edita; Senatus decreto in divi Marci baſilica ſolenni more divina peracta ſunt; ſupplicatio circa forum, cuncta urbis affluente multitudine, religioſa pompa habita; cum in affabre factarum contignationum circumlatione auri, atque argenti innumera cælata ſculptaque vaſa oculos intuentium perſtringerent, exaggeratæque urbis opes mirifice oſtentarent. Qui de ſancita pace Senatum certiorem faceret, Theophilum Calcagninum Henricus Venetias miſit. Eamdem Philippus per literas, postque Hermundum a ſecretis ſignificavit. Legati duo, Joannes Capellius, Marcus Antonius Amulius, tunc Veronæ præfecturam gerens, deſignati; quorum ille in Galliam, hic in Hiſpaniam ad gratulationis munus cum Regibus obeundum proficiſcerentur.

Philippi Regis cum Eliſabetha, Henrici Regis filia, nuptiæ.

Emanueli Philiberto Margareta Henrici ſoror connubio juncta.

Joannes Capellius in Galliam, M. Antonius Amulius in Hiſpaniam oratores deſignati.

Inteſtinis reipublicæ chriſtianæ pacatis diſſidiis in Suleimanum

Suleimani filiorum de regno diſſenſiones Turcas a Pannonico bello amovent.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1558 num Pannonicam expeditionem, atque Viennæ oppugnationem meditantem, cunctis intendentibus, graves inter filios contentiones, atque adversa in regnum nitentium studia, ab externis bellis ad domesticas curas avocarunt. Cum enim illorum odia, atque inimicitias prorsus sedare, ac restinguere frustra nixus esset, Bajazetem minorem filium, solicitante metu, ne sævo gentis instituto, regium solium Selymo obtinente, ei victima caderet, res a privatis dissensionibus ad publica arma deducta est. Bajazetes Ancyræ Galatiæ civitate quantas potest equitum, ac peditum copias cogit; Syriæ præfectum sibi adjungit; ex circumjectis regionibus præsidia comparat. Selymus quoque frater delectus militum habet; exercitum instruit; pater subsidia mittit, Bajazetis interitu, intestinam pestem in Ottomanico regno delendam ratus. Haud procul ab Iconio acie dimicatum. Verum multitudine virtus Bajazetis repressa; victus e Cilicia cum quatuor filiis, ac militum manu ad Tacmassum Persarum Regem profugit. Suleimanus veritus, ne Persarum auxilio res novas moliretur, ingentibus pollicitis a Persa extorquet, ut filius, ac nepotes Ottomanicæ gentis instituto, quæ regnum neci, ac sanguini permiscet, e medio tollat: testem facinori, ne dolo obtegeretur, prægustatorem suum, Bajazeti notum, in Persidem ad regiam urbem Casbinum mittit. Eo præsente patri, ac filiis funiculo adstrictæ fauces, intercluso spiritu, finem vitæ dedere; corpora Sebastem delata, & condita sunt.

Hæc domestica Suleimani diffidia inhiantem Pannoniis animum eo anno revocarunt, ac ne pax cum Venetis, ob ea, quæ ad Dyrrhachium accidere, turbaretur, effecerunt. Nam piratis Apuliæ oras divexantibus, navigiaque per sinum Hadriaticum Venetias confluentia fœde diripientibus, Pandulphus Contarenus, classis legatus, cum decem expeditarum triremium manu ad ea purganda maria se contulit. Forte vero navigium cadis olei onustum quatuor biremes interceptum Aulonem protraxerant; recipere abnuente præfecto, Dyrrhachium perduxerant; inde, navigio in portu relicto, tertia noctis vigilia digressæ, ad Lachium promontorium se proripuere. Legatus, biremibus non inventis, Corcyram iter intendens, in tres myoparones, majores duos, alterum parvum cum

Venetum navigium a piratis captum Dyrrhachium perducitur.

cum incidisset, incitatiore remigio prosequitur: minor utpote levior, fugæque aptior, propinquum amnem subit; reliquos Dyrrhachium versus fugientes acriter nostri insequuntur. Et jam ex triremibus duæ altius provectæ ita institerant, ut eos tormentorum ictibus assequerentur: cum vero promontorio, ad quod Turcicæ biremes constiterant, ita prope essent, ut ad eas machinarum bombus perveniret, binas triremes prægressas, aliasque subsequentes conspicatæ, statim Dirrhachio propius se intulere. Nostri, ne disparem subire pugnam cogerentur, legatum cum reliquis triremibus præstolantur. Jam sex biremes ad urbis mœnia accesserant, iisque se protegebant, cum legatus superveniens Dyrrhachium recta petit. Quid hostes moliantur, in tuta tormentis statione contemplatur. Nunquam se loco moventibus, die frustra insumpto, sole abeunte discessum parat. Tum Antonius Canalis, ablegatarum triremium præfectus, ad Contarenum versus: *An sex infamium piratarum biremes impunes relinquemus? Quæ tot navigia, quorum unum etiam ante oculos obversatur, intercepere? Patiemur teterrimos homines, nobis inspectantibus, Veneta navigia diripere; prædas e nostris agere? Neque ullus priscæ virtutis vigor animos in justam vindictam exacuet, atque extimulabit? An non id probro, ac dedecori nomini, ac famæ erit nostræ, si hinc nullo virtutis edito conatu discedimus? Nonne ex hoc elatiores, atque insolentiores facti, majoribus damnis, ac cladibus innoxios Venetæ Reipublicæ subjectos afficient?* Non ultra effatus Canalis: Contarenus cum triremibus digressus, aquatione facta, postridie diluculo Dirrhachii portum ingressus, oppido appropinquat; atque tormenti absque pila, displosione, amicitiæ signa edit. Ex arce quater excussæ cum globis machinæ, ita nostros consalutarunt, ut triremis Joannis Balbi remi aliquot frangerentur. Id legatus conspiciens, propius ad oppidum accedit; ne sibi biremes eriperentur, incolæ veriti, incondite magno tumultu conscendunt; veluti pugnam cum nostris commissuri, progrediuntur, cum interim ex arce continenter omnium grando emitteretur. Contarenus in hostes crudelissime fertur; frequentibus, terrificisque bellicarum machinarum ictibus rem gerit. Piratæ, dejectis animis, spe amissa, fugam moliuntur; biremibus relictis, in terram exiliunt. Binæ demersæ fluctibus fuere;

Piratarum biremes Dyrrhachii se recipiunt. Antonius Canalis Pandulphi Contareni contra piratas concitat.

Pandulphus Contarenus Dirrhachii portum ingressus biremes piratarum invadit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

fuere; inde oppidum, atque arx a noſtris verberari cœpta; mœnia compluribus in locis diruta. Incolæ metu perterriti, fuga ſaluti conſulunt; nonaginta ex Turcis periere; neque verberatio intermittebatur; cum oppidani duos ex ſuis cum literis ad Contarenum oratum miſere, ut ab eorum damnis, atque injuriis temperaret; oppidi præfectos abſentes, qui ſi affuiſſent, nihil ejuſmodi accidiſſet; reverſos, malorum auctores dignis pœnis affecturos. Legatione audita, Pandulphus, receptui canere juſſo, cum triremibus digreditur; navigium pridie captum Aſcrivium perductum eſt.

Id Contareni factum vario animorum ſenſu civitatem commovit; vulgus extollere, *quod ſtrenue, ac naviter rem geſſiſſet, piratarum faſtum, atque inſolentiam repreſſiſſet: non cunctatione, ac ſegnitie, cui nonnunquam prudentiæ tituli prætexerentur, utendum, ſed vivido animi impetu humani generis hoſtium conatus opprimendos fuiſſe; cunctiſque patefaciendum, non fruſtra adornari triremes, claſſes inſtrui, immanem exhauriri pecuniæ vim; ſed, ut implacabiles cum prædonibus inimicitias exercendo, tuta maria mortalibus redderentur*. At iis, qui rem maturius expendebant, non inanis gloriæ ſpecies, ſed quæ inde oriri incommoda poterant, obverſabantur: *Dum pacem cum Turcarum Rege Reſpublica coleret, claſſis legatum in illius portus ſe ſe intuliſſe, oppidorum mœnia verberaſſe, incolas cæde affeciſſe: verendum, ne Suleimanus injuriæ impatiens, inſita Ottomanorum ſuperbia tumidus, aliquid in Rempublicam moliretur, atque unius civis temeritate pax abrumperetur: fatale huic familiæ videri, ut belli Turcici omina, atque initia daret: Alexandri Contareni, claſſis legati, hujus Pandulphi fratris, anno* M. D. XXXVII. *iracundia, divulſa cum Turcis pacis fœdera, exortum atrox, & difficile bellum: quo per triennium variis caſibus, ac jacturis fortuna Rempublicam exercuerat*. His adducti Patres, Senatuſconſulto Pandulphum Contarenum, legatum, Venetiis coram Principe, ac Patribus ſe ſiſtere, facti rationem redditurum, juſſere; Jacobo Celſo, ſinus Hadriatici præfecto, ut ei Senatus decretum nuntiaret, interea claſſis curam ſuſciperet, injunctum. Chriſtophorus Canalis legatus ſuffectus, ſtatim juſſus urbe diſcedere. Literæ ad Marinum Caballium Byzan-

Pandulphus Contarenus Venetias, in jus vocatur.

Chriſtophorus Canalis claſſis Contareni loco legatus.

zantium datæ, ut ingentes in Dyrrhachinos querimonias jactaret, quod prædones reciperent, teterrimis, atque omni labe coinquinatis hominibus, in navigia, ac negotiatores ſævientibus, apud eos tutus receptus eſſet; inde malorum omnium cauſam effluxiſſe: in homines hujuſmodi ſevere animadverteret, pœniſque meritis coerceret; ſi quid Reipublicæ legatus deliquiſſet, in eum Senatum graviter animadverſurum. Illyrici quoque magiſtratibus præceptum, ut intentiori cuſtodia pro finibus excubarent, ne Turcarum incurſionibus ex Dyrrhachii ſucceſſu prædæ occaſionem more gentis captantium paterent. Corcyræ copiæ trecentorum peditum ſupplemento auctæ. Veruntamen; vel, quod ea, quæ acciderant, invitis Venetis contigiſſent; vel potius, quod Suleimanus gravioribus cogitationibus filiorum dimicatione detineretur, cito ea moleſtia Marini Caballii virtute depulſa eſt. Re enim, uti geſta erat, intellecta, vel ſuorum ignaviæ, vel malignitati quæ evenerant tribuenda ratus, ad Senatum Suleimanus literas dedit, quarum ſumma hæc erat: *Quæ ad Dyrrhachium contigiſſent, ex Senatus ſententia fuiſſe perpetrata minime ſibi ſuaderi; quippe qui propenſum Venetorum in pacem cum Ottomanis ſtudim noſſet: æquum ob id cenſere, ut ex pacis legibus ageretur; portus violatos, mœnia quaſſata, ac diruta, vi navigia abſtracta: petere, ut auctor, plecteretur; navigium reſtitueretur: ad mœnia ſarcienda aureorum nummorum mille penderentur: ſi quis ſuorum deliquiſſet, meritas juris pœnas perſoluturum*. Patribus cum æqua Regis poſtulatio videretur, Chriſtophoro Canali, qui claſſem a Contareno ad Pharum acceperat, navigium in Dyrrhachinum portum ducendi cura commiſſa eſt; ut pecunia ad reficienda mœnia curaretur, juſſerat.

Eo vero anno (licet præter omnium opinionem, ſeriuſque quam putabatur) Turcarum claſſis ſexaginta triremium numero Helleſponto egreſſa Nicopolim pervenit; inde Dyrrhachium atque Neocaſtrum uſque in Rhyzonici ſinus fauces delata eſt. Plerique ut Philippum a Leptitana in Mauritania Hadrumetana expeditione averteret, immiſſum putavere; quamquam eo animo moliri decreviſſet, in ſequentem rejecerat. Ad ea vero claſſe, quamvis parum inſtructa, atque collectitio milite referta nihil timendum erat: attamen maria obſidendo, navigia intercipiendo,

1559 *Senatus mandata ad Marinum Caballium ad Byzantium legatum.*

Suleimani literæ de Dyrrhachino ſucceſſu ad Venetos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1559 do, prædas, captivoſque more gentis abducendo haud exigua moleſtia. Veneti affecti ſunt; cum plerique perterriti, navigatione relicta, a convehendis in urbem frumentis abſtinerent. Nam poſt immenſam prope imbrium copiam, quæ veris initio e cælo profluxerat, vehemens adeo ſiccitas conſecuta eſt, ut ſqualentibus agris, ſata nimio ardore abſumerentur, vitiumque propagines, ac fructus exareſcerent; inde frugum, vini, atque eorum, quæ ad victum neceſſaria ſunt, caritas, nullis per tres menſes e cælo manantibus pluviis, in immenſum fere pretia auxerat. Quare ſoliciti Patres, nihil, quod ad levandam inopiam ſpectaret, omiſere; in Bajoariam qui frumenta in urbem importarent, miſſi; octoginta ſeſtarium millia ex Apulia, Philippo permittente, abducta; totidem e Flaminia confluxerant: multa in Peloponneſum, ac Græciam navigia miſſa, quibus laboranti annona civitati ſubventum eſt.

Turcica claſſis multa incommoda Venetis affert.

Venetæ ditionis inopia Magiſtratuum ſedulitas ad annonas procurandas.

Ad piratarum vero inſolentiam reprimendam immenſæ prope molis navigium ſingulari artificio extructum emittere Senatus decreverat, eique Chriſtophori Canalis loco, quem claſſis legatum creaverat, Alexandrum Bonum, maritimis clarum ſtudiis, præfectum ſuffecerat. Neque ſumptui parcitum, neque ulla in re diligens cura omiſſa eſt, ut ingens moles formidabilis hoſtibus redderetur: multa varii generis bellica tormenta, armorum apparatus, ſtrenui milites, peritiſſimi nautæ aderant. Dum vero ſex ab urbe paſſuum millibus in anchoris ad fauces portus, triginta pedum altitudine aqua extante, moraretur; nondum erectis, ac diſpoſitis machinis, atque oſtiolis diſcluſis, primis tenebris ſæva procella oborta, in latus inflexum, tormentorum pondere in eam partem delapſo, violento turbine intendente ſe vento, demerſum eſt: trecentorum, qui in eo erant hominum plerique vel aquis hauſti, vel tormentis interfecti ſunt. Eo eventu tota civitas incredibili mœrore perculſa eſt, nihilque prætermiſſum, quo ſublevari, atque erigi poſſet: binæ majores triremes, totidem ampla navigia (*maranos* vocant) quorum nixu tolleretur, parata; Græcus homo, Francus nomine, notus urinator, contento ſpiritu ad duas ferme horas ſub aquis moram trahere aſſuetus, operam ea in re Patribus eſt pollicitus. Navalium magiſtris injunctum, ut, quæcumque uſui forent, militiæ Triumviris ad opus conficiendum ſuppeditarent.

Alexander Bonus navigii contra piratas, extructi præfectus.

Navigium contra piratas extructum demergitur.

Græ-

Græci opera e profundo viginti circiter tormenta extracta fuere, 1559
ut eo ſublato pondere facilius eveheretur; eidemque quoad viveret e publico victus Senatus decreto exhibitus. Verum humanæ induſtriæ labor irrito conatu ceſſit. Nam adhibitus varii generis harpagonibus, atque ad ſuſtollenda pondera machinis, ſexcentiſque in id ſummo nixu incumbentibus hominibus, ad majores triremes alligatum, fractis diſſilientibuſque rudentibus, ac funibus, educi nunquam potuit. Ita immani impenſa, ingentique labore ad piratarum, prædonumque perniciem ædificata moles miſerrime, nullo edito fructu, deperiit. Atque ſub id ferme tempus Coſmi Florentiæ Ducis roſtrata biremis, quæ Peluſiacum ſinum ingreſſa, ex Veneta navi Mauros nonnullos abſtulerat, a Cypri triremium præfecto capta, temeritatis pœnas dedit. Qua ex re ſumma Coſmus moleſtia affectus cum ad Senatum plenas querelis literas dediſſet, iis, quæ præfectum ad id impulerant, cognitis, atque æquum non eſſe, ut Veneta navigia, quæ arcium inſtar tuta eſſe debuerant, ea cujuſpiam avaritiæ, ac libidini exponerentur, probatis Reipublicæ rationibus, acquievit; mox ut capta biremis cum aliquot, qui ſupererant, captivis reſtitueretur, a Senatu impetravit, quæ Corcyram perducta eſt.

Hetruſca biremis a Cypri triremium præfecto capta.

Ejus vero inſulæ defenſioni cum in primis Patres incumbendum eſſe animadverterent, Sfortiam Pallavicinum, ſummum peditum præfectum, eo proficiſci juſſere, ut una cum Reipublicæ magiſtratibus de illa exactius, atque ex militaris diſciplinæ præſcripto accuratius munienda ageret. Is, inſpecto urbis, arcium, atque inſulæ ſitu, variis exceptis ſententiis, Venetias reverſus, cum in Patrum Collegio copioſe, ac ſubtiliter de Corcyra ab hoſtium impetu tuenda diſſeruiſſet, ingens opus, quod hodie in immensam prope, nullis vel laboribus, vel ſumptui parcendo, magnitudinem excrevit, Senatus conſulto cœptum eſt. Pallavicinus magna auctus dignitate, militiæ totius præfecturam eſt adeptus; eique de more in divi Marci baſilica vexillum Principis manu delatum.

Sfortia Pallavicinus in Corcyram miſſus ob munitiones ſtatuendas. Sfortiæ Pallavicino militiæ ſummæ præfectura tributa.

Dum hæc a Venetis geruntur, Lutetiæ, depoſitis armis, ingentia pro inita pace ſigna edebantur, magnificentiſſimoque apparatu in ſpectacula, variorumque luſuum genera effuſa lætitia, nuptiæ concelebrantur; cum Philippus e Belgio revertebatur Epiſcopum, Albanum Ducem, ac Ruigomeſium ad Henrici filiam ſibi uxorem deſponſam accipiendam cum mandatis in Galliam

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1559 miſiſſet, eoque Philibertus Sabaudiæ Dux ad nuptias cum regia ſorore acceſſiſſet. Dum theatrales apparatus, choreæ, ludi equeſtres, haſtarum certamina incredibili tum ampliſſimæ urbis, tum finitimarum regionum, miro populi undique affluentis concurſu, habebantur; Henricus, ut erat ad omnia militaria munera egregie natura, & uſu formatus, in haſtarum concurſu, clariſſimis regiæ fortitudinis argumentis editis, pluribuſque concertatoribus equo dejectis, tandem cum Mongomerio Scoto, haſtis cuſpide ferrea nudatis, parvuloque tantum ferreo annulo ad ſummum aſtricto, congreſſus, dum ambo, admotis calcaribus, citatiſque equis ingenti velocitate concurrunt, Scoti haſta in regiam caſſidem impacta diſſiliit, ejuſque fragmentum per rimulas in Henrici caput penetravit; ex equo ſtatim procumbentem in aulam cuſtodes corporis deduxere. Infauſto eventu, ſplendidiſſimis nuptiis, triumphis, ac ludis mœſta facies, ac luctus obducitur; repentinaque mutatione ab ingenti lætitia ad ſummum mœrorem, prægraveſque ſolicitudines, admirabili inconſtantiæ rerum humanarum exemplo, Gallorum res traductæ ſunt. Nam tertio kal. julii ictus, cum medicorum conatus morbi vis, quem leviorem eſſe, quemque facile ope humana vinci poſſe ſperarent, inanes reddidiſſet; tandem ſeptimo idus julii, noxis expiatis, divinoque refectus pane, chriſtiana pietate fultus exceſſit. Eo vita functo, Franciſcus, major natu filius, Delphinus, regni gubernacula, nondum ſexdecim egreſſus annos ſuſcepit. De regis caſu, atque obitu Joannes Capellius, qui Henrico gratulatum de pace proficiſcebatur, certior factus, Lugduni ſubſtitit, literaſque ad Senatum dedit, quibus an ſe iter proſequi placeret, petebat. Statimque Lutetiam ſe conferre, munuſque legationis obire juſſus; adjectis fiduciariis epiſtolis, quibus, ut Senatus nomine acerbum Henrici patris caſum Franciſco condoleret, jubebatur: duos propediem legatos, qui id officii præſtarent, atque acceptum regnum gratularentur, miſſurum. Nicolaus Pontius doctor, Bernardus Naugerius, equeſtri ambo dignitate, ſunt deſignati: cum interim Joannes Michaelius, ordinarius orator, nullum officii genus, quo Senatus mœrorem ex inopinato Henrici exceſſu ſuſceptum Regi, ac Catharinæ matri patefaceret, prætermiſiſſet; quæcumque in ampliſſimum regnum a Venetis officia proficiſci poſſent, detuliſſet. Franciſcus ſupra æta-

Henricus Galliæ Rex a Mongomerio Scoto in equeſtri ludo haſta percuſſus, obiit.

Franciſcus II. Henrico patri in regno ſuccedit.

Nicolaus Pontius, Bernardus Naugerius oratores in Galliam deſignati.

Joannis Michaelii oratoris cū Franciſco Rege officium.

Franciſci II. Regis reſponſum.

ætatem regiis virtutibus excultus, ita Michaelium eſt alloquutus, ut ſingularem prudentiam, atque expeditum ad res præclare gerendas ingenium oſtenderet. Gratias Senatui agit; ſummo ſe Rempublicam amore proſequi teſtatur; iniquo licet fato patre ſibi erepto, eamdem, quam ipſe coluerat cum Venetis amicitiam, retenturum, neque ulla in re patri conceſſurum: quæ ad illius dignitatem, vel incrementum ſpectarent, uti præcipuum inter Reipublicæ amicos deceret, curaturum. Eodem officii genere cum Regina matre, quam atro veſtitu, tenebricoſis parietibus clauſam cum filiis, regiiſque ſororibus invenit, Michaelius uſus eſt: quæ paucis, interciſiſque verbis par filio in Rempublicam ſtudium ſignificavit. Eodem tempore Marcus Antonius Amulius Gandavum pervenit, ac Philippo Reipublicæ nomine pacem eſt gratulatus; quam licet ob inopportunum Henrici obitum plerique brevi convellendam arbitrarentur; attamen conſtans adeo in ea ſervanda Philippus extitit; nec minus Galli, vel ob Regis immaturam adhuc ætatem, vel ob novarum rerum ſemina, quæ jam tum in Gallia jactabantur, pro ea retinenda ſoliciti fuere; ut, affinitatis vinculo adjecto, pax inter gentes alioqui infenſas diuturnior, ac ſibi initio ſuaſerant, futura videretur; ex qua ille in primis fructus cunctorum votis expectabatur, ut religionis diſſidia, quibus per tot annos chriſtiana reſpublica lacerata, atque afflicta fuerat, tollerentur.

Vigebat ſane vehemens chriſtianorum Principum in id ſtudium; Pauluſque in primis Pontifex Maximus pio in religionem animo nihil non effecturus videbatur, niſi affecta jam ætas, domeſticæ curæ, atque nimius quidam impetus, quo acri, ac rigida ſeveritate mortales deterrere potius, quam allicere conſebatur, offeciſſent. Nam cum ad eum multa de nepotum avaritia, ac libidine allata eſſent, quæ aliquamdiu vel timor, vel obſequium oppreſſerat, vehementer commotus, atque iracundiæ æſtu impatiens, nunc familiæ ſobolem detaſtari; nunc amicorum, atque eorum, quibus ipſe ſe credideraſ, fidem conqueri; inſcium, & immeritum omnium odium, atque invidiam ſubiiſſe. Statimque Carolum Caraffam Cardinalem, Paliani Ducem, Montisbelli Marchionem urbe expellit; auctoritate, ac dignitatibus, quibus pontificatum geſſerant, exuit; ſacrorum

Carolus Caraffa Card. & Paliani Dux a Pontifice Roma expulſi, & dignitatibus exuti.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1559 Patrum Collegio convocato, ingenti animi mœrore, ſumma iracundia intermiſto in nepotes invehitur; *immunem ſe ab eorum criminibus; quæ perperam geſta ſint, non ſibi tribui debere. Quid enim faceret intra palatii parietes incluſus, ad quem nihil, niſi per alios perveniret? Daturum ſe operam, ut aliorum errata optimo, atque egregio ipſius in rempublicam chriſtianam animo corrigantur.* Mox quibuſdam vectigalibus, quæ ſe inſcio indicta ajebat, ſublatis, urbis cuſtodiæ Camillum Urſinum præfecit; cui paucos poſt dies defuncto, Joannem Antonium Urſinum, Gravinæ Ducis fratrem, ſuffecit. Viginti Cardinalium, ac quadraginta Curiæ miniſtrorum collegium inſtituit, a quo ſecum pontificiæ ditionis cauſæ cognoſcerentur; edicto promulgato, ut iis, qui ob magiſtratuum avaritiam, ac ſordes rerum ſuarum jacturam feciſſent, tutus ad eum aditus foret; ſe ex æquo jus illis adminiſtraturum.

Paulus Pont. Epiſcopos ad eccleſias regēdas proficiſci imperat.

Is licet domeſticorum curis, atque urbis, eccleſiaſticarumque ditionum tuendarum ſolicitudinibus diſtentus, aſſiduis tamen in religionis quæſtionibus cognoſcendis, atque hæreſeos labe vel infectis, vel ſuſpectis coercendis, atque exterminandis erat. Epiſcopos, ut ad ſibi creditas eccleſias regendas, urbe relicta, proficiſcerentur, quæ res ea tempeſtate durior pleriſque videbatur, compulit. In cooptandis vero Epiſcopis ſolers adeo, atque acerrimus perſcrutator erat, ut cum vix unquam ſibi ſatisfaceret, ambigua cunctatione menſes, atque annos tereret. Id in nonnullis Venetorum civitatibus contigit. Nam ob Durantis Cardinalis, Brixiæ Antiſtitis, obitum multis Senatus precibus fatigatus poſt annum Dominicum Bolanum, Equitem, Franciſci filium, illius tunc præturam civitatis gerentem, Epiſcopum declaravit; quem grave onus detrectantem ad eam provinciam alacri ſuſcipiendam animo per literas eſt cohortatus: præceptis obtemperaret, divino nutui acquieſceret, colla cæleſti jugo ſubderet, peramplam eccleſiam regendam ſpe divini Numinis fretus ſuſciperet. Illum prætura, publiciſque muneribus abdicatum Senatus Brixienſium precibus ductus, inſueto exemplo definiendis amnis Ollii controverſiis cum Anguſola Senatore intereſſe voluit; rebuſque ex Patrum ſententia compoſitis, Brixiam reverſus ſacris initiatus eſt.

Dominicus Bolanus Brixiæ Epiſcopus declaratus.

Brixienſium & Cremonenſium de Ollio amne controverſiæ a Bolano & Anguſola compoſitæ.

Rem

1559 Rem quoque perdifficilem Paulus aggreſſus, vitam religioſam profeſſis in cœnobia, unde qualibet ex cauſa exierant, præſtituta die, nulla mora, aut excuſatione adhibita, regredi præcepit: ni id facerent excommunicationis vinculo adſtringerentur: quæ ſacerdotia obtinerent, ea Apoſtolicæ Sedi cederent: obtemperare detrectantibus, ut ab aliis internoſcerentur, pileo, aut galero lineum album filum imponere juſſit. Atque in eo edicto exequendo ſevere adeo, atque acerbe enitebatur, ut complures in pontificiis ditionibus ſatellitum manu in vincula truderentur; alii in triremes conjicerentur. Ex eaque lege ingens hujus generis hominum turbatio, ac tumultus in urbe Veneta excitatus; quam urbem, qui varias ob cauſas edicto parere non poterant, uti tutiſſimum perfugium elegerant; eorumque ad triginta millia eſſe ferebantur: quorum plerique deſperatione adacti, in Turcarum oras proficiſci, vel in Germaniam migrare ſtatuerant; nonnuli domorum parietibus incluſi rei exitum, ac propinquum Pontificis lethum præſtolabantur, cœnobiarchis (quod durum nimium videbatur) intra monaſteriorum ſepta homines hujuſmodi excipere abnuentibus, utpote qui ad id præſtandum edicto non cogerentur. Dum hæc, atque alia ad lapſos eccleſiaſticæ diſciplinæ mores reſtituendos Paulus molitur, cum aqua intercute laborare cœpiſſet, tandem quintodecimo kal. ſeptembris tertium ſupra octogeſimum annum agens, naturæ conceſſit. Nondum animam efflaverat, cum repente furens populus, perque urbem veluti amentia correptus diſcurſans, effractis carceribus, omnes innoxios, æque ac ſontes liberavit: mox novum Inquiſitionis carcerem, igne injecto, iis, qui eo detinebantur emiſſis, flammis abſumpſit. In ſacram quoque Dominicanæ familiæ ædem ad Minervam impetus factus, incendium intentatum, ac vix demiſſiſſimis nonnullorum precibus averſum. Neque his exagitata, atque ceſtro percita plebs contenta, in ſtatuam e pario marmore Paulo in Capitolio erectam ſæviit, caputque illi cum dextera manu præciſum triduo ludibrio habitum per urbem provolvit; quod tandem, langueſcente rabie, in Tyberim projecit; populi Romani edicto pervulgato, ut ex urbe inſignia Caraffæ familiæ, pœna perduellionis non obtemperantibus propoſita, tollerentur.

Pauli Pont. decretum de religioſam vitam profeſſis in cœnobiis coercendis.

Pauli IV. Pontificis obitus.

Romani populi furor in Pauli Pontif. monumenta.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1559 Per eos quoque dies Hercules Ferrariæ Dux exceſſit e vita, Alphonſo filio majore natu herede relicto. Ad eum legati duo officii cauſa deſignati Jacobus Surianus, Lazarus Mocenicus, qui perilluſtri comitatu, ac cultu legationis munere perfuncti ſunt. Emanuel quoque Philibertus ex Hiſpania in Italiam reverſus, Allobrogicum, ac Subalpinum principatum a Gallorum Rege ex pace Cambreſii inita reſtitutum ſuſcepit: Philippus Mocenicus gratulationis cauſa miſſus, ad legationis ordinariæ munus obeundum apud illum manere juſſus. Ne ab hoc quidem tot funerum cumulo Venetiarum Princeps ſejungi potuit; nam cum triennio ſumma cum laude Reipublicæ præfuiſſet, vita functus eſt: a Leonardo Juſtiniano, Laurentii filio, in Gemellorum æde laudatus, ac divi Dominici avito tumulo conditus. In ejus locum Hieronymus Priolus, frater major natu, divi Marci Procurator, eſt ſuffectus. Interea Romæ, evocato cum præſidiis Aſcanio Corneo Duce, tumultu plebis compreſſo, in Vaticanum ad novi Pontificis celebranda comitia Cardinales nonis ſeptembris convenere; quæ ob diſſentientes ſententias, atque illorum, qui ſummo ad eam dignitatem nixu contendebant, ſtudia perplexa admodum, ac diuturna fuere. Senatus per literas, perque Aloyſium Mocenicum legatum cum Cardinalium Collegio vehementer egit, ut, diſſidiis compoſitis, in eum vota, ac ſtudia converterentur, qui afflictæ, ac perturbatæ chriſtianæ reipublicæ ſuccurrere, religionem in pleriſque provinciis debilitatam, ac prope ruentem ſarcire, ac priſtino decori reſtitutam tueri, atque augere poſſet. Tandem vero, quatuor elapſis menſibus, Joannes Angelus Mediceus Cardinalis profeſta Natalis nocte omnium conſenſu, cunctis ad illius genua provolutis, Pontifex renunciatus eſt, atque Pii Quarti nomen ſuſcepit.

Herculis Ferrariæ Ducis obitus.

Alphonſus Herculi patri ſuccedit.

Jacobus Surianus, & Lazarus Mocenicus oratores ad Alphonſum Ferrariæ Ducem.

Emanuel Philibertus, Sabaudiæ Dux, ſuum principatum recipit.

Philippus Mocenicus ad Sabaudiæ Ducem orator.

Laurentii Prioli Ducis obitus.

Hieronymus Priolus Dux fratri Laurentio ſuffectus.

Pii IV. Pontificis electio.

M. D. LX.

1560 DUm Reges veteribus odiis perciti inter ſe pluſquam civilibus diſſenſionibus digladiarentur, incepta jam a Paulo Tertio Pontifice Maximo ante decem atque octo annos in Tridentina civitate Synodus, ob bellorum tumul-

tumultus in aliud tempus dilata fuerat; cujus tandem meliori ſpe perficiendæ conſilia tunc ſuſcipienda videbantur, quod, diſſidiis compoſitis, ac pace parta, cunctorum animi paratiores ad grave incendium reſtinguendum, quo pleræque chriſtianæ reipublicæ provinciæ miſerrime conflagrabant, eſſent futuri. Id enim in primis Pius Pontifex recens creatus meditabatur, ut quam poſſet afflictis rebus opem ferret. Neque ſegnius in id Regum, ac Principum ſtudium, cum religionis obtentu pernicioſa libertas, ſeu potius veſana licentia paſſim graſſaretur, ac excuſſo legum metu, dominorum ſpretis imperiis, petulantia, libido, elatio irrepſiſſent. Pio Pontifici a Senatu perhonorifica eſt decreta legatio, in qua fuere Melchior Michaelius, Aloyſius Rhenerius divi Marci Procuratores, Hieronymus Grimanus, Hieronymus Zanius. Ii una cum Marco Antonio Amulio, qui Aloyſio Mocenico ordinario legato ſucceſſor datus fuerat, Romam profecti, omnium ordinum ingenti obviam effuſa multitudine, in urbem deducti; mox a Pontifice in Regum aula excepti ſunt. Adeptum pontificatum gratulati, officia, pietatem, ac religionem Reipublicæ teſtantia exhibuere: poſtera die ſplendidiſſimum, ac magnificentiſſimum epulum Pius præbuit, atque in Venetæ Reipublicæ laudes effuſus, omne in augenda illius dignitate ſtudium, atque operam eſt pollicitus. Legatos ſingulos equeſtri dignitate ornavit; cum eiſdem multa de reipublicæ chriſtianæ, ac religionis ſtatu, de Concilio indicendo diſſeruit, eademque Senatui ſignificavit. Summum in illo tuendæ pacis ſtudium erat; æquus in omnes pater; neutri Regum propenſior, ut cuncti magna ſpe ducerentur, præſentibus tandem malis opportuna opera adhiberi poſſe. Tres, inito pontificatu, in Cardinalium collegium cooptavit, Joannem Medicæum, Cosmi Florentiæ Ducis filium; Carolum Borromeum, ex Margareta ſorore Giberto Borromeo Aronæ Comiti Mediolanensi nupta nepotem; Joannem Antonium Scerbellonum; atque ut propenſi in Venetam Rempublicam animi præclarum aliquod argumentum ederet, regni Cyprii Antiſtite biennio fere ante vita functo, cum nondum ſucceſſor a Paulo dictus eſſet, quatuor eligendorum jus Senatui detulit, ex quibus mox ipſe Archiepiſcopum crearet. Laurentium Folcarenum, Gregorium Bar-

1560 *Veneti oratores ad Pium Pontificem. Marcus Antonius Amulius ad Pontificem ordinarius orator.*

Pius Pontif. ad quatuor in Antiſtitem Cyprium nominandos jus Venetis tribuit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1560 Barbadicum, Hieronymum Triviſanum viros ſacratos; Philippum Mocenicum, ad Allobrogum Ducem legatum deſignatum, Patres nuncupavere: ex his Mocenicum, morum integritate, atque egregia doctrina præſtantem, Pontifex delegit; cui Andreas Bolduus orator ad Sabaudum eſt ſuffectus.

Philippus Mocenicus regni Cypri Antiſtes electus.

Andreas Bolduus Mocenici loco ad Allobrogem orator.

Verum ea tempeſtate cunctorum oculi ad Galliæ regnum obvertebantur, quod Henrici fortiſſimi, ac prudentiſſimi Regis exceſſu ad Franciſcum impuberem, ac feminam pervenerat, in eamque rerum conditionem inciderat, ut, externis licet bellorum turbinibus diſcuſſis, in dies magis inteſtinis morbis vexaretur, ac variis exagitatum affectibus, haud parum priſtini roboris amitteret, gliſcentibus religionis diſſidiis, atque in complurium animis novarum rerum ſtudiis, vel ad privatas augendas fortunas, vel ad conterendos adverſarios, aſſurgentibus, quæ jam tum a Franciſci magni exorta temporibus, paulatim ſe ſe extulerant; dum continentibus bellis diſtento, atque cum Germanis fœdere juncto, ex illius gentis primoribus multi Lutetiam, atque alia Galliæ loca frequentarent, qui cum a recto priſcæ religionis inſtituto deflexiſſent, pravo exemplo, veluti tabifico attactu, Gallos pleroſque affecerant. Inde per libellos novæ doctrinæ virus diffuſum, plebem libertatis lenocinio pellexerat; proceribus novarum rerum cupidine inflammatis ſtimulos, ac faces addiderat: cum præſertim Antiſtites, crediti ſibi curandarum animarum muneris prorſus obliti, & in Regum aulis vitam traducere ſoliti, immenſas reddituum eccleſiaſticorum opes exhaurirent; non iis, qui doctrina, morum integritate, ac religione præſtarent, ſed qui regni negotia obirent, ſacræ dignitates præmii loco tribuerentur; egregiæque mercedis fructus nonnunquam fœdo exemplo ad pueros, feminaſque manaret. Reſolutis proinde eccleſiaſticæ diſciplinæ nervis, atque doctrinæ, ac pietatis aggere comminuto, haud difficile fuit, homines, in vetitum ſemper nitentes, atque ſemel laxatis habenis, in omne impudentiæ genus proclives, a veritatis ſemita aberrare. Tot malorum cumulo Franciſcus Rex, catholicæ religionis obſervantiſſimus, obviam ire conatus eſt; graviſſimis pœnis novatores coercuit; ſevere in ſontes animadvertit. Verum quæ ſtirpitus morbum evellerent, nulla idonea ſatis remedia in-

Franciſci Regis ſedulitas in religionis novatoribus plectendis.

inventa: cum multi Genevam (quæ hæreticorum aſylum eſſe cœperat) ex cunctis Galliæ civitatibus confugerent, ex eorumque amicitiis, ac clientelis majore in dies numero nova ſecta augeretur, captivitates, ſupplicia, interneciones ad delendam peſtem non ſufficerent; immo ea libido complures omnium ordinum ita invaſerat, ut contrito legum, ac judiciorum metu, quo, Franciſco, atque Henrico vivente, continebantur, ad ſummam licentiam, atque omnium ſcelerum impunitatem, quam libertatem vocabant, anhelarent. Nec duces, aut anteſignani deerant, qui ambitioni, atque dominandi cupiditati religionis cauſam prætexerent. Inde Ugonotorum ſectæ initium, cujus Joannes Calvinus, Noviomagi in Morinis natus, longe princeps, e Geneva civitate ſemina ſcriptis, ac miniſtris in Galliam diffuderat; a Turonum urbis porta Hugonis Regis nomine nuncupata, penes quam primum ejus ſectæ homines concionari, & orare conſueverant, appellationem ſortita. 1560

Ugonoti, unde dicti.

Et hoc veluti fonte ingentia mala prodiere, quæ initio hujus anni cœpta, innumeris prope caſibus ampliſſimum, ac nobiliſſimum regnum hucuſque verſavere; arma civilia ſuſcepta; cruenta certamina inita; innumeræ multitudinis ſtrages; obſtinatæ urbium obſidiones; Reges inaudita crudelitate ferro extincti; externæ gentes in regni penetralia a factionibus vocatæ; ac denique quidquid miſerum, atque acerbum excogitari, aut fingi poteſt, actum, perpetratum. Cum enim Lugduni decem circiter ejus factionis homines in Petri cujuſdam Taraſſoni domo conveniſſent; conjurationis fundamenta jaciunt; Namnetes in Armoricis civitatem deſignant, quo ex omnibus regni partibus confluant. Ductor, ac princeps conſiliorum Godofridus Barrius, Renaudius cognomine Foreſtus, Regem ſexto idus martii Bloeſis una cum matre, fratribus, Guiſio Duce, ac Lotharingiæ Cardinali, quorum ſumma in regno erat auctoritas, comprehendere ſtatuunt; ad tumultu populi comprimendos, in præcipuis regni urbibus ex nobilitate viros eligunt; omnes aditus, e quibus auxilia ad Guiſios tranſmitti poſſent, obſepire decernunt. Verum dum copiæ ad ſcelus patrandum comparantur, re multis communicata indicia ad Regem pervenere detectis *Proteſtantium* (hoc

Ugonoti in Petri Taraſſoni domo Lugduni convenient. Namnetibus Ugonoti convenire deſignant. Godofredi Barrii conſilium de Rege & Galliæ proceribus comprehendendis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1560 (hoc enim nomine eos appellabimus) consiliis, quibus, Rege, matre, fratribus, ac Guisiis Principibus in suam potestatem redactis, nova invecta, veterem religionem delere; Galliæ monarchiam prosternere; cuncta diripere; divina, humanaque miscere meditabantur. Franciscus Amboisiam, valde munitum oppidum, se recipit; militum delectus haberi mandat; armatos eo statim convolare jubet; in complures supremo supplicio animadvertit. Renaudius a regiis militibus confoditur; plebi, atque iis, qui in se non deliquissent, reliquorum criminum venia conceditur. Ita compresso eo conjuratorum hominum conatu, summoque periculo Rex ereptus est: at non extinctus sævæ pestis furor, sed veluti exagitatus in dies magis recrudescere, atque profundiores radices agere. Itaque Franciscus nil intentatum relinquere, omnia experiri constituit, quibus si non restingui, saltem sedari concitatæ plebis impetus posset. Senatui, quæ sibi acciderint, per Aquensem Episcopum legatum significat; flagitat, cum Pio Pontifice Maximo agat, ut quamprimum Concilium variis reipublicæ christianæ casibus prorogatum, cunctatione amota, Tridenti indicat. Eo tantum effrenes populorum impetus remorari, ac sisti posse; si, ex cunctis orbis regionibus Synodo coacta, gravissima auctoritate sceleratorum hominum adversa catholicæ religioni commenta, ac sectæ disjiciantur, ac profligentur. Detecta perditorum hominum consilia, ac summo Regem periculo ereptum Patres gratulantur; deinde Pium Pontificem Maximum ad cogendum Concilium urgent, qui egregio in rempublicam christianam animo nuper suam ea in re mentem Senatui significaverat: nihil sibi antiquius fore, quam ut per tot annos divulsam, ac labefactatam religionem sarciret; in id omnes conatus, ac nervos adhibiturum; Christianissimo Regi opem laturum; ut in Gallia avita institutio retineatur, enixurum. Quæ ab Apostolicæ Sedis legatis in Regum, ac Principum aulis hisce de rebus agerentur, ea omnia cum Reipublicæ oratoribus communicari mandavit, ut communi studio in saluberrimum, atque christianæ reipublicæ necessarium opus incumberent.

Franciscus Rex Amboisiam se recipit, milites cogit, insontes animadvertit. Godifridus Barrius interficitur.

Venetorum cum Pio Pontifice officium de Concilio indicendo.

Ceterum intestinis malis christianæ reipublicæ laboranti aliæ quoque externæ clades ob Leptitanam infeliciter susceptam a Phi-

Philippo Rege expeditionem accessere. Nam pace inter Gallos atque Hispanos icta, Rhodiensium militum Magister, cui superioribus annis Tripolis Africæ urbs a Turcis erepta, atque a Suleimano Draguti concessa fuerat, acceptæ injuriæ memor, in omnem occasionem intentus, qua illius recuperandæ spes affulgeret, Hispanum ad eam expeditionem solicitare, atque urgere cœpit: prædonum Hispaniæ regno imminentium infames receptus everteret, qui eo usque excrevissent, ut Dragutes non modo Carvenæ Regem Maurum majore sui principatus parte exuisset; verum etiam, corruptis Maurorum animis, Meningem insulam (*Gerbe* hodie dictam) a Lotophagis olim, ut fert opinio, inhabitatam, Suleimano *Secho* (ita enim Regulum vocant) amicitiæ specie Tripolim deducto, occupasset; nec multo postea eo interfecto, alteri *Secho* sex aureorum millium indicta pensione tradidisset: parvo negotio expugnari urbem posse, quod in ea quingentorum dumtaxat propugnatorum præsidium esset; infensum Draguti, ac Turcico nomini Carvenæ Regem socia arma juncturum, ut adeptam sibi regionem recipiat. Philippus itaque certa propemodum victoriæ spe classem instrui, copias cogi mandat. Summum imperium Medinæ Cæli Duci defert. At variis ex causis profectione impedita, de Christianorum apparatu Dragutes certior factus, ad duo amplius propugnatorum millia in urbem invexit. Inde spe ejus potiundæ Hispani dejecti, Meningem recta petunt, nullo negotio a *Secho* arce tradita potiuntur; annuo illum tributo regio sacramento obstringunt; peramplam, utque uti compluribus videbatur, tutissimam, & inexpugnabilem arcem Philippalcazeriam Regisnomine nuncupatam struere aggrediuntur.

1560

Dragutis imperii incrementa.

Philippus Rex Africanam expeditionem decernit. Medinæ Cæli Duci classis imperium defert.

Interea de Hispanorum conatu Turcarum Rex certior factus, summa celeritate classem quadraginta supra centum triremium comparat; Pialim Bassam imperatorem designat; ductandæ curam Mustaphæ injungit. Ea veris initio egressa, cum mense majo ad Gaulum prope Melitam pervenisset, & in Africam contendens, summo mane regiæ classi copiam pugnandi feciset; ejus adspectu, ingenti adeo timore Hispani correpti sunt, ut statim triremes in fugam versæ, pars proris terræ obversis, litoribus impactæ, facultatem condendi sese clas-

Piali Bassa a Suleimano novæ classis imperium mandatur. Hispanicæ classis ad Turcarum prospectum fuga & profligatio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1560 classiariis præberent, in quibus regia Joannis Andreæ Auriæ, ipso cum paucis e suis in terram prosiliente, se usque ad Meningis munitiones proripuit: pars incitato remigio, passis velis, longius se subducere conarentur. Ex iis, quæ ad litus contendebant, nonnullæ ab hostibus captæ; septem munitionibus protectæ evasere; quæ in altum provectæ fuerant, velis intumescentibus, malis, antemnis diffractis, nonnullæ in Turcarum potestatem venere; Sancius Leva cum Neapolitanis, quibus præerat, captus; eandem fortunam Flaminius Ursinus pontificiarum præfectus subiit: navigia vigintiquinque ad victoriæ cumulum accessere. Prorex, atque Joannes Andreas, noctu fuga capta, celocibus delati Melitam incolumes pervenere. Hæc miserabilis ad Meningem insulam clades fuit, qua vel internecione, vel aquarum haustu, vel teterrima servitute, variisque casibus decem atque octo Christianorum millia desiderata sunt, amissæ triremes vigintiseptem, naves onerariæ præter alia minora navigia quatuordecim. Eos, qui, Alvaro Sandæo duce, in Meningis nuper extructo opere remanserant, variis oppugnationibus Turcæ fatigavere. Atroci utrinque certamine sæpius pugnatum, modo subeuntibus hostibus, atque propugnatorum cæde iter ad oppidum tentantibus; modo repulsis, atque ingenti strage dejectis. Tandem commeatu, atque aquarum inopia militibus prope siti enectis, cum, Alvaro Sandæo duce, constanti viro, atque intrepido adhortante, supremum laborum exitum experiri decrevissent, eruptione facta, Turcas inopinantes adorti, initio complures prosternunt, cædunt, obtruncant; multitudine demum magis, quam virtute funduntur. Alvarus vivus in Turcarum potestatem venit; duce amisso, reliquis præsidiariis militibus se dedentibus, arce hostes potiuntur. Hispanos fere omnes, qui supererant, ferro absumunt. Pialis, circa augustum medium arce occupata, supra vota eventu jactabundus, cursu Aulonem intento, iter Hellespontum versus arripuit. Hoc infausto successu, nullis virtutis, nullis militaris disciplinæ signis editis, nemo fuit, qui ob attritas maritimas christianorum vires vehementi dolore non afficeretur, atque efferæ gentis insolentiam ob id magis auctam non arbitraretur.

Alvari Sădæi Meningis munitionis ducis egregium facinus.

Alvari Sădæi captivitas & novæ arcis amissio.

Veneti in primis ingentem jacturam Philippo condoluere; quod,

quod, summo totius christianæ reipublicæ damno fœde capta, ac disjecta Hispanorum classe, communes hostes majora incrementa sumpturos, per cuncta maria libere debacchaturos intelligerent. Et vero iis omnibus, quorum ad maris litora ditiones protendebantur, insueto pavore perculsis, illorum avaritia, atque sitis inexplebilis coerceri, aut sedari nequivit, qui piraticam exercendo, negotiatores aggredi consueverant. Inter hos Andreas Lenus, Fruzzascii Comes, e Sabaudi ditione, navigio instructo, Nicæa egressus, haud parva detrimenta Venetorum rebus intulit. Neque absimili instituto Philippus Cicala Ligur, summi nominis pirata, in nostros sæviit, ac prædas egit. De Leno cum Emanuele Senatus conquestus, quæ illata ab eo damna fuerant, sarciri Allobrox jussit. Cicalam Christophorus Canalis persecutus, circa Siculum fretum, myoparone prope naufragio absumpto, periclitantem cepit; captum Venetias misit; Senatus jussu in vincula conjectus carcere per aliquot menses detentus, tandem summis precibus Pontifice, ac Cardinali divi Clementis ejus patruo adnitentibus, iis legibus in eorum gratiam libertati est restitutus, ut prius nostrorum incolumitati prospiceret.

1560

Philippus Cicala Ligur pirata a Christophoro Canali capitur.

Dum hæc fiunt, in Gallia repressa conjurationis initia sensim se efferre, ac rursus per provincias erumpere incipiunt, ut jam prope ad desperationem deductæ res viderentur; tantumque vel animorum pervicacia elati, vel procerum nonnullorum favore, & gratia subnixi factiosi homines proveheban tur, ut nullis legum frenis coerciti, pro libidine imperarent, templa per summum scelus contaminarent; in publicis locis cœtus cogerent; depravata religione, Regis imperium excutere niterentur. Porro qui vetera repetebant, atque concitatæ multitudinis fluctus expendebant, quonam virus per omnes nobilissimi regni artus diffusum evaderet, taciti meditabantur. Germaniam in complures sectas divulsam; Angliam a catholica Ecclesia sejunctam; Scotiæ regnum consimili amentia captum; Galliam tumultuantem; Hispaniam, in qua adhuc Mauritanæ stirpis homines vocе tenus Christiani, corde judaicos ritus retinentes degerent, plerisque in locis eadem morbi genere correptam; Belgium haud absimili flamma contactum: quænam superesset provincia, Italia excepta, ad quam te-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1560 teterrimæ peſtis vis non pervaſiſſet? in qua tamen furtim illius ſemina a pravis hominibus veluti per cuniculos ita jacierentur, ut nemo eſſet, qui graviſſimis, ingentibuſque ſolicitudinibus non angeretur. Neque vero ullum, niſi a communi Synodo remedium petendum videbatur. Quapropter Senatus cum reipublicæ chriſtianæ vulnera Pontifici ſæpius per oratorem ſuum patefaceret, cunctatione utendum non eſſe ſuadebat: *Gravi morbo Galliæ regno laboranti hoc uno opitulari tantum poſſe; providendum ne mora tabifico veneno ſaniores quoque partes inficerentur: verendum ne inſanientis populi fluctibus ii, qui regni gubernacula tenerent, abriperentur: id ſi acciderit, non opis ferendæ, ſed inane tantum pœnitendi tempus fore: id potiſſimum moliretur; in id curas, cogitationeſque conferret, ut Concilium quamprimum indiceretur, cujus auctoritate, divino adſpirante Numine, diſſipatæ in vulgus, atque arreptæ a popularibus hominibus adverſæ priſcæ religioni ſententiæ diſcuterentur, atque excinderentur.* Itaque Pius Concilii proſequendi diploma fieri mandavit, illudque ad Senatum miſit: per Joannem Delphinum legatum cum Ferdinando Imperatore egit, ut communi conſilio Tridenti Synodus cogeretur, quo Germani, Galli, atque Itali facile convenire poſſent.

Pii Pontifex Concilii diploma fieri mandat, & ad Senatū mittit.

Pii Pontificis cū Ferdinando Cæſare officium de Cōcilio convocando.

Inter ea vero quæ difficillimis in rebus, ac temporibus Pontificis ante oculos obverſabantur, Geneva, confluentium perditorum hominum receptus, erat; quo ex oppido, veluti ex omnium errorum officina, teterrima peſtis in omnes Europæ provincias diſpergebatur. Ea urbs cum olim in Allobrogum Ducum poteſtate eſſet, quo tempore Franciſcus adverſus Sabaudum bellum movit, excuſſo ſuorum Principum jugo, propriis legibus uti cœperat. Emanuel vero Philibertus, avito imperio ſibi reſtituto, ad eam recuperandam animum adjecerat; atque conſilio Pio Pontifici Maximo communicato, ad ſe illius voluntatem, atque auctoritatem eo facilius attraxerat, quod incolas, in vallibus illi ſubjectis tumultuantes, atque ad novandam religionem propenſos, ſumma virtute repreſſerat, incendiumque cuncta depaſcens reſtinxerat. Ejus vero rei ſumma felicitate confectæ Senatum certiorem fecerat; mox, intimioribus communicatis conſiliis, ad fœdus ſe-

Emanuel Philibertus Venetos ad fœdus ſecū ineundum hortatur.

ſecum ineundum ſolicitabant. *Ex eo complura ad Venetos commoda obventura affirmabat: veterem Sabaudiæ Ducum in Rempublicam benevolentiam, atque obſervantiam commemorabat: quæ bello adverſus Sfortiadas egiſſent, publica monumenta teſtari; pro Venetis arma ſumpſiſſe; in Inſubres impetum feciſſe; luſtratas Vercellis Reipublicæ copias fuiſſe; poſtquam priſcum obtinuerit imperium, nil niſi magnum, atque egregium Emanuelem cogitare. Quatuor potiſſimum ad tuendum, atque propagandum imperium, concordiam, arma, commeatus, pecuniam requiri: quæ ut minime Reipublicæ deſint; attamen ad commune bonum augendum arctioris neceſſitudinis jura ultro deferre; frumenta ex uberrima Subalpina regione ſuppeditaturum: iter a Nicæa in Pedemontanos meditari, ut inde mercimonia ex Hiſpania devecta, ac per Eridanum, qui in ſuis finibus ortus, in ſinum, ac veluti ulnas Venetæ Reipublicæ longum poſt lapſum conquieſcit, in Venetiarum urbem confluerent. Ad hæc quinque ſupra viginti millia ſelectorum peditum, octingentos cataphractos equites, leviores mille, ejuſdem arbitrio præſtaturum.* Mox ad Genevam oratione tranſgreſſus, quantum exigua urbs nimio auſu ſe extulerit, exponit. *Quatuor ac viginti annorum intervallo, quo ſe ex Allobrogum dominatu eripuerit, vix emenſo, libertatis jus adeptam profiteri: eam peſtem excindere, neque diutius intolerandam audaciam pati nolle: nullo ferme agro circumſeptam, nullo Helvetiorum fœdere munitam, quos ſibi ipſe adjunxerit perdomitu haud difficilem fore: itaque aut benignitate, atque humanitate ad ſe allicere, religionis cauſa Pontifici permiſſa, aut armis oppugnare ſtatuiſſe: ea in re ſibi Pontificem non defuturum pro certo habere, a quo etiam ad id munus deposceretur, ut Concilii decretis obtemperare renuentes, vi adhibita, cogeret: qui ſenſus iis in rebus Senatus ſit petere; opem, atque auxilium flagitare.* Allobrogum Ducis poſtulatis Patres Senatuſconſulto reſpondendum cenſuere. *Ingentes de propenſo in Rempublicam ſtudio, atque egregia, ſeniuſque perſpecta voluntate Sabaudo haberi gratias: cetera quod ad nova ineunda fœdera attineret, minime e re communi eſſe, arbitrari, pace diutius inter potentiſſimos Reges ſancita, ſuſpicionum ſemina ſerere; nihil præſtantius animorum conjunctione*

1560

Ducis Allobrogum conſilium de Geneva oppugnanda. Status reſponſum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1560 *ne ad communes res tuendas exiſtimare : in Concilio vero habendo nullam armorum mentionem fieri oportere ; cunctos ad illud invitandos, atque alliciendos eſse, ut communi omnium gentium cœtu communibus malis medicina adhibeatur.*

Interim nihil, quod ad Reipublicæ tuendum imperium, ea tempeſtate in univerſa fere Europa populis ad ſeditionem vergentibus, uſui eſſe arbitrarentur, Veneti omittebant. Melchior Luſius Helvetius, ex Umbervaldi pago Villicione, præfectus Venetæ militiæ adſcriptus: annua mille ac ducentorum aureorum penſio, ac præfectura iis conditionibus tributa, ut, poſcente Senatu, dierum quindecim ſpatio cum duodecim Helvetiorum vexillis, quæ peditum tria millia ac quingentos conficerent, in Venetis ditionibus ſe ſiſteret. Hercules Salices cum Federico, atque Abundio filiis adſciti, totidem Rhætos præſtaturos, qui ære publico mererent, polliciti ſunt. Mira quin etiam in catholica religione, & eccleſiaſtica diſciplina retinenda, Senatus ſolicitudo, ac ſtudium extitit; atque ut ii ſacerdotiis, atque eccleſiis præficerentur, qui pietate, ac doctrina animarum ſaluti proſpicerent, neve aut negligentia, aut ſceleratorum hominum calliditate prava dogmata irreperent, excubarent; ſuaque præſentia cunctos in officio continerent. Inde Brixienſes Dominicum Bolanum; Vicetini Angelum Bragadenum ſelectos, atque integerrimos viros, Pontifices tulerant.

Melchior Luſius Umbervaldenſis Helvetius Venetæ militiæ adſcriptus.

Hercules Salices cum filiis ad Veneta ſtipendia adſciti.

Veronæ Antiſtite vita functo, enitentibus Patribus, ut inſigni eccleſiæ egregius paſtor tribueretur, cunctatione Pio utente, id contigit, quod Senatus in publica dignitate, ac ſeveritate retinenda, patriis legibus ſervandis ſtudium poſteritati commendavit. Nam cum Pontifex Marci Antonii Amulii legati eximiam prudentiam rerum uſu confirmatam, doctrinam, ſpectatos mores intueretur, conferre in illum eam dignitatem ſecum ipſe ſtatuit: atque ut id Senatu annuente efficiat, Carolo Borromeo nepoti mandat, Vercellarum Epiſcopo, apud Venetos legato ſcribat, Patres adeat, Pontificis mentem de Amulio exponat, Senatus ſententiam exquirat, perſancte affirmet, hæc inſcio legato fieri. Iis intellectis, incredibile dictu eſt, quantum Patres non modo, verum etiam omnes totius civitatis ordines exarſerint: *Violatam*

Pii Pontif. propenſio ad Veronæ Epiſcopatum in Amulium legatum conferendum.

Venetorum de ea re perturbatio.

tam legum majeſtatem ; laxatas ambitioni habenas ; jam non amplius publicam utilitatem, ac decus, ſed privata commoda, atque ornamenta hiſce illecebris corruptos legatos anxie quæſituros. Sanctiſſimis ſane legibus majores noſtri ſanxere, ne quis eorum civium, qui legati ad Reges, ac Principes mittuntur, ullos honores, dignitates, præmiave acciperent; iis, qui ſecus feciſſent, graviſſimis exilii, bonorumque publicationis pœnis indictis. Ita acri cuſtodia ſeptos, ac circumvallatos civium animos eſſe voluerunt, ut nullis ſtimulis, nullis curis, præter unius patriæ caritatem incenderentur. Itaque Senatus cogitur; Joannes Formentus a ſecretis per diſpoſitos equos Romam mittitur: ſtatim Pontificem adire; ingentes illi de egregio in Rempublicam animo gratias agere jubetur; lege, quam ſemper Reſpublica inviolatam, atque illibatam ſervaſſet, Amulium ab epiſcopatu Veronenſi arceri, ſignificaret; eique e veſtigio Senatus nomine, ut illico in patriam reverteretur, obnuntiaret; ipſe tantiſper, dum ſucceſſor Amulio ſuffectus eo ſe conferret, Romæ moraretur. 1560

Joannes Formentus Romam miſſus Amulio reditum in patriam denunciat. Marci Antonii Amulii literæ ad Senatum.

Dum hæc geruntur, cum de Borromei literis nonnihil Amulius perſenſiſſet, ſtatim ad Senatum ſcribit: *nihil de Pontificis voluntate, nihil de literis ſibi perſpectum, quibus cognitis, exanimatum pene fuiſse; nullo unquam tempore eccleſiaſticas dignitates appetiiſſe, multo minus eo in munere, quo Reipublicæ perſonam gereret; noſſe leges; noſſe quid ſibi præſtandum ſit: Veronæ pontificatum ultro delatum, ſi ei per leges recipere liceret, recuſaturum.* Formentus cum Romam perveniſſet, ſtatim mandata Senatus exequitur. Pontifex gravem a Senatu legato immerenti inuſtam notam conqueritur, viro eximia virtute, atque integritate, quem ne tantillum quidem de ejus mente noviſſe, jurejurando ſæpius interpoſito affirmet; proinde, ſi quid ea in re peccatum ſit, delictum penes ſe eſſe: manu ſua exaratas literas ad Senatum datarum, atque hominem Venetias miſſurum. Formentus, vir ſumma dexteritate ingenii præditus, Pontificis animum ab hoc ſine mittendo avertit; epiſtolas idem pondus habituras affirmat. Igitur literas Pius ad Senatum dat: *Se Veronenſis Eccleſiæ onus, & Amulii virtutem ac præſtantiam cogitantem, præficere illum, adſentiente Senatu, gravissimo obeundo muneri ſtatuiſ-*

Pius Pont. a Senatu abrogationē decreti de Amulio a legatione revocando poſtulat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1560 *tuiſse ; nihil de ea re aut compertum , aut cognitum legato fuiſse , Deum Optimum Maximum ac Cælites teſtes adhibere ; ni quæ ſcriberet , vera eſsent , nil ſibi infauſtum , nil infelix deprecari : vehementer angi , atque excruciari , quod innoxii legati Senatus decreto læſa , atque obtrita exiſtimatio ſit ; neque ullas leges duras adeo , ac ſeveras extitiſse unquam , quæ ab innocente , nulliuſque delicti conſcio viro pœnas expoſcerent ; proinde enixe ſummis precibus a Senatu petere , ut , abrogato decreto , legatum Romæ permanere permittat* . Recitatatis in Senatu Pontificis literis , non defuere qui acriter contenderent , *nihil de priore Senatuſconſulto immutandum ; Senatus ſeveritatem , ac conſtantiam retinendam ; non Amulii tam , quam reliquorum in poſterum rationem habendam eſſe : omnes penitus graviſſimi morbi ex omnium animis ſementes evellendas eſſe* . Attamen Senatus , cum nihil Amulium deliquiſſe conſtaret , atque amiciſſimi Reipublicæ Pontificis preces minime aſpernendas arbitraretur , frequens tulit , ne legatus Roma diſcederet ; ſi forte in itinere eſſet , ad urbem reverteretur . Ricinetum Piceni oppidum Amulius pervenerat , cum ei de Senatus decreto eſt allatum ; itaque , ſtatim mutato itinere , Romam regreditur .

Amulius in legatione permanere jubetur .

Pontifex vero eo Senatuſconſulto ingenti lætitia affectus , quammaximas poteſt Senatui gratias agit ; *nunquam ex illius mente , quæ in ſui gratiam egiſſet , elabi paſſurum* , ſumma in Rempublicam amoris ſignificatione Formento teſtatur : *quidquid auctoritate , quidquid viribus poſset , ea omnia ad ejus dignitatem , atque incrementum collaturum* : eadem diſertis verbis in Cardinalium Collegio enuntiavit . Amulio vero quingenti aurei nummi Senatus decreto dono dati . Deinde quatuor eligendorum facultatem , ex quorum numero Epiſcopus a ſe Veronenſis diligeretur , Pius Patribus conceſſit ; perque legatum egit , ut eo numero Amulius comprehenderetur , cui adſentiente Senatu id munus tribueret . Verum cum in ſuffragia itum fuiſſet , nomenque Amulii recitaretur , ejus rationem minime habendam eſſe frequentes Patres decrevere : nuncupatique ſunt Bernardus Naugerius , vir præcipuis Reipublicæ magiſtratibus perfunctus ; Daniel Barbarus , Patriarcha Aquilejenſis electus ; Andreas Lippomanus , Trinitatis ,

Pius Pontifex ad quatuor in Veronæ Epiſcopatum eligendos Venetis facultatem concedit .

ut

1560 ut vocant , *Prior* ; Hieronymus Triviſanus , Dominici frater , e Dominicana familia percelebris ea tempeſtate theologus ; qui Veronenſem epiſcopatum conſecutus , ſumma cum laude adminiſtravit . Erat ſane Pii Summi Pontificis egregius in Rempublicam animus , atque ad eam amplificandam , & augendam impenſe proclivis , haud vulgaribus in dies argumentis probatus . Nam Cypriæ eccleſiæ , quæ præcipua habebatur , Antiſtitem juris patronatus nomine nuncupandum Senatui conceſſit ; Reipublicæ legatos inſigniter ornatos multis honoribus affecit ; eccleſiaſticas lites Venetiis decerni , ne ſubditi per judiciorum ambages Romam pertraherentur , juſſit ; ſimul cum Republica ortum eligendi Venetiarum Antiſtitis jus , amplo , ac perhonorifico diplomate probavit ; nihilque fuit , quod a Senatu flagitaretur , quin illi ultro prompte , atque expedite deferret . Extant in publicis tabulis Senatus literæ , quæ eximiam illius in Rempublicam benevolentiam , Reiquepublicæ in illum obſervantiam patefaciunt . Ex ea animorum conjunctione , ac mutuis officiis complura ad Apoſtolicæ Sedis auctoritatem , & dignitatem , ad pacem Italiæ ſervandam , religionemque ſarciendam , atque amplificandam (uti ſuo loco dicemus) prodiere .

Hieronymus Triviſanus Veronæ Epiſcopus eligitur .

Pius Pontifex juris patronatus nomine Cypri Antiſtitem nuncupandum Venetiis permittit .

Interea Franciſcus Galliarum Rex , ut ea ferebat ætas , acri , & in ſeditioſos , ac refractarios ſevero admodum ingenio nihil non moliebatur , ut diræ peſtis ſemina elideret ; copias conſcribere , ſolertes , ac ſtrenuos duces deligere , arma comparare , pecuniam colligere : quodque ſæpius ſalubre , atque opportunum fluctuanti Galliæ fuerat , trium regni ordinum conventum , cleri nempe , nobilium , ac popularium indixerat , ut graviſſimi cœtus auctoritate nimium elatos ſpiritus , impiumque anhelantes contunderet . Concilium quoque (quod *nationale* vocant) ut haberetur , ſe juſſurum vulgaverat ; eo edicto de religione diſſidia compreſſurum , atque languidiori redditurum ratus . Sed re periculi plena , atque ab Catholica Eccleſia diſcedendi gradum factura vehementer perturbatus Pontifex , nihil , quo ab eo Concilio Franciſcum averteret , prætermiſit . Philippus , Antonio Toletano legato in Galliam miſſo , ne id fieret , ſummopere contendit . Veneti quoque per Joannem Michaelium , ut de ſententia Franciſcum deducerent , ſunt annixi : *Ex Gallicano Concilio ad ea ſananda vulnera , quibus*

Franciſcus II. Rex ordinum conventus indicit .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1560 *Gallia non modo, ſed pleræque provinciæ miſerandum in modum lacerabantur, id opis expectari non poſſe; pacato conventu, quo ex univerſis orbis regionibus doctrina, ac pietate præſtantes viri confluerent, opus eſſe: eo propediem coacto labantibus rebus opportune conſultum fore.* Cum igitur indicturum ſe Tridenti Concilium Pontifex polliceretur, ſenſim de nationali cogendo ſententia elanguit. At in Rege ingens animus ad quæcumque aggredienda tutus, atque audens, nulli parcere, legibus ſevere in quoſvis animadvertere, fixum atque immobile ſibi hærere. Itaque Condæum Principem, qui vel infenſo in Guiſios animo, vel levitate ingenii, atque ambitione incitatus, ducem, ac caput ſe factioſis hominibus præbuerat, ad regiam vocatum publice cuſtodiæ tradiderat; mox ut ille capitis damnaretur, ſtatuerat; non benignitate, ac clementia, ſed ſeveritate in primis, ac terrore coercendos, Divini, ac regii juris hoſtes exiſtimans. At dum in eo præclare rerum agendarum curſu ſupra ætatem celſo, atque erecto animo, religionis ac regni incolumitati incumbit, immaturo admodum fato eſt ereptus; in aure puſtula oborta, cujus incremento paullatim extinctus eſt. Nec defuere qui dicerent, veneno in aurem inſtillato, ſupremum diem obiiſſe. Cujus interitu perturbatis, atque everſis quæ ad regni incolumitatem fundamenta jacta fuerant, in majores, ac ſæviores procellas, ac calamitates Gallia incidit, Carolo fratre, ejus nominis nono, duodecim annos nato, regnum adepto; cui, quod per ætatem nondum gubernacula ſumere lege permitteretur, Catharinæ matri pueri cura, atque regni adminiſtratio a Pariſienſi curia eſt delata. Qui Franciſci obitum publico nomine dolerent, regnique ſucceſſionem gratularentur, ad Carolum legati duo Joannes Legius divi Marci Procurator, Marinus Caballius, Equeſtris ambo ordinis, a Senatu deſignati fuere. Senatus decreto publici decoris ergo, Procuratores, ad quos aureæ divi Marci baſilicæ procuratio ſpectat, Ducis infulam pretioſis gemmis, atque exquiſitis unionibus, qui centum aureorum millium ſummam ſuperarent, ornare juſſi. Præterea ex auro ſolido ſummo artificio elaboratæ coronæ duæ, altera Cretæ, altera Cypri regna repræſentantes, ſolemnibus diebus in ara maxima cum ſelectis, atque egregiis omnis generis margaritis, & aliarum pretioſiſſimarum rerum appa-

Condæus Princeps in cuſtodiam datus.

Franciſci II. Regis obitus. Carolus IX. Franciſco fratri ſuccedit.

Joannes Legius, & Marinus Caballius legati in Galliam deſignati. Ducis infula gemmis & unionibus ornata & aucta.

Cypri & Cretæ regnorum coronæ elaboratæ.

apparatu, quas longa vetuſtas ſumma induſtria colligere potuit, omnium obtutibus ſunt expoſitæ. 1560

M. D. LXI.

1561

CArolo ad regnum evecto, ſumma rerum omnium immutatio in Gallia eſt ſubſecuta: Antonio Navarræ Rege omnium copiarum ſummam præfecturam adepto, Lotharingiæ Cardinalis, ac Guiſiorum auctoritas imminuta, nova regni adminiſtrandi ratio, pluribus præconſultoribus adhibitis, inducta. Qui ob varia ingenia, inteſtinaque religionis diſſidia, dum in diverſas factiones ſcinduntur, ingentem catholicæ religioni jacturam peperere, Admirallo præſertim palam ſe novi dogmatis acerrimum fautorem profitente. Regina licet catholicam religionem cum lacte hauſtam tutaretur; attamen procerum, plebiſque offenſionem verita, quæ ad evellendas hæreſes in primis adhiberi remedia oportuiſſet, ſuperante metu, omittebat, neque a Navarri conſiliis, qui illi ſe addictiſſimum profitebatur, diſcedebat. Is vero plerumque ex Admiralli callido ingenio pendebat; regni ordinibus, ut ante Franciſcus decreverat, Genabi convocatis, multis de religionis diſſenſionibus tollendis, de ſeditionibus, quæ paſſim exoriebantur, comprimendis diſceptatis. Sed ut Tridentinæ ſynodi decreta expectarentur, catholici interim ritus retinerentur, factioſi, ac tumultuantes coercerentur, religionis cauſa in vincula detenti admitterentur decretum; graviſſimæ iis, qui ob religionem ad jurgia, injuriaſque deſcenderent, pœnæ indictæ. Inde Genabo ad Fontem Bellaqueum Carolus proficiſcitur. Condæum ut ſe ab objectis criminibus purgaret, adcerſit; qui apud ſecretius concilium, quod *privatum* vocant, multa conqueſtus, an aliquis in ſe teſtificatus eſſet, Cancellarium interroganti, ac ſi quæ haberet, produceret, petenti, cum ille abnuiſſet, omneſque objecta diluiſſe Condæum affirmarent, ad eum, qui ſibi in conſilio debebatur locum, ſe contulit; ſtatimque culpæ immunis a Rege declaratus, ut publici conſilii particeps eſſet, atque iis privilegiis, quæ regio ſanguine genitis debentur, fruiretur, decreto toto Galliæ regno, ac per orbem chriſtianum vulgato, ſancivit. Dum ea fiunt, in Aquitania tumultus oborti; Valentia, Vienna,

Admirallus novi dogmatis fautor ſe profitetur.

Regni Galliarum ordines Genabi convocari.

Condæus a Rege immunis a culpa declaratus.

Aquitania tumultus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1561 na, Arauſio civitates novam ſectam profeſſæ, magnos motus ediderant, ut jam cunctis in dies prolabentibus, ſæva gliſcentis morbi vis nullis humanis remediis ſiſti, ac coerceri poſſet. Summa apud omnes florentiſſimi regni miſeratio, neque minor propagantis ſe mali metus, ne, alpium repagulis perfractis, ſeſe effunderet, atque Italiam invaderet; cum nullis neque officiis, neque precibus adhibitis (qua in re Veneti per ſuos legatos ſummopere enixi fuerant) quidquam proficeretur. Itaque cuncti Synodum, opportunam huic morbo tantummodo medicinam, ſummis votis expoſcebant.

Pii Pont. decretum de Concilio Tridentino proſequendo.

Pius igitur Pontifex Maximus ad divinam opem perturbatis, atque afflictis chriſtianæ reipublicæ rebus poſcendam, jejuniis, ſupplicationibuſque indictis, ſolemni ad noxas expiandas, pœnaſque delictorum redimendas jobeleo promulgato, Concilium Tridenti proximo paſchatis feſto proſequendum ſanxit. Reges, Principes, Reſquepublicas per legatos, ac literas ad ſuſceptum ingens, piumque negotium juvandum, conciliumque celebrandum, ſummis adhibitis adhortationibus, invitabat, quo omnibus pene provinciis depravatæ religionis vitio laborantibus ſalubri, ac præſtanti remedio, quo calamitoſiſſimis temporibus Eccleſia uti conſueverat, ſubveniretur. Diploma per univerſum chriſtianum orbem diffuſum, catholici Principes ſummo ardore complexi, provinciarum Epiſcopis, & iis, quorum jus in Concilio decernendi, vel diſceptandi eſſet, Tridentum proficiſci juſſere. In iis Ferdinandus Imperator, Philippus Hiſpaniarum, Carolus Galliarum, Sebaſtianus Luſitaniæ Reges, atque alii Principes fuere. Senatus legatos duos, qui Reipublicæ nomine Concilio intereſſent, Nicolaum Pontium, Matthæum Dandulum deſignavit, Venetæque ditionis Antiſtites præſtituto tempore Tridentum convenire præcepit. Ex eorum vero numero, qui accedere noluere, princeps Eliſabetha Britanniæ Regina extitit, quæ, veteri ex Anglia religione ſublata, noviſque hæreſibus invectis, Hieronymum Martinengium, legatum ad ſe a Pontifice miſſum, ne audire quidem, aut admittere voluit; immo e Belgio in Angliam trajectu prohibuit. Germani Principes, Saxo, Brandeburgius, ac Rhenanus, qui Lutheri dogmata amplexati fuerant, Zachariam Delphinum Pharenſem, ac Joannem Franciſcum Commendonum Zacynthi Epiſcopos, legatos, non uti a Pontifice miſſos, ſed quod Veneti

Nicolaus Pontius, Matthæus Dandulus oratores ad Concilium deſignati.

Eliſabetha Angliæ Regina Hieronymum Martinengium, Pontificis legatum, admittere renuit.

Legati Pontificii ad Germanos & alios Principes ad Concilii invitandos miſſi.

neti eſſent, qui apud Germanos ſumma exiſtimatione haben- 1561
tur, perhonorifice excepere. Sed cum nihil ſibi cum Romano Pontifice eſſe, atque ea de re ad Cæſarem relaturos dicerent, infecto negotio diſceſſere. Delphinus ſuperioris Germaniæ Principibus ad Concilium invitatis, apud Cæſarem legationis munus obire juſſus eſt. Commendonus, Germania inferiore, Saxonia, Rhenana ditione, Belgis, Lotharingia, deinde Germania ſuperiore, & Bajoaria peragratis, cunctiſque regionum illarum Epiſcopis ad Concilium Pontificis nomine vocatis, Romam eſt reverſus; poſtea in Sarmatiam, eodem jubente contendit. Pius Apoſtolicæ Sedis legatos Herculem Gonzagam Mantuanum, Hieronymum Seripandum Neapolitanum, Auguſtinianorum olim fratrum anteſignanum, Staniſlaum Oſium Sarmatam Cardinales confeſtim Tridentum ire præcepit, quibus haud multo poſt Jacobum Simonetam Mediolanenſem, Marcum Sciticum Altempſium, ſororis filium, purpuratos adjunxit.

Cardinales legati & alii a Pontifice Tridentum proficiſci jubentur.

Cardinales a Pio Pontifice electi

Turbulentiſſimis vero temporibus Cardinalium Collegium pietate, religione, ac rerum uſu inſignibus viris, qui laboranti Eccleſiæ opem ferrent, augendum ratus, ex Veneta nobilitate tres adlegit, Joannem Grimanum, Patriarcham Aquilejenſem, a quo pronuntiando ob ei inflictam a malevolis calumniam abſtinuit; Bernardum Naugerium, qui tunc præcipuum in Republica Sapientis Conſilii magiſtratum gerebat; Marcum Antonium Amulium, legatum. Is, quod adverſus leges delatam dignitatem accepiſſet, magnam apud Senatum, civitatemque univerſam invidiam ſubiit, quam neque ipſius literæ, quibus diu ſe abnuentem, ac reluctantem, coactum tandem Pontificis iuſſa detrectare nequiviſſe affirmabat; neque Pontificis, qui in hominem ſumma virtute, miro ingenio, invitum tamen, eam contuliſſe dignitatem teſtaretur, mitigare potuere. Nam cum de Cardinalium cooptatione nuntius eſſet allatus, ſtatim in Senatu latum eſt, ne publica, aut privata ulla ſigna latitiæ, uti adſolet, ederentur, neve quis propinquorum holoverica purpurea uteretur. Joannes Formentus iterum citato itinere Romam contendit, qui de Grimano, atque Naugerio ſumma dignitate ornatis ingentes Senatus nomine Pontifici gratias ageret. Quod ad Amulium attineret, Pii voluntati repugnare ſe nolle: ceterum perperam le-

Senatus perturbatio & decreta ob Amulii Card. electionem.

Joannes Formentus a Senatu Romam mittitur.

ga-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1561 gatum feciſſe, qui patriæ legum oblitus, ab officio receſſerit: Adjectum, ne illum inviſeret, neu alloqueretur, neve quidquam de publicis negotiis communicaret. Idem quoque iis, qui pro Republica legatione Romæ fungerentur, præceptum; ſtatimque Hieronymus Superantius ei a Senatu ſucceſſor datus eſt.

Hieronymus Superantius in Romana legatione Amulio ſuffectus.

In Gallia Ciſalpina, quæ ſuperiore anno inter Brixienſes, ac Cremonenſes de Ollio amne controverſiæ exortæ, ac compoſitæ fuerant, denuo finitimos populos exercuere; atque ut recrudeſcentium diſſidiorum ſeges amputaretur, rurſus ad eoſdem arbitros res eſt delata. Dominicus Bolanus, Brixiæ Epiſcopus, qui Tridentum profectus fuerat, a Senatu pro eiſdem definiendis difficultatibus eſt evocatus. Anguſciolam regii iterum arbitrum dixere. Ab iis, ſedula locorum inſpectione, ac jurium diſcuſſione, re agitata, tandem communi conſenſu contentioni finis impoſitus eſt. Inter Bergomates, & Trevilienſes ob Brembum fluvium, qui per illorum fines labitur, majores diſſenſiones ſubortæ. Trevilienſes haud exigua armatorum manu ſtipati, Brembatum immunitum, apertumque oppidum improviſo ingreſſi, turbatis, exterritiſque repentino impetu incolis, multa ſæva, atque immania perpetrarunt; prædas egere; ex oppidanis duodecim captivos Trevilium abductos, in vincula conjecere. Facti atrocitate vehementer commoti Patres, quæ acciderint, Antonio Mazzæ a ſecretis, qui Mediolani publica negotia obibat, ſignificant. Aterni Marchionem, Inſubrum præfectum, adire jubent: gravibus verbis Senatus nomine captivos quamprimum dimitti poſtulet, neve pacem, quam Reſpublica cum Philippo inviolate ſervaret, facinoroſorum hominum ſcelere, atque audacia interturbari, atque labefactari ſinat: ſi quid Trevilienſes juris in Brembi amne ſe habere exiſtiment, cauſam per arbitros quiete diſcuti, atque definiri permittant; ni ſtatim pro illatis injuriis factum ſit ſatis, eadem, & graviora ipſos quoque experturos. Ea obnuntiatione effectum eſt, ut, haud multis poſt diebus captivis redditis, judices deligerentur; pro Trevilienſibus Daneſius Philidonus, Mediolanenſis conſilii præſes; pro Bergomatibus præfectus urbis Julius Gabrielius; qui, controverſiarum locis luſtratis, cum uſque ad mutuas altercationes

Brixienſium & Cremonenſium controverſiæ denuo exortæ eiſdem arbitris Bolano & Anguſciola permittuntur.

Bergomatûm fines ob Brẽ. bi amnis controverſias a Trevilienſibus invaſi.

Daneſius Philidonus, & Julius Gabrielius ad diſſenſiones Bergomatum & Trevilienſium tollendas electi.

tiones diſceptando aliquot dies inſumpſiſſent, negotio infecto diſceſſere. Ab injuriis interim, atque armis utrinque Principum edicto temperatum. 1561

Frequentibus hiſce finitimorum diſſidiis, quæ nonnunquam in arma erumperent, adducti Patres, de limitaneis oppidis exactius muniendis conſilia iniere; idque eo magis efficiendum cenſuere, quod ſuperiori anno Sinueſſanus Dux, Mediolani præfectus, cum circumjectam regionem peragraſſet, atque ad Venetorum fines adequitaſſet, de arcibus nonnullis haud procul a Reipublicæ ditionibus erigendis cogitaverat, moxque in Hiſpaniam profectus, ad eas res perficiendas ingentem pecuniæ vim ſibi depopoſcerat, Igitur de Bergomo firmando, quæ poſtrema ex Venetis urbibus ad Inſubrum fines in montis clivo ſita eſt, agi cœptum, exquiſitiſque peritorum virorum ſententiis, tandem ex Sforiæ Pallavicini, ſummi militiæ præfecti, mente opus aggredi, eidem munere delato, Senatus decrevit. Statim operarum, ac foſſorum multitudo eodem contendit, foſſis excavandis, propugnaculis novis erigendis, veteribus perficiendis deſtinata; quingenti ac quinquaginta ex ordinum militibus præſidiariis adjecti, quo intentiores cuſtodiæ haberentur. Ingens ea in re Bergomatum ſtudium, ac fides in Rempublicam extitit, quorum cum domus nonnullæ, atque ædificia diruere, ac ſolo æquare neceſſe eſſet, ob idque legatos, qui civium detrimenta patefacerent, civitas ad Senatum miſiſſet, ejus voluntate, & mente cognita, non modo æquo animo eam jacturam perpeſſi ſunt, verum etiam fortunas, filios, quæque ipſis cariora forent, Senatui detulere. Everſis itaque aliquot civium domibus, ſacriſque Alexandri, atque Auguſtini templis, ex quibus ſumma cum pietate divorum reliquiæ ab Antiſtitibus, ac ſacerdotibus, magiſtratu, atque univerſa comitante civitate ſublatæ ſunt; validiſſimæ munitiones extrui cœptæ, foſſæ profundiores in prærupta, ac ſaxea materia inſuperabili prope labore actæ, totaque demum urbs inexpugnabili opere munita eſt: qua in re Sfortiæ ingenium, atque induſtria, Paſtoris, Baleonii, Hieronymi Martinengii, Julii Soarniani, atque Auguſtini Cluſonii virtus enituit.

Sinueſſani Ducis conſilium de munitionibus ad Venetorûm fines in Inſubribus erigendis. Bergomum a Venetis munitum.

Ex ea finitimæ urbis ſubita munitione haud levis in Inſubrum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1561 brum animis ſuſpicio oborta : *Quorſum Veneti , quibus pax cum Philippo intercederet , ingens opus , atque vix immani ſumptu conficiendum ſuſciperent ? Cur qui per tot annos nihil hujuſmodi aggreſſi fuiſſent , modo id molirentur ? recondi abditis animi receſſibus conſilia Principum , oblata occaſione , eadem prodire , atque erumpere* . Itaque nuntii afferebantur , tumultuari in Inſubrum finibus , armari milites ; Aterni Marchionem una cum Sabaudo , Ferrarienſi , ac Parmenſi Ducibus ad Viglevanum conveniſſe ; ibi ſecretiora colloquia haberi . His permotus Senatus , duo peditum millia conſcribi juſſit , atque , ut omnem ex finitimorum animis ſuſpicionem eximeret , quæ efficeret , moliretur , ea ad imperii tutelam tantummodo dirigere Aterno ſignificat : eadem Philippo per legatum patefecit . Inde , omni ſuſpicionum nube diſcuſſa , eo acrius in eam rem incumbendum Patres exiſtimabant , quod poſt Meningem captam , & Hiſpanorum claſſem devictam , nihil eo anno , veluti induciis pactis , de nova expeditione ſuſcipienda Turcæ meditarentur . Dragutes tantum cum quadraginta triremibus Lepti egreſſus , prædabundus libero , ac patenti mari multa mortalibus damna intulit ; Neapolitana , ac Sicula litora magno terrore complevit ; ingentem Chriſtianorum numerum captivitate affecit ; multa navigia cepit ; ex inſidiis ad Liparim inſulam ſeptem Siculas triremes adortus , in ſuam poteſtatem redegit . Philippus licet ex Italia , atque Hiſpania claſſem ad quinquaginta triremium numerum comparaſſet , diu tamen in Sicilia commorata , ſuperioris anni cladibus perculſa , in Drepani portu ſubſtitit ; cujus poſtea pars , hyeme adventante , ad ſubſidia in Gulettanam arcem inferenda uſque in Numidiam ſe proripuit .

Siculæ triremes a Dragute ad Liparim captæ .

Ceterum nullibi magis chriſtianæ res , quam Galliæ fluctibus , ac procellis agitabantur , quæ adeo ſævire , ac ſe ſe tollere cœperant , ut paſſim toto regno peſtis erumperet , atque , verecundia abjecta , apud proceres conciones novi dogmatis haberentur . In hoc rerum diſcrimine regii præconſultores cunctatione minime utendum arbitrantur ; ac licet Tridentum convenire Patres jam cœpiſſent , colloquium tamen Poſſiaci ad Divi Germani haberi decernunt , in quo inter Catholicos , ac Proteſtantes de religione diſceptaretur ; ea ſpe ducti ,

Poſſiaci colloquium inter Galliæ proceres & Proteſtantes .

ducti , fore , ut ratio aliqua ad furentis populi impetus niſi 1561
coercendos , ſaltem ſedandos inveniretur . Rex cum matre , fratribus , ac regii ſanguinis ſobole die præfinita , in magno religioſorum cœnaculo adeſt ; Cardinales , Archiepiſcopi , Epiſcopi complures cum abſentium , ac regni conventuum procuratoribus interſunt . Qui novam religionem profitebantur , introducti titubanter ſua ſenſa , immo potius portenta proferunt . Turnonius , magni animi vir , ac Lotharingus Cardinales intolerandam eorum audaciam graviter exaggerant : indignos eſſe , qui in Chriſtianiſſimi Regis conſpectum prodeant , quorum impudentia dicta tot piorum , ac doctorum auribus excipiantur : Regem ad catholicam religionem tuendam , atque ut in ea , quam priores ſanctiſſimi Principes vel ſanguinis profuſione tutati fuerant , ſententia perſiſteret , hortantur . Pluribus hinc atque inde diſceptatis , cum religionis fundamenta novatores everterent , nulla re confecta , diſceſſum eſt . Atque ex iis , quæ ad morbi vim , vel convellendam , vel ſiſtendam , plerique adhibenda curaverant , pabulum , atque alimenta addita ſunt ; inſtillatis ſimplicium mentibus peſtiferæ ſectæ ſeminibus ; atque ſacroſanctis myſteriis per indocti vulgi ora diſſipatis : tantum ſeſe plebis libidine efferente , ut a novæ ſectæ hominibus eccleſiæ occuparentur , ſacræ imagines paſſim proſternerentur , aræ disjicerentur , divina myſteria proculcarentur ; ut jam conſiliis ex hominum ratione depromptis nullus locus relictus eſſe videretur ; atque paullatim ad arma res recideret , inteſtina , civiliaque bella exurgerent , quibus potentiſſimi , atque ampliſſimi regni arma olim exteris Principibus formidanda in ſe ipſa converterentur , communemque parentem , atque altricem miſerrime diſcerperent ; haud abſimili aliarum diſſenſionum civilium exemplo , quarum initia exilia primum , atque , ut plerumque fit , neglecta , paullatim ſerpendo , atque conſiliorum conatus illudendo , in excidium regna , reſpublicaſque trahendo , ingentes clades , ac ruinas edidere .

Neque , ut ego quidem reor , ab inſtituto alienum eſt , tantarum rerum ortus , ac progreſſus intueri , ut inde quæ vitari , quæ amplecti debeant , ii , qui regendis imperiis præſunt , cognoſcere queant . Ac ſane nulla domeſtica magis , ac ſævior

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1561 sævior pestis ambitione censetur, quam potentiores sensim illapsam pectoribus excipiunt; plebem libertatis, ac commodi specie rapiunt; adversarios nacti ad illos frangendos, & prosternendos, favore populi utuntur; a jurgiis, ac contentionibus ad dissidia demum, atque arma descendunt. Quid enim populus per se moliatur, qui levitate, atque inconstantia agitatus, nisi ducem inveniat, statim concidit, insanientisque veluti æstu defervescente paullatim recumbit? At si caput, atque antesignanum invenerit, omnia audet, ac tamquam e carceribus emissa bellua furore correpta, quidvis aggreditur, quidvis molitur. Sullæ, ac Marii; Pompeji, ac Cæsaris; Marci Antonii, atque Augusti nota in Romana Republica exempla sunt, quorum ductu armatæ civium acies depugnavere; contusæ populi terrarum domini vires; nimia veluti mole obtrita potentia, deletæ leges, solutæ Reipublicæ compages; libera civitas unius imperium perpeti coacta. Sed illud, quod exactis sæculis novum, atque insolens memorant, pleriſque maximam admirationem incussit, quod hac tempestate de religione armis disceptetur, gravissimaque bella tota Europa eam ob causam exorta sint; ab ea, quæ omnium sanctissima habetur, faces, ac tædæ ad belli incendia sumministrentur. Verum nulla res adeo intaminata, atque sancta est, qua non homines abutantur. Ingens profecto religionis vis, neque gens ulla barbara adeo, atque effera extitit, quam non aliquis Deorum metus, ac numen attigerit, ut nullo magis humanæ societatis, quam religionis vinculo connexæ, atque districtæ sint. Inde sua quæque nationes sacra, ritus, statas cæremonias habuere. Observantissima religionis Græcia, atque aliquando superstitiosior visa fuit. Romani ab Hetruscis, ac Græcis religionem haustam constantissime retinuere; qui ab eorum institutis dissiderent, barbaros vocavere. At nondum ea mortalium generi veritas affulserat, qua, depulsis erroribus, perennis felicitatis præmia in cælo Dei nempe Optimi Maximi visio, iis, qui innoxiam, atque immunem ab omni labe vitam traduxerint, certo promittuntur; iis vero, qui sceleribus pollutam exigunt, dira, atque nullis unquam temporis metis comprehensa supplicia infliguntur. Quæ in humanis pectoribus tantum virium habuere, ut, quod inauditum usque ad ea tempora fuerat, carceres, vincula, cru-

cruciatus, eculei, unci, candentes laminæ, feræ, craticulæ, 1561
ac si quid aliud est, quo sese imbuat humana crudelitas, ea omnia nihili ducerentur, atque pro semel suscepta christiana religione vitam libentissime homines effunderent. Viguit ea diu simplex, nullis admixta falsitatis ambagibus. At postquam pravi homines ambitione acti hæresibus infectam commaculavere; dissensiones obortæ; schismata caput extulere; bella, interneciones, excidia prodiere; proceres, atque ii, qui auctoritatem, vel imperium affectarent, ex populorum in gravissima re dissidiis fundamenta potentiæ posuere: cujus rei, ne longius abeam, funestum sese Gallia theatrum præbuit, dum, Henrico Secundo in ætatis flore e medio sublato, Franciscus, ac Carolus puerilibus annis succedere, atque proceres regnum in diversa traxere, Guisiis principem auctoritatis locum adeptis, Condæo, Castellionæo, & aliis nimiæ illorum potentiæ adversantibus; qui religionis specie plebis favorem nacti, eo sibi ad adversariorum potentiam labefactandam gradum struxerant, quam populari licentia, laxatis religionis catholicæ habenis, adeo pellexerant, atque ad se attraxerant, ut quocumque sibi luberet impellentes, magnum subsidium ad illos dejiciendos, suamque firmandam potentiam compararent.

M. D. LXII.

SEquentis anni initio longe ante inchoata, varias ob causas 1562
sæpius impedita, Tridenti Synodus haberi cœpta est; quam Paulus Mantuæ primum, tum Vicetiæ indictam, mox Tridentum exciverat; sessionibus aliquot habitis, decretisque editis, Patres ejus auctoritate Bononiam transtulerant; inde Julius Paulo suffectus Tridentum denuo vocaverat; qua tempestate alia quoque edicta emanaverant. Verum cum graves in propinquis Germaniæ locis tumultus exorirentur, bellum in Italia, & Gallia exardesceret, in aliud tempus rejecta fuerat. Interea auctis, atque miserandum in modum propagatis hæresibus, quæ in Galliis ad intestina bella erumperant, exposcentibus Christianorum Principum votis, tandem incredibili cunctorum lætitia atque expectatione Januario mense anni M. D. LXII. coacti Patres intermissum denuo opus exorsi sunt, cum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 *Ferdinandus Cæsar & Reges suos proceres ad Concilium mittunt.*

cum frequens e cunctis fere christiani orbis partibus legati Principum Tridentum confluerent. Nam ab Ferdinando electo Romanorum Imperatore Antonius Archiepiscopus Pragensis, ac Sigismundus a Thuni: a Carolo Galliarum Rege Ludovicus Lansacius; atque cum eo Raynaldus Ferrerius, Parisiensis curiæ præses; ac Guido Faber, major Tholosatum judex: a Philippo Hispaniarum Rege Ferdinandus Davalus, summus in Insubribus præfectus: a Sigismundo Sarmatiæ Rege Valentinus Herbutius, Episcopus Præmissiensis: a Sebastiano Lusitaniæ Rege Ferdinandus Martinus Mascarenius: a Veneta Republica Nicolaus Pontius doctor, ac Matthæus Dandulus, equestris ambo ordinis: ab Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce Marcus Antonius Bobba, Episcopus Augustensis: ab Alberto Bajoariæ Duce Augustinus Paungartnerus: a Cosmo Mediceo, Florentiæ ac Senarum Duce, Joannes Strozzius: a septem Helvetiorum pagis, Luceria nempe, Urania, Suitia, Silvania, Tugio, Friburgo, & Soloduro Joachimus Abbas Heremitarum Monasterii, missi sunt.

Veneti oratores Senatus mandata Concilio exponunt, literas reddunt.

Pontius, ac Dandulus septimo kal. maji, divo Marco Evangelistæ, Reipublicæ Venetæ patrono, dicata die, civitatem ingressi, ad sacrosanctum œcumenicum, & generale Concilium in Spiritu Sancto Tridenti legitime congregatum, exhibitis literis (ita enim inscriptæ fuerant) mandata Senatus exposuere, Summa literarum hæc erat: *Cum Pius Quartus, Dei providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Pontifex Maximus, dissidentium opinionum, quibus christiana religio jamdiu vexaretur, ingentibus periculis succurrere, atque ea, quibus sancta, & universalis Ecclesia uti solet, remedia adhibere decrevisset, ut vera in fide concordia cunctos Christi fideles vinciret, œcumenicum, & generale Concilium Tridenti celebrari voluisset, inter ceteros christianos Principes, ut sancto, atque egregio instituto faveret, oratoresque suos ad illud mitteret, Senatum adhortatus fuisset, juvandæ religionis desiderio, ac pro summa in eumdem Pontificem Maximum, Christi Vicarium in terris agentem, observantia, sedulam adhibuisse operam, ut Venetæ ditionis ecclesiastici viri doctrina, atque integritate præstantes se se quamprimum Tridentum conferrent: primarios e sua nobilitate viros*

oratores, nuntios, & procuratores ad sacrosanctam ipsam œcumenicam Synodum constituisse: peramplam facultatem, atque auctoritatem, cum libero, & amplo mandato, ut ejus nomine Concilii celebrationi interessent, eaque omnia agerent, dicerent, & curarent, quæ ad veram Christi Servatoris nostri fidem, religionis concordiam, decus, ac dignitatem spectarent, detulisse; quidquid per eos actum, dictum, curatum foret, ratum habiturum. His legati ea addidere, quæ eximium Venetorum in religionem studium in primis patefacerent: *Summopere Senatum angi, quod in tot fluctus, ac turbines ea tempora incidissent, quibus, venefico, atque intestino morbo sæviente, christianæ reipublicæ artus, & compages laxarentur, penitusque conciderent; quibus afflictis, atque obtritis, in christianæ reipublicæ regnis, ac provinciis perditorum hominum audacia, & furore divina cuncta, atque humana permiscerentur: ut quam longissime a suis finibus ea pestis abesset, pro virili Senatum incubuisse; consilio, atque opera labentibus rebus opem tulisse. Ceterum in dies cunctis ruentibus, unum præsidium in generali hoc Concilio reliquum esse arbitrari, quo veluti præstanti quadam, atque invicta divinæ virtutis dextera tot impendentium periculorum mala averti, ac disjici possent: pro illius securitate, ac dignitate Venetos majorum suorum exemplis incitatos, quidquid in se auctoritatis, quidquid virium obtinerent, collaturos: ad id summa in Christum Servatorem ac Dominum pietate impelli, illius tuendæ religionis desiderio inflammari, pro qua fortunas, opes, vitam denique cum sanguine alacriter profudissent.* Legatis ea ad verbum responsio facta est. 1562

Concilii Patrum ad Venetos responsum.

Non potest sancta Synodus non incredibilem lætitiam, & voluptatem capere, maximasque Deo immortali gratias habere, cum tot nobilissimis legationibus hunc sacrum, & legitimum conventum augeri, & honestari viderit. Nam cum a Pio IIII. Pontifice Maximo, cujus sapientia, & vera in Deum pietas nunquam satis laudari poterit, sacrosanctum hoc generale Concilium ad catholicæ Ecclesiæ pacem, & dignitatem vel constituendam, vel recuperandam convocatum fuerit; non ignorat quantum præsidii ad divinæ ejus mentis cogitata perficienda omnium Christiani orbis gentium, & populorum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 *lorum consensus, & conspiratio afferre possit. Verum ita vobis, oratores amplissimi, sancta Synodus persuasum esse vehementer velit, illud sibi in optatis semper maxime fuisse, ut quam antea Veneta Respublica in tuenda Dei Ecclesia alacritatem ostendisset, quamque in ea mentem, & voluntatem esse difficillimo hoc reipublicæ christianæ tempore, dubitare non poterat; eadem etiam missa hac legatione omnibus declararet, quam statim indicto Concilio Senatus vestri auctoritate decretam fuisse in ore omnium, atque sermone positum erat. Ac profecto in eo Concilio, in quo de componendis Ecclesiæ discordiis, ac morum disciplina restituenda ageretur, Veneti nominis in orbe terrarum clarissimi auctoritas, & amplitudo deesse non potuit. Nam præter alias innumeras virtutes, quas in Reipublicæ administratione vestri prudentissimi cives melius expresserunt, quam ulli sapientes homines ratione, & præceptis tradiderunt; nihil unquam diligentius, quam veram pietatem, & religionem coluistis, atque ad pacem, & concordiam conservandam, & cum dignitate retinendam omnes curas, & cogitationes contulistis. Neque vero alia vobis studia sanctiora, & antiquiora ulla esse debent, ut qui a præclaris iis majoribus orti, & procreati estis, qui cum in misera illa totius Italiæ vastitate mirandæ urbis vestræ fundamenta jacerent, non tam illi quidem sibi ipsis videntur otii, & securitatis perfugium quæsivisse, quam pacis, & tranquillitatis publicæ sedem stabilem, & domicilium certum collocasse. Nam quod ad religionem attinet, hæc vestræ beatissimæ Reipublicæ, hæc, inquam, vera, summa, & propria laus est, quod fidem Christi non accepit, sed in ea nata, & pie educata, eam deinceps per tot sæculorum ætates puram, atque integram sancte, & religiose conservarit; ita ut quam late Venetorum imperium, & ditio pateat, nusquam ullum peregrinæ doctrinæ vestigium, nusquam interruptus orthodoxæ fidei cultus appareat; ubique sanctitas, ubique religio, & catholicæ Ecclesiæ disciplina, atque institutio plurimum vigeant. Quin potius, quod in extremis orientis partibus adhuc lumen aliquod veteris, & sinceræ religionis eluceat; id totum Christi Ecclesia in primis Dei clementiæ, deinde Venetorum pietati, & virtuti acceptum refert.*

fert. Hæc autem, oratores amplissimi, eo dicta sunt, non 1562
quod sancta Synodus vestræ Reipublicæ laudes, quæ ne longa quidem oratione comprehendi possent, hoc loco prosequendas existimet; verum, ut intelligatis, quantam sibi hilaritatem, & lætitiam, quantum spei, præter illam, quam antea, adjuvante Domino, rei bene gerendæ haberet, adventus hic vester optatissimus attulerit. Accedit autem ad majorem harum rerum cumulum, quod hujusce legationis munus vobis præcipue optimis, & ornatissimis viris delatum est. Etenim si generis splendor, si rerum usus, & prudentia (cujus egregia exempla in Romana legatione semel atque iterum a vobis pro patria suscepta, intueri omnibus licet) si optimarum artium cognitio, si pietas requiratur; hæc ipsa ornamenta omnia tam clara atque illustria in vobis sunt, ut aliquem fortasse vobis comparandum esse (ut magnam habet Respublica vestra præstantium virorum, ac civium copiam) neminem certe anteponendum sancta Synodus judicarit. Quod igitur reliquum est, primum quidem mandatum vestrum, prout juris est, libenter admittit; deinde vos, oratores clarissimi, cum vestro merito, tum optimæ, ac sanctissimæ Reipublicæ vestræ nomine benigno, & lætanti animo excipit. Et quoniam Divina providentia factum videri potest, ut in ipsum divi Marci solemnem diem, quem Venetæ civitatis patronum, & custodem summa religione colitis, adventus vester incurreret, quemadmodum certe eo deprecatore futurum sperat, ita a Domino petere, & obsecrare nunquam desistet, ut hæc ipsa legatio, consiliaque vestra omnia vobis, & catholicæ Ecclesiæ prospere, ac feliciter eveniant. Postremo quod Veneti imperii amplitudinem, opes, fortunasque omnes tam prolixe, & liberaliter ad communem sanctæ matris Ecclesiæ causam juvandam detulistis, de hoc vobis eadem sacrosancta Synodus se plurimum debere agnoscit. Hanc autem voluntatis vestræ præclaram significationem eo lubentius accipit, quod cum in hanc Tridentinam urbem Pontificis Maximi jussu, & omnium Principum approbatione convenerit; quam is ex alterâ parte invictissimi Cæsaris potentia, & auctoritate non solum ab omni injuria defendatur, sed ab omni etiam periculi metu liberetur: ex altera tamen, quod vestræ etiam ditionis tutelâ, & præsidio tecta,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 *cta, & munita ſit, permagni faciendum eſſe merito atque optimo jure exiſtimat.*

Bajoariæ Duis legatus Venetis oratoribus locum præripere contendit.

Ceterum cum ab Alberto Bajoariæ Duce ad Concilium quinto kal. julii Auguſtinus Paungartnerus legatus una cum Joanne Cavilonio, theologo Societatis Jeſu, Ingolſtadienſis Collegii, ſuperveniſſet, novam rem adortus, potiorem Venetis oratoribus locum in conſeſſu ſibi adſciſcere contendit. Id Venetorum oratoribus, ut pote inſolens, atque a Reipublicæ dignitate alienum, nequaquam paſſis, re ad Concilii Legatos delata, Bajoariæ Ducis oratorem perhumaniter hortantur, ne inſueta contentione graviſſima negotia interturbet, neu cum præpotenti Republica, cujus imperium late terra, marique pateat, certare velit. Sed cum nulla ratione ab inſtituto Bajoarius dimoveretur, ea de re ad Pontificem literas dant; petunt, quænam illius ſit mens, reſcribat. Veneti oratores de orta cum Bajoario contentione Senatum certiorem faciunt, qui ſtatim, ne publicæ dignitati deſint, jura, decuſque publicum tueantur, præcipit. Pontifex rei novitate commotus, quippe qui honorificentiſſime de Venetis ſentiret, ac loqueretur, indignumque exiſtimaret, Rempublicam antiquitate, rebus geſtis, imperio florentem, cui duo nobiliſſima regna, Creta, ac Cyprus parerent, cum Bajoariæ Duce de honoris inſignibus depugnare; Concilii Legatis reſpondet: Bajoario ejus nomine ſuadeant, ne obfirmato animo ſit, eamque ſibi anteferri Rempublicam haud gravate ferat, quæ mille fere ac ducentos annos cum dignitate imperium retinuerit, finium amplitudine, bello, paceque geſtis regios titulos ſuſtinere poſſet: ni pareat, utcumque res ſe habeat, Venetorum jura, ac locum tueantur. Verum neque his flecti Bajoarii obſtinata mens potuit; ad obnuntiationes ſcriptis exaratas deſcendit: *Alberti Ducis mandato, antequam legationis munus obeat, pro illuſtriſſima, ac vetuſtiſſima Bajoaria domo, quæ ab ſacri Imperii Electoribus, Cæſaribus, ac Regibus, multis ab hinc ſæculis originem duxerit, obteſtatur, ſibi, uti Ducis legato, potiorem oratoribus Venetis locum deberi: ne vero ad id Concilium, in quo, humanis ablegatis affectibus, religionis, ac pietatis negotia agitantur, certandi ſtudio ductus acceſſiſſe videatur, & priſca cum Veneta Republica amicitiæ jura ſerventur, ejus oratoribus loco cedere, ea tamen lege, ſolemnique obnuntiatione, ne id poſthac aliis in congreſſibus Alberto,*

Pii Pontif. mandata de potiore loco Venetis conſervando.

Bajoariæ Ducis legati obteſtatio.

to, ejuſque poſteris, ceteriſque Germaniæ Principibus, Electoribus, ac Ducibus fraudi ſit: atque ut hujuſce rei monumentum poſteris relinquatur, id in Concilii acta referri, exemplarque ſibi ſcribæ manu exaratum exhiberi flagitat. His auditis, Nicolaus Pontius (Matthæo Dandulo ob ægritudinem abſente) ad Reipublicæ dignitatem retinendam, Senatus nomine, altiori voce coram Concilio latino ſermone effatur: *Bajoariæ Ducem, prout tunc efficeret, ita ubique, ac ſemper pluribus, eiſdemque juſtiſſimis de cauſis Venetæ Reipublicæ concedere debere.* Idque in acta referri petiit. Quo facto ingentem apud Patres non modo, ſed apud omnes, publicæ dignitatis retentæ ac defenſæ laudem tulit. Viguit ſane in Republica Veneta eximium publicæ dignitatis retinendæ, & augendæ ſtudium, citra omnem faſtus, ac vanæ oſtentationis notam, cum egregia potius facere, quam inanis gloriæ laudem quærere, urbis ſitus, morum inſtitutio, maritimis rebus obeundis, immenſis itineribus conficiendis aſſueti animi, ac durata corpora ſuaderent. Hinc poſt Tribunos, per quos res Venetæ per multos annos fuerant adminiſtratæ, nomen Ducis invectum (quod jam tum primum a Longobardorum temporibus inductum fuerat) per tot ſæcula perſeveravit, civitati tam nominibus, quam moribus, qui nimiam elationem præſeferrent æque inviſis. Inde cum ſuperioribus ætatibus Fridericus Tertius Regiam dignitatem Venetæ Reipublicæ Principi obtuliſſet, quamvis Dei Optimi Maximi benignitate ejus majeſtatem nominis Venetum imperium egregie ſuſtinere potuiſſet; qui de ea dignitate, ac nomine ad Senatum referre auderet, inventus eſt nemo. Titulos quoque illuſtriores, priſcis auribus inſuetos, hac tempeſtate oblatos, neglectos vidimus, dum vetuſtam gravitatem nimium ſeſe efferens ambitioni anteferendam, majorum exemplis edocti cives arbitrantur.

1562

Nicolai Pontii ad legatum Bajoarium reſponſum.

Dum quæ ad catholicam religionem firmandam, collapſam morum diſciplinam reſtituendam Tridenti ſedulo pertractantur, in Gallia novæ ſectæ ſeditioſi adeclæ templa occupant; ſacroſanctas Divorum imagines proſternunt; palam concionabundi plebes acrius incitant. Regina Poſſiveno colloquio incendium magis auctum conſpicata, nova remedia adhibere ingenti malo adnixa, inſignes ex regni curiis viros, regia ſobole

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 le prognatos, consiliarios, *libellorum supplicum magistros* vocat, ut ni restingui, saltem sedari Protestantium impetus posset; frementibus Catholicis, quod inde gradum ad excindendam veterem, catholicamque religionem fieri dicerent: ob id Guisii regia discedunt. Ad Divi Germani oppidum concilio habito, concionandi, atque extra civitates novæ religionis exercendæ libera facultas tum primum hæreticis permissa, modo hæc absque armis ac tumultu interdiu fierent: ne templa occuparent, occupata dimitterent; nova ne ædificarent, vetitum. Novatoribus, quibus non tam satisfactum, quam de priori licentia aliquid detractum videbatur, parere detrectantibus, promulgatio dilata. Verum cum frementis veluti amnis impetus nullis aggeribus coerceri posset, benignitate, ac clementia cuncta in pejus laberentur, Cantabrorum Rex fortiter catholicam religionem, regnumque capessendum ratus, Annæ Momorantio, & Guisiæ Duci se adjungit. Ludovicus Condæus Aurelianum occupat; literas ad socios tota Gallia mittit; pecuniam, & milites cogi curat; jurejurando adhibito, causas, quæ illum ad arma capienda impulerint, exponit: *Non rerum novarum studio, aut turbas ciendi cupiditate ductum, ferrum stringere; sed, ut regno externo dominatu oppresso, Rege, ac matre captivis in libertatem vindicatis, Gallias pristino decori restituat*. His ad Regem perlatis, statim literas evulgari, atque in acta curiæ referri jubet: *Quæ de illius, matrisque captivitate falsis rumoribus dissipata sint, inane, falsumque Protestantium, quod eorum criminibus prætexant, inventum esse: Lutetiæ cum matre libere, uti semper assueverant, commorari*. Delectus deinde toto regno haberi jubet; Helvetiorum, ac Germanorum auxilia accersit. Parisiensis Curia Condæi scriptis respondet: *Quæ de Regis, matrisque captivitate, deque præconsultorum omnium metu ad se delata esse affirmet, veritate redargui; Cantabriæ Regem, vices Regis obeuntem, Borbonium itidem Cardinalem, ejus fratrem, egregios, ac cordatos viros, apud Regem esse, quorum virtus, ac fides, nisi diu perspecta fulgore suo turbida commenta discuteret, ne hoc piaculo obstringeretur, verendum forsitan fuisse: unum Condæum Regis auctoritati adversantem refragari. Quod vero ad religionis*

Ludovicus Condæus Aurelianū occupat; literas contra regni proceres dispergit.

Caroli Regis mandata de copiis cogendis.

Parisiensis Curiæ ad Condæi literas responsum.

gionis dissidia attinet, januarii edicto, ne inde malum recrudesceret, obstitisse: tandem inserviendum tempori existimantes, evulgari passos, non quod ulla in re sacrosanctam religionem immutare vellent, sed ut populorum tranquillitati prospicerent, seditionesque passim assurgentes eliderent: si qua in eo inveniantur, quibus minus homines parere velint, non a quoque sibimet jus dicendum, sed regiam auctoritatem implorandam fuisse. Meminerit se a Parisiensi Senatu absolutum, atque ab omni noxa immunem judicatum: videat, ne sua culpa Gallia in calamitates, quæ illi ingenti omnium mœrore portendantur, miserrime impingat. 1562

At Protestantes undique quantas possunt copias conscribunt; regia vectigalia intercipiunt; egregia majorum pietate congesta templorum ornamenta diripiunt; Divorum reliquias flammis absumunt; sacras imagines, arasque demoliuntur; compluribus in locis eximias fanorum, ac basilicarum substructiones solo æquant; innumera adversus ecclesiasticos crudelitatis exempla edunt. Lutetiæ atque Aureliani ad bellum utrinque cuncta parantur. Neque pacis consilia inter armorum strepitus a matre Regina, jam tum Galliæ impendentes ex civium sanguine calamitates præsagiente, prætermittuntur, si forte Condæum a pravis inceptis ad saniora consilia traducere queat. Ter ad colloquia deventum. Dimitti a Condæo copias Regina petit; singulis, quam quisque religionem amplecti velit, quoad a Concilio decretum sit, tutum fore pollicetur; Guisium, Momorantium, Sanctandreanum, iis peractis, regia discessuros. Contra Condæus, si statim dimittantur, januarii edictum integre servetur, ab armis recessurum: re infecta discessum. Mox, syngrapham, primoribus, qui apud se erant, adstipulantibus, Condæus ad Reginam mittit: *Antequam quidquam de communibus rebus agitaretur, Guisio, Momorantio, Sanctandreano ad domos suas reversis, se in voluntate, ac potestate Regis futurum, ejus mandatis pro regni incolumitate, Dei Optimi Maximi gloria, conscientiæ libertate, obtemperaturum.* Scripto Reginæ, ac Cantabriæ Regis manu obsignato, Principes se intra suas ditiones recipiunt; Condæus statim in castra venit; fecit proceres Admirallus, An-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 Andelotius, Rupifulcaudius, Baugentium armati accedunt. Negotium agi cœptum. Multa ab iis dirimendæ concordiæ cupidis gravia, atque acerba proponuntur: nimiam, ut ipsi ajebant, Condæi facilitatem, ac mansuetum, in pacemque propensum ingenium veriti, eo secum abrepto, discedunt.

Caroli copiæ ad Talsium oppidum consederant. Condæus peditum circiter decem millibus, Andelotio duce, quem equitatus subsequebatur, improviso nocte concubia regios adoriri statuit; ac quam maximis potest itineribus apricos, atque ubertate fecundos Beossæ agros vastando emetitur. Cum inalbescente cælo adhuc a regiis castris abesset, ad Lorgæum oppidum subsitit; mox, curatis corporibus, ordinata acie, copiam Catholicis pugnandi facit. Regii, quod nondum Helvetiorum, ac Germanorum auxilia supervenissent, a certamine abstinere, cunctatione distinere hostes, ardorem furentium restinguere, pecunia, commeatu, militum paucitate confectis, incruenta victoria potiri posse rati. Itaque oppida ad Ligerim amnem sita, atque in primis Aurelianum, quo Condæus se receperat, ac novis propugnaculis, & munitionibus auctum, sedem belli statuerat, recuperare contendunt. Ille auxilia evocare; Anglos solicitare, ne Germanorum subsidia accederent, enititur. Attamen Roccandulphus cum turmis equitum nonnullis, quos *Raitros* vocant; Reingravius cum Germanorum peditum vexillis viginti; Frulichius cum Helvetiis superveniunt.

Edictum in sacratum imaginum violatores.

Interim Parisiensis curia in effractores, atque eversores imaginum edictum promulgat, quo capite bonorumque publicatione, uti lesæ divinæ, atque humanæ majestatis reos, absque causæ cognitione plecti jubet. Lutetiæ octoginta atrocissimi criminis morte pœnas luere; eorum, qui Condæum sequerentur, dignitates, bona, ac proventus fisco adjudicantur. Regii judices, ac ministri quindecim dierum spatio confessionem fidei, juxta Sorbonici collegii sententiam, gravissimis, si secus faxint, pœnis propositis, edere coguntur. Arma civibus, agrestibus in eos, qui vel injurias in sacratos viros congererent, aut publicos, vel privatos conventus inirent, concessa; permissum, ministros, atque alios hæreticorum templis inservientes capere, ut juris præscripto in eos, tamquam perduelles, ani-

Edicta in religionis novatores.

animadverteretur. Mox qui Aureliani, Lugduni, Rothomagi arma ceperant, Dei Optimi Maximi, ac Regis hostes declarari, eorum bona in publicum, ni statim ab armis discederent, redigi jussum. Condæi Principis nomen consulto prætermissum, ne regia sobole genitos teterrima nota criminis adspergerent, mutuaque ludificatione illum captivum a fœderatis, ac pervicacibus detineri conquerebantur. 1562

Interea Carolus, ac Regina mater cum Cantabrorum Rege, Momorantio, Guisio copias augere minime cessabant; argenti vim conquirere; ad omnes se belli casus componere; a Regibus externis auxilium poscere; ad Galliæ incendium extinguendum, ne in eorum ditiones diffunderetur, incitare. Senatus opem afflictis, ac perturbatis Galliæ rebus flagitant; Boetalerius legatus ad Principem, ac Patres accedens, hunc in modum est loquutus.

Boetalerii Gallorum Regis ad Venetos legati oratio.

Ita se res humanæ habent, Princeps Serenissime, Patres Optimi, ut cum perpetuo æstu agitentur, nihil adeo constans, ac firmum videri possit, quod non aliquando variis perturbatum casibus, diversam veluti faciem induens, intuentium oculis se se objiciat. Id si ulla in re unquam, modo in nobilissimo, atque amplissimo Galliæ regno cernere licet, quod cum alias aliis opem tulerit, ac præcipue difficillimis temporibus in Italiæ dignitatem, libertatemque incubuerit, copiis juverit, immensam auri vim profuderit: modo ad aliorum opem confugere, atque externa flagitare subsidia cogitur; cum paucis initiis hæreseon virus obortum, post Henrici Regis obitum adeo excreverit, ut nullis coerceri pœnis, nullis adhibitis remediis extingui, aut sedari potuerit. Ad eam pestem, quæ totius regni perniciem aliquando minitaretur, profligandam quid prætermissum? quibus humanæ prudentiæ consiliis, ut ei malo prospiceretur, parcitum est? At turget, furit, divina omnia, humanaque permiscet, adversus Christianissimum Regem novo, atque inaudito in Gallia exemplo se se effert. Quis vero ambigat, non ad omnes Principes eam labem attinere, quæ jam Angliam, Germaniamque corripuit, ac non brevi, effractis alpium claustris, ad Italiam ipsam perventuram? Neque vero quidquam a matre Regina relictum, quo, seditiosorum hominum conatibus compressis, aliqua concordiæ ratio iniretur.

Quæ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 *Quæcumque incolumi religione, ac regno præstare poterat, ultro detulit; illorum cum Guisiis controversias per amicos viros componendas curavit. Hac incredibili humanitate insolentiores facti, catholicam excindere religionem, prisca regni instituta evertere moliuntur; arma comparant; socios sibi adjungunt; auxilia externa implorant. Hæccine Regina impune permittat, quæ majorum exemplis edocta, insita pietate nihil catholica religione antiquius habet? Illius certe animo immobilis sententia insidet, cuivis potius discrimini regnum objicere, quam ut ulla, vel minima in re catholicæ religioni detrimentum afferatur. Itaque cum leniendo, ac ferendo malum in dies recrudescat, vim adhibere, arma comparare, frangere perditorum hominum, ac perduellium audaciam parat: cunctos Reges, ac Principes ad incendium, quod miserrime Galliam universam depascitur, extinguendum accessuros confidit. Pius Pontifex Maximus, cujus præsertim catholicæ religionis tuendæ partes sunt, copiis ad Avinionem coactis, ac quibuscumque potest viribus, & auctoritate presto adest. Philippus Hispaniarum Rex, ad quem mali illius contagio ob propinquum Belgium maxime pertinet, decem peditum, quatuor equitum millia pollicetur. Emanuel Sabaudiæ Dux tria peditum millia subsidio mittit. Carolus Lotharingiæ Dux, cujus ditio pene in Galliæ visceribus sita est, nihil non parat, agit, molitur. Venetam quoque Rempublicam difficillimis hisce, ac perturbatis Galliæ temporibus non defuturam Carolus, Catharina mater, atque adeo regnum universum certo sibi persuadent, dum arctam Gallorum, ac Venetorum jam inde ab utriusque imperii incunabulis amicitiam mutuis officiis alitam, atque auctam, jura fœderum, consociata arma, bella gesta, relata victoriæ egregia præmia intuentur: atque, ut hæc omnia deessent, catholicæ religionis periculo permotam, opem amplissimo regno laturam autumant, cum illius pietatem, ac religionem contemplantur, pro qua tuenda nullos majores vestri labores, nulla pericula, nullos sumptus ullo unquam tempore reformidarint. Neque vero terrestres copias, aut instructas ad bellandum classes Regina petit; sed, qua in primis nunc Gallia indiget ad belli sumptus sustinendos, argenti vim mutuo flagitat, sine qua diu milites, atque exercitus contineri nequeunt; quam*

quam eo facilius consequuturam sperat, quod parvo, vel potius nullo incommodo, auctis Reipublicæ vectigalibus, amplificatis fortunis, Dei Optimi Maximi benignitate cunctis ex voto rebus affluentibus, amico Regi præstari possit. Id si, ut summa spe ducitur, a Senatu impetrabit, perennem ejusce beneficii memoriam nullis unquam delendam casibus, per filios ad posteros transmissuram pollicetur. Quidquid militum, virium, fortunarum in Gallia sit, id jure sibi Rempublicam in posterum vendicaturam. Quid porro vel ad vestram gloriam illustrius, vel ad utilitatem præstantius, quam nobilissimum tueri, fulcire, juvare regnum, quo in primis libertas, ac dignitas Italiæ, atque adeo totius christianæ reipublicæ continetur? His in hanc sententiam a legato enunciatis, re ad Senatum deducta, Regi subveniendum, centum aureorum millia quatuor mensium spatio persolvenda, frequentibus suffragiis latum. Ingentes ob id a Carolo, ac matre, quod tot fluctibus jactatæ Galliæ opem tulisset, Senatui gratiæ actæ, memoriam illius beneficii sempiternam apud se mansuram professis. 1562

Senatus decretum de Rege Galliæ pecuniis subveniendo.

Dum hæc in Gallia geruntur, Tridenti varia ad rem christianam attinentia summa animorum contentione agitabantur: inter quæ de Episcoporum in ecclesiis præsentia quæstio vehementer torsit initio; cum satis constaret, nil ad continendos in officio populos, atque ad catholicam servandam religionem præsentius remedium adhiberi posse. Res a legatis proposita, cunctorum mentes eximia utilitate illectas attraxerat; parumque abfuit, quin id jure divino sancitum esse decerneretur. Sed altius re perpensa, altercationibus obortis, cunctantius agi cœptum, in varias Patribus sententias euntibus; Gallis, Germanis, omnibusque fere Transalpinis, ad id jure divino obstringi Antistites oportere, censentibus; Italis contra *positivum* (ut ajunt) lege teneri, statuentibus; resque eo tandem devenit, ut Galli, ac Germani, ni ita decerneretur, se abituros affirmarent. Inde ingentia reipublicæ christianæ pericula portendi scissione videbantur. Summis ob eam rem molestiis, ac solicitudinibus Pius angebatur, quod, invalescentibus in dies Catholicæ religionis hostibus, gravioribus procellis Gallis jactatis, populis nefano furore correptis, in Concilio,

Quæstio de Episcoporum in ecclesiis residentia Tridenti habita.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 lio, quo uno ingruentia mala ſiſti poſſe cenſerentur, acri animorum certamine ageretur, ut illius exitum nemo ſatis proſpicere poſſet. His fiebat, ut nonnunquam fœdus inter catholicos Principes pro tuenda religione ineundum ſibi in animum induceret. Qua in re Senatus ſententiam, ut fere ſemper conſueverat, exquirit. Graviſſimum id negotium erat, ingentibus difficultatibus implicitum, ac laboranti tunc reipublicæ chriſtianæ minime opportunum; cum verendum eſſet, ne ii, qui a catholica religione diſſentirent, ob conſociata catholicorum Principum arma arctius inter ſe conglutinarentur, atque inde in univerſa chriſtiana republica atrox, & exitiale bellum funeſta exordia duceret: neque minus metuendum, ne Italiæ infenſæ gentes, quibus undique cingeretur, ad eam invadendam, cujus felicitati maxime inviderent, claſſico excitato, concurrerent; id porro omnium malorum veluti apicem fore. Quæ a Patribus cum altius inſpicerentur, Pontifici, ut ab iis conſiliis abſtineat, ſuadent: *Ne totius orbis expectatione coactam tanto labore Synodum, ob varios, qui irrepſerant, affectus diſſolvi ſinat; ingens opus ſumma animorum tranquillitate pertractandum curet: nil religioni exitialius accidere poſſe, quam ſi diſſidentibus ſententiis abſcederetur; nullum diſſidiis locum relinquendum, concordi voluntate, ac ſtudiis pro tuenda religione laborandum; libere, quidquid unicuique a divino ſuppeditaretur Spiritu, enunciandum eſſe: ſummopere cavendum, ne, Concilio œcumenico diſſoluto, in ſingulis provinciis conventus, ac ſingularia concilia habeantur, quibus divulſa, ac veluti in diverſas partes conſcerpta religio penitus concideret, ac ſententiarum, & dogmatum diverſitate teterrimi monſtri faciem præſeferret.* His commotus Pontifex, ea ſententia abjecta, totum ſe ad Concilium contulit, atque animorum æſtu, quo res in diſcrimen adduci poſſe videbantur, ſedato, multa ad firmandam catholicam religionem, conſentientibus ſententiis, decreta ſunt.

Verum complurium ad Eccleſiam reformandam erectis mentibus, ac ſtudiis, mirum in modum Pius commovebatur, ne illuſtri, ac præclara ſpecie ad pontificiam auctoritatem imminuendam, ac labefactandam uterentur. Qua in re Conimbricæ Epiſcopus Luſitanus maxime incubuerat, acriterque diſſeruerat;

erat: in primis collapſos mores erigendos, veterum diſcipli- 1562
nam inſtaurandam, abuſus prorſus excindendos; Cardinalium eligendorum, ac Pontificis Maximi creandi aliam iniri rationem oportere, qua gentium omnium ſuffragiis in ſummo dignitatis faſtigio excellentes virtute viri conſtituerentur. His conſiliis Cardinalis Lotharingus, qui a Carolo cum triginta Epiſcopis ex Gallia miſſus fuerat, favere videbatur; atque eo ventum erat, ut, niſi de reformatione ageretur, re minime perfecta, Concilium dimiſſum iri plerique exiſtimarent. De iis a legatis Patres edocti, cum nil funeſtius diſceſſione arbitrarentur, Pontificem certiorem faciunt: *Non ignorare ſe, quantum chriſtianæ reipublicæ, pontificiæ dignitati, atque Italiæ in primis ea conſilia adverſa ſint: non deeſſe qui pontificatum per tot annos Italos obtinere ægre ferant, atque ad Tranſalpinos transferre obducta pietatis ſpecie conentur: quo quid Italiæ acerbius contingeret, quam ſi eo decore exuta, externorum imperia perpeti cogatur? itaque enixe contendendum, ne quidquam priſci inſtituti immutetur. Quod vero ad mores inſtaurandos, eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam attinet, ambigi non poſſe, id in primis turbulentis hiſce temporibus, quibus, diſſolutis omnis ſeveritatis, ac modeſtiæ nervis, cuncta licentia, ac libidine diffluerent, admodum neceſſarium eſſe. Itaque in eo Pontifici elaborandum maxime, nulla re magis, faciliuſque cunctorum ora obſtructum iri, quam ſi, veteri virtute excitata, effrenes eccleſiaſticorum mores coerceret, labantia, ac fere prolapſa inſtituta in priſtinum ſtatum revocaret.* Hæc a Pontifice cum libenter audirentur, multa ad pravas conſuetudines tollendas, ſarciendamque Eccleſiaſticam diſciplinam decreta edita, nihil de ſacrorum comitiorum ratione immutatum. Qua in re egregium Senatus ſtudium in Pontificis Maximi auctoritate, ac dignitate tuenda extitit, tum ob jam inde ab urbis initiis erga Sanctiſſimam Sedem obſequium, tum, quod in ea retinenda non modo religioni, ſed etiam Italiæ libertati, ac dignitati conſultum maxime arbitraretur; ejuſque retentæ, ac defenſæ laudem Reipublicæ Venetæ præſertim acceptam ſe referre Pius crebris ſermonibus uſurpavit, clariſſimiſque argumentis teſtatus eſt.

Regiorum progreſſus in Gallia.

At in Gallia Avaricum, Biturigum oppidum, regii capiunt; Ro-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 Rothomagum, Neuſtriæ inſignem urbem, obſidione premunt; propugnatoribus acriter ſe tuentibus Divæ Catharinæ munitione vi potiuntur; ea occupata, & Cantabriæ Rege cum ſexdecim peditum, duobus equitum millibus, Germanorumque ſubſidio, victore ex Biturigibus ſuperveniente, cum Catholicorum impetum fœderati ſuſtinere non poſſent, civitatem deſerere coguntur. In ea obſidione Antonius Rex glande humero trajectus occubuit. Momorantius ſtatim cum copiis Lutetiam contendit, quo Condæum, Corbolio ad Senam amnem fruſtra oppugnato, cum exercitu proficiſci nunciabatur. Pariſienſes, nulla interpoſita mora, noctu dieque continuatis operibus, ſuburbia aggeribus, ac foſſis communiunt; cum interim, amne tantum exercitus ſejungente, levioribus certaminibus ſæpe utrinque pugnaretur, deque concordia ſermones, quamvis irrito conatu haberentur. Communitis caſtris, in quibus decem peditum, ſex equitum millia, tormenta bellica ſeptem cenſebantur, ordinata acie Condæus egreditur. Catholici loco conſiſtendum rati, ſclopporum, ac tormentorum aſſidua ejaculatione, nullo fere hoſtium damno rem agunt: nec ſecus poſtridie contigit. Regina imminentia Galliæ pericula, ſi qua via detur, avertere enixa, Condæum ad colloquium, brevibus induciis factis, denuo accerſit: haud procul a Divi Marcelli ſuburbio conveniunt. Eorum, quæ a Condæo petebantur, ſummam Albaſpinius a Secretis excipit. 1. *Quam quiſque ſequi religionem velit, ei ne crimini ſit; nuperque invecta publice exerceatur.* 2. *Eo facto Angli, atque externæ copiæ e Gallia diſcedant; oppida in priorem ſtatum redeant.* 3. *Vita, bona, religio unicuique libera, ac tuta ſint.* 4. *Intra ſex menſium ſpatium ad diſſidia tollenda liberum Concilium celebretur; ni perfici poſſit, conventus ea de cauſa totius Galliæ, in quo quilibet intereſſe poſſit, habeatur.* 5. *Ad ea perficienda cautiones adhibeantur.* Regina ſcripto mature conſulto, per eumdem Albaſpinium ſequenti die in hunc modum reſpondit: *Mentem Regis eſſe, ut neque Lugduni, neque in urbibus in limitibus ſitis, vel in iis, quæ curia inſignitæ ſint, aut quæ hucuſque januarii edictum non receperint, religionemque intactam ſervaverint, conciones habeantur, aut nova religio inducatur: Sacratis viris bona adem-*

Antonius Cantabriæ Rex in Rothomagi oppugnatione interfectus.

Condæus a Regina ad colloquium vocatus pacis conditiones proponit.

Regiorum reſponſum.

empta reſtituantur. Dei Optimi Maximi cultui, uti antea aſſueverant, inſerviant: unicuique ſuis facultatibus abſque moleſtia frui liceat. Quæ vero de Britannis, externiſque dimittendis, oppidis, ac urbibus reſtituendis, ac de Concilio cogendo dicerentur, ſibi probari. Multis hinc, atque inde agitatis, cum res prope confecta videretur, rurſus eodem, quo antea, loco conveniunt: ſed, novis excitatis controverſiis, pace prorſus deſperata, diſceſſum eſt. Id vero minime prætermittendum, viros nobilitate inſignes ita invicem dexteras junxiſſe, atque ad mutuos amplexus deſcendiſſe, ut nuſquam certatum armis crederes. Fratres, propinqui, ac neceſſitudinis nexu adſtricti, tunc more gentis lætitia diffluentes, poſtera die nullam ſanguinis, nullam amicitiæ rationem habituros, nemini ſe parcituros profitebantur: tantum in animis hominum affectus, ac ſemel hauſtæ opiniones poſſunt, ut, jure naturæ abrupto, cognationis atque amicitiæ vinculis reſolutis, arma in cognatorum viſcera condantur, neque ab ullo ferinæ crudelitatis conatu abſtineatur. 1562

Condæus ſtatim cum exercitu in Normanniam contendit, ut Anglorum ſubſidiis, quæ in Galliam transfretabant, peditatum augeret, Catholicoſque ab Aureliani obſidione averteret. Regii Condæum ad Britanniæ auxilia impedienda inſequuti, duabus leucis (quæ quatuor Italica milliaria conficiunt) ab hoſtibus trans Diviam amnem conſiſtunt. In regio exercitu peditum decem ac novem millia, equitum duo millia; in fœderatorum copiis quinque equitum, ſex peditum millia adnumerabantur. Prælio decernitur. Primo concurſu Condæus, ac Colinius tanto impetu Annam Momorantium, qui aciem ductabat, aggrediuntur, ut momento fere equitatum, atque Helvetios ingenti cæde diſjicerent, ac proſternerent, ipſo duce ſcloppetto in facie icto, & capto; ut nuntii fœderatorum victoriæ, ac regii exercitus cladis Lutetiam perferrentur. At Guiſius, qui eo uſque ſpectator pugnæ fuerat, cum recenti, ac expedito milite feſſos hoſtes adortus, adeo acriter invectus eſt, ut ſtatim in fugam conjectos terga dare coactos, ingenti internecione proteraret. Condæus captivus in regiorum poteſtatem pervenit. Victoria regii, caſtris hoſtium occupatis, potiuntur. Exeunte decembri menſe pugna-

Prælium inter regios & Condæi.

Anna Momorantius a Condæanis captus.

Condæi profligatio & captivitas.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 gnatum. In prælio octo circiter millia, præter saucios, quorum maxima pars deperiit, cecidere. Victoriæ nuntii, per universam Europam allati, ingentem Catholicis cunctis lætitiam attulere, quod non absque præsenti Dei Optimi Maximi auxilio contigisse videretur, ut qui, media Regis disjecta, ac contrucidata acie, victores exultarent, iidem momento temporis victi prosternerentur. Qua in re Franciſci Guisii fortitudo, ac virtus omnium ore, ac prædicatione concelebrabatur. Multa lætitiæ signa Lutetiæ, ac tota fere Gallia, nec non in Hispania, atque Italia edita. Carolus, ac Regina mater per ordinarium legatum felicem prælii eventum Senatui significavere; qui per literas, perque Marcum Antonium Barbarum oratorem mox iisdem victoriam est gratulatus. Hæc in Gallia eo anno accidere.

Maximilianus Secundus Bohemiæ & Romanorum Rex renunciatur.

In Germania vero Ferdinandus Cæsar, ut quam maximis posset dignitatum, atque opum præsidiis filios, posterosque fulciret, Maximilianum, majorem natu, in spem successionis educatum, Bohemiæ Regem Pragæ inaugurari voluit. Mox, Francfordiam vocatis comitiis, Romanorum Rex, sex consentientibus Electoribus, renunciatus est. Adeptum summi honoris gradum, missis ad Ferdinandum patrem, Maximilianumque filium literis, Veneti gratulati sunt. Qui coram id munus obirent, legati duo designati Joannes Legius divi Marci Procurator, Michael Surianus, ambo equestris dignitatis. Leonardus Contarenus, uti Reipublicæ nomine legatione apud Maximilianum fungeretur, est delectus. Ceterum Ferdinandus, ut nutantibus suis rebus prospiceret, atque bellicis curis solutus, intentiori studio componendis Germaniæ dissidiis studeret, Pannoniasque a Turcici belli metu liberaret, octo annorum inducias cum Suleimano pepigit. Inde majori solicitudine ad res maritimas procurandas Venetorum conversi animi, cum Ottomanum otii, ac pacis hostem, bella ex bellis serentem, Pannoniæ compositis rebus, non otio torpescere, sed novas expeditiones moliturum arbitrarentur. Itaque de Creta, atque Cypro exactius muniendis actum. Julio Saorniano præfecto in Cretam cum summa auctoritate proficisci jusso, Candidæ præsertim, ac Cydoniæ urbium firmandarum munus injunctum. Decretum quoque, ut Cerinium, in Cypro

Joannes Legius, & Michael Surianus ad Ferdinandum & Maximilianum legati.

Leonardus Contarenus ad Maximilianum ordinarius orator.

Induciæ inter Ferdinandum & Turcas.

pro oppidum, ad hostium sustinendos impetus operibus, ac munitionibus fulciretur; rei administrandæ cura regni magistratibus demandata. 1562

Licet vero hoc anno Turcæ quiescerent; attamen ingentia toto mediterraneo a piratis damna illata Italiam attigere, cum ex Caria, Lycia, aliisque Asiæ minoris provinciis complura navigia, atque myoparones egressi, pars in superum, pars in inferum mare delati, direptionibus, ac captivitatibus ingentem mortalibus metum incuterent; atque in Adriaticum sinum invecti, usque in Illyricum, ac Venetas oras penetrarent; plurimisque navigiis interceptis, trepidatione, ac terrore accolas afficerent. Senatus, ne piratarum insolentiam inultam pateretur, atque subditorum rebus, fortunisque prospiceret, ut decem triremes ad pugnandum apprime instructæ, atque expeditæ emitterentur, decrevit. Earum præfecti cives navalium rerum usu, ac disciplina insignes lecti Philippus Bragadenus, Marcus Quirinus, Thomas Michaelius, Aloysius Raymundus, Antonius Bragadenus, Bernardus Superantius, Georgius Cornelius, Jacobus Mustius, Laurentius Bembus, Marcus Michaelius; qui statim conscendere, ut quamprimum Christophoro Canali, classis legato, se adjungerent. Antonio Canali, Adriatici sinus præfecto, datæ literæ, quibus ad rem naviter, atque impigre gerendam incitabatur. Is senis triremibus Piceni oras legens, cum duas piratarum biremes in altum provectus acriter esset insequutus, in Anconis litora impingere coegit. Turcas in penitiora loca mortis metu abdere se tentes Picentes captivos fecere; Christiani supra centum, qui ad transtra ablegati miserrima servitute premebantur, in libertatem vindicati. Canalis præfecti, ac Joannis Baptistæ Bembi trierarchi virtus concelebrata.

Piratarum direptiones.

Triremes ad piratarum insolentiam inhibendam Venetiis emissæ

Piratarum biremes ab Antonio Canali captæ.

Christophorus quoque Canalis legatus, magni atque acerrimi animi vir, nullis laboribus fractus, vel periculi territus, in excurrendo mari egregie munus obibat. Circa Cephalenem tres prædonum biremes adortus, cæsis, atque obtruncatis hostibus, depressit. Mox saxonem prævectus, ad Iapygium promontorium quinque longas hostium triremes, Mustapha duce, qui Lilio Hætruriæ ducis insula ortus, christiana sacra ejuraverat, conspicatus, in eas impetum facit. Acre certamen ini-

Christophori Canalis cum Mustapha piratarum triremium duce, pugna.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1562 initur. Noſtri pro dignitate, ac vindicta; hoſtes pro ſalute, ac vita decertant. Calente marte, dum ſummi ducis, ac ſtrenui militis Canalis intrepide munere fungitur, ac per triremem arcu armatus (utpote qui ſagittandi peritia excelleret) diſcurſans, ſuos in pugnam acuit, duobus jaculis vulneratur, quorum uno leviter pede ſauciatus, altero femore tranſverberatus eſt. Nihilominus ingenti conſtantia a certamine non diſcedens, cum præ dolore ſtare non poſſet, eminentiori triremis loco ſedens, ſuos hortatur; addit animos; inſtat. Cæſis compluribus, ac Muſtapha vulnerato cum aliis in terram deſiliente, duabus triremibus potitur. Tres, quæ, fuga arrepta, in Acroceraunios intento quam maxime remigio devehebantur, a noſtris inſequentibus captæ. Deleti hoſtes, captivi Chriſtiani libertate donati. Legatus Corcyram devectus, incurabili, ac letali vulnere medicas manus refugiente, intra ſeptimum diem confectus, non minus fortiter, quam pie, & religioſe occubuit; ingenti omnium, atque in primis maritimæ militiæ dolore, ac lachrymis. Funus Corcyræ magiſtratuum juſſu perhonorifice deductum eſt. Spectata, atque egregia Hieronymi filii pietas, ac virtus ſummis exornata laudibus, quod ſagittarum hoſtilium imbrem ſcuto excipiens, patrem protexit, nunquam poſtea ab ejus latere, quoad ſpiritum efflaret, diſcedens; quem pater moriens ad ſolidæ virtutis iter capeſſendum, fortiterque pro patria inſudandum extremo ſpiritu eſt cohortatus. Fuit in Chriſtophoro Canali ingenium ad maritimas res tractandas mirifice accommodatum, a teneris annis navalibus ſtudiis innutritum, cujus mox, ad rempublicam accedens, ingens ſpecimen dedit, ac cunctos illius militiæ gradus emenſus, percelebre ſibi nomen ea tempeſtate comparavit. Senatus in civem de Republica optime meritum beneficus, ac liberalis extitit. Nam ut ejus liberis quadringenti aurei nummi ex ærario ſingulis annis penderentur, ſanxit; duabus puellis, cum per ætatem liceret, matrimonio jungendis, quatuor aureorum millibus pro dote conſtitutis. Latum etiam, ut Hieronymo filio, qui ad maritimarum rerum ſcientiam græcæ, ac latinæ linguæ cognitionem adjunxerat, cum vigeſimum attigiſſet annum, triremis unius præfectura tribueretur, bina aureorum mil-

Chriſtophorus Canalis piratarum triremibus potitur. Chriſtophori Canalis in pugna vulnerati obitus, & elogium.

Hieronymi Canalis in patrem pietas.

Senatus in Canalis filios liberalitas.

millia ſtatim perſolverentur; eo ſolatio clari civis obitus majorum exemplo filiis, poſteriſque penſatus. Canali in claſſis legatione Philippus Bragadenus, qui paulo ante triremi præfectus ad claſſem ſe contulerat, eſt ſubrogatus. Is, ſtatim prætoria conſcenſa, privatum navigium ex Senatuſconſulto Hieronymo Canali tradidit. Tridenti vero cum Hieronymus Triviſanus, Veronæ Epiſcopus, qui egregiam operam pro Eccleſia in Concilio navaverat, ex humanis exceſſiſſet, in ejus locum Bernardus Naugerius Cardinalis a Pio Pontifice Maximo ſuffectus eſt; ac Joannes Delphinus Torcellanus Epiſcopus creatus.

1562 *Philippus Bragadenus Canali legato ſuffectus. Bernardus Naugerius Cardinalis Veronæ, Joannes Delphinus Torcelli Epiſcopi eliguntur.*

M. D. LXIII.

1563 PArtæ a Carolo Gallorum Rege de perduellibus victoriæ nuntio per Europam vulgato, ingens Principes omnes lætitia inceſſit, quod, fracta catholicæ religionis hoſtium ſuperbia, debilitatiſque viribus, quietem Galliæ non modo reſtitutum iri, ſed latius eam tabem ad alias provincias minime emanaturam ſperarent. Complura ob id publicæ lætitiæ ſigna in Italia, atque Hiſpania edita. Senatus decreto unius diei ſupplicatio per omnia civitatis templa eſt habita; in Principis baſilica miſſarum ſacra ſolemni ritu celebrata, Deo Optimo Maximo gratiæ actæ. Carolus, ac Catharina mater Sambonetum, qui victoriam Concilii Patribus, ac Venetis ſignificaret, in Italiam miſere. Is cum per internuntium Caroli geſta, tutem, conſtantiam, fortitudinem, felicitatem extuliſſet, prſciſque illum Regibus, qui Dei præpotentis ope ſubnixi præclara, atque immortalitate digna facinora ediderant, æquiparaſſet, mox Principi, ac Patribus filii, matriſque nomine, quod ſuppetias laboranti Galliæ opportuno tempore tuliſſent, gratias egit. Guiſius, poſt devictos acie hoſtes, victoriæ veſtigiis inſiſtendum ratus, Stampas adortus, in ſuam poteſtatem redegit. Pleraque Beoſſæ oppida ſponte dedi in fidem fecere. Inde Aurelianum, quod fœderati pro munimento habebant, acri obſidione premere inſtituit. Admiratos, Andelotio fratre ad urbem tuendam relicto, cum trium Germanorum millium equitatu ad ea excipienda, quæ ab Eliſabetha Britanniæ Re-

Carolus Rex Sambonetum ad Concilium & Venetos mittit.

Aurelianum a Guiſio oppugnatum. Andelotius prædii Aurelianenſis præfectus. Eliſabethæ Angliæ Reginæ ſubſidia ad Ugonotos miſſa.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1563 Regina pecuniæ, militum, tormentarii nitrati pulveris ſubſidia mittebantur, ad Neuſtriæ litora proficiſcitur. Interea Guiſius, vehementiore nixu Aureliano obſeſſo, hoſtes compellere ad deditionem nititur. Currenti, ac prope fortunam manu tenenti victoria ſimul cum vita a Joanne Politroto Engoliſmenſi eripitur, qui pernici equo Guiſium duobus comitibus ſeptum inſequutus, breviori ſcloppetto, *piſtollam* vocant, diſploſo, tribuſque excuſſis glandibus, ei humeros transfodit; quo ex vulnere paucos poſt dies interiit. Politrotus vero in fuga captus, a quatuor equis diſtractus, ac diſcerptus, meritas tanti facinoris pœnas luit.

Guiſius ad Aurelianū a Joanne Politroto interfectus.

Guiſii obitu magna rerum omnium mutatio conſecuta; egregio, ac ſtrenuo duce amiſſo, ingentem Catholici jacturam perpeſſi ſunt. Contra qui novam religionem invexerant, majores ſpiritus ſumpſere, atque externorum auxiliorum ſpe audentiores facti, rurſus cuncta diripere; in ſacra, ac profana ſævire; pleraque Normanniæ oppida occupare. Inde Regina tot excidiis perterrita, nullumque diſſenſionum fluctibus finem fore verita, conſilia ad pacem flexit, quæ Amboſiæ decimoquarto kalend. aprilis his conditionibus ſancita eſt: *Ut libera fere in univerſo regno facultas novæ exercendæ religionis permitteretur: patrata crimina oblivione tollerentur: Condæus, Momorantius, ac reliqui utrinque captivi liberarentur: adempta hinc, atque inde reſtituerentur: externæ copiæ dimitterentur.* His pactionibus debilitatæ, atque acciſæ in Galliis Catholicorum rationes, atque Drocenſis victoriæ brevi fructus deperditus, ac corruptus videbatur. Verum Galli temporum neceſſitate acta excuſavere: mutuis civium cladibus brevi conterendas, atque evertendas publicas, privataſque ampliſſimi regni opes, niſi poſt arma fruſtra experta, concordia ruentibus rebus ſubventum fuiſſet. De inita pace Carolus Venetos certiores fecit, quæque ad eam amplectendam in primis impulerant, cauſas ſignificavit. Senatus cuncta proſpera, ac felicia amico Regi, ac nobiliſſimo regno optaſſe; nil, niſi ab arduis in rebus ſpectata prudentia profectum, ſe ſcire reſpondit.

Pax inter Regios & Ugenotos.

Diſcuſſis utcumque Galliæ procellis, religionis vero diſſidiis adhuc vigentibus, Concilii tantum remedium ſupererat, quo a pra-

pravis hominibus jacta in mortalium animis errorum ſemina, 1563
pravæque de religione ſententiæ excinderentur. Idque in primis Regina expetere videbatur, quæ, ut Concilii negotia urgerent, neu, quantum in ipſis eſſet, quidquam, quod ad illud celeriter maturandum attineret, prætermitti ſinerent, impenſe a Patribus flagitabat. Verum, ut plerumque magnis in rebus fit, variis aſſurgentibus affectibus, cunctatione res trahebantur; cum plerique, in primis Romanæ Curiæ mores formandos, pravas vel ambitione, vel avaritia inductas conſuetudines evellendas cenſerent; atque in id ſummo ſtudio Lotharingiæ Cardinalis intenderet, quem Galliæ Epiſcopi, Germani, Hiſpani complures, nonnullis quoque Italis adſentientibus, ſequebantur, qui eccleſiaſticæ diſciplinæ ardore, ac conſcientiæ ſtimulis incendebantur. Quæ ſummas Pontificis Maximi, ac Romanorum Præſulum animis curas, ac moleſtias injecerant, ne Apoſtolicæ Sedis auctoritas imminueretur; ac ſi quid iis de rebus ſtatuendum foret, id Romæ a Pontifice, ac Cardinalibus fieri malebant; Hiſpanis, Galliſque contra nitentibus, arctiora, ac ſeveriora a Concilio decreta fieri petentibus: ni id impetrarent, ſe coacturos in Gallia Concilium minitantibus. Neque ab his diſſentientiens Cæſaris voluntas, qui Oenipontem profectus, ſi occaſio poſceret, Tridentum venturum, ut præſens Concilio adeſſet, pollicebatur. His ſolicitudinibus confectus Pius, cum in gravem morbum incidiſſet, augeri ſuſpicio cœpit, ne ejus obitu vetus eligendorum Pontificum inſtitutum immutaretur, neve illi ſucceſſor a Concilio daretur. Cum itaque convaluiſſet, diplomate cavit, ne alibi, quam Romæ Summus Pontifex crearetur, ſi id ea in urbe fieri non poſſet, loco a Cardinalibus conſtituto ageretur, penes quos tantum Summorum Pontificum eligendorum jus eſſet. Interea Synodi legati Joannem Franciſcum Commendonum Oenipontem ad Cæſarem, ut Apoſtolicæ Sedis dignitatem illi commendaret, miſere: neo multo poſt eo Lotharingus Cardinalis contendit, ſumma ope nixus, ut ad collapſos eccleſiaſticorum mores Concilii ope reſtituendos Ferdinandum adhortaretur. Dum hæc geruntur, Hercules Gonzaga, Mantuanus Cardinalis, Concilii legatus, exceſſit e vita; quem paucos poſt dies Hieronymus Seripandus ab ſubſecutus.

Pii decretū de Pontifice Romæ & a Cardinalibus tantum eligendo.

Jo. Franciſcus Commendonus a Cōcilii legatis ad Cæſarem miſſus.

Lotharingus Cardinalis Oenipontem ad Cæſarem proficiſcitur.

Herculis Gonzagæ & Hieronymi Seripandi Cardinalium obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1563 Eorum loco Joannes Moronus Mediolanenſis, ac Bernardus Naugerius Cardinales ſuffecti.

Joannes Moronus, Bernardus, Naugerius, ſuffecti.

Pii Pontificis literæ ad Senatum de Cardinali Amulio.

Naugerius in itinere Venetias accedens, Pii literas ad Senatum detulit, quibus enixe, ut Marcus Antonius Amulius Cardinalis in gratiam reciperetur, Patres rogabat; nihil ſibi jucundius contingere poſſe, quam ſi, ad lenitatem, ac clementiam proclinatis animis, egregio, ac ſingulari virtute prædito civi, publicæ indignationis nubibus deterſis, aliqua tandem benignitatis lux affulgeret. Literas Naugerius gravi oratione eſt ſubſequutus. Re vero in Senatu agitata, cum plerique vel cunctandum, vel mollius Pontifici reſpondendum cenſerent, Aloyſius Mocenicus, ac Julius Contarenus, conſilii Sapientes, e ſuggeſtu in Amulium invecti, perpetratum ab illo adverſus patrias leges facinus acerrime inſectati, Patres ad publicam gravitatem, ſeveritatemque retinendam ſunt adhortati: *Legibus veluti mœnibus circumſeptam, ac circumvallatam Rempublicam eſſe, quas ſi quis tranſiliret, aut perfringeret, is ſummi ſceleris noxa inquinatus, parricidii piaculo obſtringeretur: nullas inviolatas magis, ac ſacroſanctas a majoribus noſtris habitas fuiſſe, quam eas, quibus legatorum ambitio coerceretur, ut quorum in pectore graviſſima Reipublicæ negotia reconderentur, ii non modo ab omni labe, verum etiam a criminum pertenui ſuſpicione immunes eſſent.* Itaque Senatuſconſultum, quo Pio Pontifici Maximo reſponderetur latum eſt: *Quo minus poſtulata præſtare poſſet, legum obſervantia, qua Reſpublica ſuſtentaretur, ac coaleſceret, quaque una per tot ſæculorum ſucceſſiones dignitatem, atque incolumitatem retinuiſſet, arceri: Amulium, dum legatione fungeretur, oblitum legum, oblitum officii, peſſimo exemplo deliquiſſe, qui ſe Veronenſi epiſcopatu indignum, atque refragantibus Reipublicæ inſtitutis minime aptum cenſuiſſet, eumdem ambitione victum, cardinalatus dignitatem appetiiſſe, & non modo inconſulto, verum etiam repugnante Senatu, accepiſſe, quod Varnienſis, & Atrebatenſis legati, Epiſcopi dignitate inſigniti, niſi permittentibus eorum, Regibus non effeciſſent: veniam proinde a Senatu non mereri, qui, projecta adeo ambitione, atque auſu in patrias leges impetu facto, irruiſſet.* His peractis Naugerius Tridentum proficiſcitur.

Aloyſius Mocenicus, Julius Contarenus in Amulium invehuntur.

Senatus ad Pontificem reſponſum.

Ibi

1563 Ibi magna contentione diſſidentibus animis diſceptabatur; neque ob eas, quæ de veteribus inſtitutis corrigendis agitabantur, controverſias quidquam decernebatur; in Galliis vero poſt pacis conditiones pactas acerrime adhuc inter ſe populis de religione certantibus, novi tumultus ſuboriebantur. His permotus Pontifex arma comparare, Principum auxilia implorare, atque Concilium in aliud tempus rejicere meditabatur. Ea ex re ingentem Senatus moleſtiam percipiens, ut, iis conſiliis, quæ ad vim, atque arma ſpectarent, relictis, ad calcem Concilium perduceret, contendebat: *Ne in humanis auxiliis, Principumve potentia, aut viribus, quæ plerumque ambigua, incerta, noxia eſsent, ſed in Deo omnes curas, cogitationeſque defigeret; Dei opus non humanis conatibus, ſed Divina virtute æſtimandum. Quid chriſtianæ reipublicæ deterius, atque acerbius, quam Synodum, univerſi orbis expectatione tot laboribus, tot impenſis coactam, dimitti? Quam illius denuo convocandæ; ac cogendæ ſpem affore? Quonam graviſſima religionis diſſidia eſsent evaſura? Jam Galliam nationale concilium concoquere; ejus exemplo reliquas idem provincias facturas. Catholicam inde religionem magnum diſcrimen ſubituram; dum unaquæque provincia privatim ſuis rebus conſuleret, commune bonum diſtractum, ac convulſum, peſsum iturum. An vero id tanti eſset, Eccleſiam reformandam iis Patribus credere, qui pietate, ac religione ex omnibus provinciis ſelecti in eum locum conveniſsent, in quo Deo Optimo Maximo adſpirante de graviſſimis ſanctiſſimæ, ac Catholicæ religionis cauſis decernendum eſset? Quocirca, omni timore depoſito, ſtrenue in id incumberet, in quo afflictæ, ac perturbatæ Eccleſiæ ſalus contineretur.* Ad hæc Cæſaris literæ acceſſere, quibus Pontificem a Concilio e Tridento amovendo, atque alio transferendo (uti rumor erat) dehortabatur; cum exinde multa, eaque gravia detrimenta obventura autumaret, neque id ſe paſſurum diceret, meliuſque nunquam inchoatum, quam cœptum intermiſſum, ac in aliam civitatem tranſlatum affirmaret. Itaque ſuadere, ut Patribus liberam diſciplinæ, ac morum inſtaurandorum facultatem permitteret, & ſumma, qua pollebat, auctoritate ad præſentem perturbatis rebus opem ferendam Tridentum ſe conferret: eodem & ipſum, ut

Pii Pontificis conſilia de Tridentino Concilio dimittendo & religionis cauſam armis tractando.

Senatus Pontificem, ut ab armis abſtineat, hortatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1563 communi bono consuleret, concessurum. Sub id quoque tempus Philippus Hispaniarum Rex Aloysium Davilam Romam miserat, qui de Synodo prosequenda ageret. Germani vero Principes, Augustanam confessionem amplexi, ad Concilii Patres literas dederant, quibus, quominus in eamdem sententiam convenirent, nunquam detrectasse, aut impedimenta injecisse, ajebant. At decretis iis, quæ a Concilio Pontificis auctoritate ederentur, obnoxios esse nolle Cæsari significasse. His permotus Pontifex, ut de reformatione a Concilii Patribus ageretur, adsensus est, cum prius Joannem Moronum Cardinalem ad Cæsarem proficisci jussisset, ut illius animum flecteret, atque ne Concilii libertas in licentiam prolabi sineret, durioraque nimium Gallorum postulata remitti curaret, hortaretur. Eadem quoque cum Philippo agebat, Lotharingus Cardinalis pristino animi ardore sedato, ac restincto, æquiora flagitabat. Itaque Sessione xxi. de ecclesiasticorum reformatione agi cœptum. Complura a prioribus Conciliis decreta repetita, ac firmius sancita; Ecclesiasticus ordo severioribus legibus adstrictus, ut jam, consentientibus Principibus, Synodo finis imponi posse videretur.

Aloysius Davila a Philippo Rege ad Pontificem missus.

Condæi Principis legatus ad Philippum Regem, ut Concilii exitum impediret.

Condæus tantum, Gallici consilii princeps, si qua posset ratione, ejus exitum impedire nitebatur, legato in Hispaniam ad Philippum misso, qui, majori Germanorum parte, Anglis, Scotisque, & Gallis compluribus, in quorum gratiam Tridenti Concilium indictum fuerat, justis de causis eo proficisci abnuentibus, quod universale, atque œcumenicum non esse assererent: in Germaniæ civitatem aliquam, ut puta Constantiam, Wormaciam, vel Augustam Vindelicorum transferri peteret: ni id fieret, in eorum provinciis concilia habituros. Condæi postulatis a Rege responsum: legitime Tridenti Concilium coactum, Regum, ac Principum Christianorum consensu: Franciscum Secundum, Galliæ Regem, illud ad inflicta suo regno a pessimis hominibus vulnera sananda petiisse; Pontificem Maximum cunctos, qui christiano nomine censerentur, invitasse; fidem publicam interpositam, ut quibuslibet eo accedere, ac reverti tutum, atque incolume foret. Itaque nil immutandum, prosequendum quinimmo, ac quidquid ab eo decretum fuisset, id ratum, ac sanctum haberi oportere. Eadem

Philippi Regis ad Condæum responsum.

dem per Allegrium legatum a Pontifice petierant; qui rei novitate vehementer est commotus, quod effractis religionis vinculis, cuncta pro libidine agere, Lotharingiæ Cardinalis prorsus elevare auctoritatem, dignitatemque obterere vellent, qui a regio consilio ad Synodum missus, magna pars in eo fuerat, postulata Regis nomine obtulerat, theologorum, atque Antistitum haud exiguum numerum secum duxerat. At cum Carolus quartum ac decimum annum egressus, ex lege, Galliæ gubernacula suscepisset, eaque eximia virtutis, religionis, ac prudentiæ argumenta edere cœpisset, Gallia non modo in summam pristinæ recuperandæ dignitatis spem est erecta; sed, ut tandem unanimi Principum consensu Synodus perficeretur, maxime sperandum videbatur: cum præsertim Pontifex Concilii legatis scripsisset, ut quæcumque ad reformationem attinerent, sedulo curarent: iis, quæ a Concilio decernerentur, ut cuncti obtemperarent, omnem operam, ac studium adhibiturum. Nulla itaque de Romani Pontificis auctoritate mentione facta, multa ad prolapsam ecclesiasticam disciplinam instaurandam sancita, ac decreta sunt. Neque prætermittendum est, Joannem Grimanum, Patriarcham Aquilejensem, pravorum hominum, quod minus catholice in Epistola quadam de prædestinatione scripsisset, calumniis appetitum, summo cunctorum Patrum consensu ab omni noxæ suspicione immunem judicatum fuisse: magnaque lætitia ob eximium, quo Patriarcham complectebantur, amorem perfusi Patres, non modo cum eo per literas sunt gratulati, verum etiam, ut insignis viri famæ, atque honori consulerent, præclarum de illo Patrum judicium Regibus, ac Principibus christianis significarunt.

1563

Concilii de Joanne Grimano Aquileiensi Patriar. decretum.

Dum hæc in Italia geruntur, ac ad firmandam religionem Principum intentis animis, arma in Europa conquiescunt, Juliæ Cæsareæ, quod hodie *Algerium* vocatur, Rex, qui maritimas Lybiæ oras obtinebat, Orani recuperandi (quod oppidum paucis ante annis Hispani occupaverant) cupiditate incensus, Arabum, ac Turcarum decem millium peditatu coacto, Dragute cum triginta triremibus socio adscito, oppidum aggreditur, tormentis viginti quatere incepit. Barbarorum impetum fortiter Hispani propugnatores excepere, crebris eruptio-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1563 ptionibus ſæpius, compluribus interfectis, hoſtes in caſtra repulere. Verum aſſiduis dimicationibus ex præſidiariis multi cecidere, rerumque omnium inopia laborari cœptum. Philippus ex Italia Neapolitanas, Genuenſes, atque Andreæ Auriæ triremes accivit; iis ſe Melitenſes adjunxere, ut cunctæ quatuor ac triginta circiter numerum conficerent: quæ in Carthaginis novæ portum delatæ, Hiſpanis nonnullis navigiis auctæ, milite, commeatu, ceteroque apparatu bellico inſtructæ, ad ſubſidium Orano importandum contendere. Earum adventu Dragutes perterritus, muralibus machinis, aliiſque in uſus rei militaris relictis, repente diſceſſit; ejus exemplum terreſtribus ſequutis copiis, munitiſſima Africæ arx e Turcarum faucibus eſt erepta. Publica ob id in Hiſpania lætitiæ ſigna edita; in triduum ſupplicationes pro gratiis Deo Optimo Maximo, ac Cælitibus agendis indictæ. Rem omnem, uti geſta fuerat, victoriamque Rex Senatui ſignificavit, qui inſigne de barbaris relatum decus Philippo mirifice eſt gratulatus.

Dragutes, militaribus tormentis amiſſis, ab Orani oppugnatione diſcedit.

Verum proſperi hi Chriſtianorum eventus ab aſſuetis, ac frequentibus piratarum maritimis excurſionibus corrumpebantur, a quorum libidine, atque avaritia nil ſatis tutum, aut intactum erat. Hi dextra, lævaque ſuperum mare, ejuſque litora fatigavere. Philippus Bragadenus legatus, Illyrico emenſo, cum claſſe in Apuliam uſque ſe proripuit, ubi ingens prædonum numerus vicinas oras populabatur. Circa Siponтum tres illorum biremes aggreſſus, earum unam, omnibus fere internecione deletis, in ſuam poteſtatem redegit; reliquis, dum fuga ſaluti conſulunt, in litora impactis potitur: qui fugientes terram attigere, ſimul cum Dali, Naſuph, Caramuſſa, & Acmate eorum ducibus ab incolis cæſi ſunt: captivi ſupra centum tum ex Venetis, tum ex aliorum chriſtianorum Principum ditionibus libertate donati. Sub id tempus Quirina navis, quæ ex Aegypti litoribus mercibus prædives in Ciliciam proſpero vento devehebatur, repente ſæva tempeſtate oborta, in propinquum Cypri litus, circa Paphum impegit, ac naufragium fecit; complures undis abſorpti, pretioſæ mercis, ac ſignatæ pecuniæ jactura ingens facta. Inde ut privatis negotiatorum fortunis conſuleretur, in Senatu latum,

Philippus Bragadenus piratas inſequitur, eorũ triremes capit.

Quirina navis tempeſtatis vi demergitur.

Triremes majores ob mercaturã in Syriam & Aegyptum miſſæ.

tum, ut tres majores triremes in Aegyptum mitterentur; quæ 1563
veteri civitatis more iter in Alexandriam ad mercaturam exercendam haberent: præfectus Nicolaus Surianus creatus. Decretum quoque, ut binæ ejuſdem generis triremes in Syriam navigarent: his Ambroſius Bragadenus præfectus eſt. Syriaca, & Aegyptiaca navigatio ob inſeſſa a piratis maria aliquamdiu intermiſſa, ſummo non modo privatorum, verum etiam publico commodo, incrementa accipere, ac denuo vigere cœpit; civitas maritimis rebus aſſueta, invaleſcere, atque lætiores ſpiritus ſumere.

Aſcrivium, Epiri urbs, hoc anno ingenti terræ motu contremuit, qui meridie repente ſæviens, horrendam hominum, atque ædificiorum ſtragem edidit: centum ac ſexaginta octo privatorum civium ædificia quaſſata, ac disjecta corruere; reliqua fatiſcentia, inclinataque in præceps pene provoluta ſunt. Collapſæ violento, atque horribili tremore prætoriæ ædes Franciſcum Priolum præfectum, uxorem, filios, univerſamque ejus familiam oppreſſere; vix e ſinu ſpirantis adhuc matris ſemiviva puella erepta: centum circiter ac quinquaginta cum ex civibus, tum ex plebe mole ruentium murorum ruinis merſi, & obtriti interiere: in his aggreſtium turba, qui ex vicinis pagis, quod per id tempus ſolemnes nundinæ habebantur, in urbem venerant: arcis mœnia pluribus in locis ſubterraneo impetu ſtrata, ac convulſa, foſſæ oppletæ, oppidum priori adſpectu immutato viſebatur. Eo eventu conmoti Patres Senatus conſulto, ut ſtatim Philippus Bragadenus, claſſis legatus, Aſcrivium ſe conferret, atque urbi proſpiceret, juſſere: multa deinde ad afflictæ civitatis ſolatium, fortunaſque civium ſublevandas, varii generis ſubſidia tranſmiſſa. Priolo defuncto Andreas Duodus prætor ſuffectus, qui incolas perterritos, atque præteritorum malorum cladibus pene obrutos ſuo adventu recreavit, atque ad ſpem meliorem erexit, brevique virtute, ac diligentia oppidum inſtauratum, recentibus munitionibus auxit.

Aſcrivium a terræ motu male habitum.

Franciſcus Priolus Aſcrivii præfectus & ejus familia ruinis oppreſſi.

Andreas Duodus Aſcrivio præfitur.

In Carnorum quoque finibus tumultuantium, ii, qui in Ferdinandi Imperatoris ditionibus morabantur, in Gradenſes impetu facto, eorum ædes, aucupia, ac piſcationes, quibus victum quærebant, disjecere, ac diruere. In Muglenſium quo-

que,

Gradenſes, Utinenſes & Muglenſes ab Auſtriacis vexati.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1563 que, atque Vtinenſium finibus damna illata. Iis injuriis propellendis Senatus juſſu Forijulii magiſtratus omnem operam adhibuit; ac ne incenſis populorum in vindictam animis, ex parvis initiis res palam ad arma verteretur, Joannem Formentum Patres in Germaniam ad Cæſarem miſere, ut graviter de finitimorum injuriis conqueſtus pro amicitiæ jure damna a ſuis noſtris illata ſarciri, cuncta in priſtinum redigi, & in poſterum ejus ſubditos in officio contineri poſceret: is a Joanne Michaelio legato ad Cæſarem perductus mandata Senatus expoſuit. Eo audito Ferdinandus, quæcumque Gradenſibus erepta fuerant, reſtitui, eoſdemque e poſſeſſionibus minime deturbari juſſit. Ceterum ut finium controverſiæ tollerentur, communi conſenſu utrinque arbitros eligere placuit, qui in rem præſentem ſe conferrent, hinc, atque inde expenſis, ac diſcuſſis rationibus, difficultates componerent. A Ferdinando dicti ſunt Maximilianus Dorimbergius, Stephanus Suozius, Andreas Relingherius, Antonius Scotembergius, Andreas Peghelius; a Venetis Sebaſtianus Venerius, Marinus Caballius, Petrus Sanutus, Joannes Baptiſta Contarenus, Auguſtinus Barbadicus; ii omnes Gonarſium convenere; juriſperiti pro noſtris fuere Jacobus Chizzola, Franciſcus Gratianus, Utinenſis quoque fiſci advocatus, Marquardus Suſana: multa de iis, quæ inter Auſtriacam domum, ac Venetam Rempublicam intercedebant, controverſiis acta. Hoc eodem anno Jordanus Urſinus, Valerii illius filius, qui ſuperiore cum Turcis bello ſtrenuam, egregiamque in Illyrico Reipublicæ operam navaverat, peditatus præfectura a Senatu inſignitus eſt, mille ac quingentis aureis nummis quotannis decretis, militariſque Brixiæ civitatis cuſtodia demandata.

Joannes Formentus ad Cæſarem mittitur.

Arbitri inter Cæſarem & Venetos ad controverſias de finibus tollendas.

Jordanus Urſinus a Venetis peditum præfectus eligitur.

Interea vero, quamvis variis diſcuſſis, ac decretis, Concilium prope ad exitum ſpectare videretur; attamen non deerant ex Hiſpanis præcipue, qui cunctatione utendum arbitrarentur; noviſque difficultatibus recens in dies ſeges augebatur. Pontifex tantarum rerum mole defatigatus, ac valetudine correptus, ne, quam plerique ex tranſalpinis ſummam auctoritatem æquo animo pati non poterant, imminuere, ac labefactare conarentur, veritus, iis, quæ ad catholicæ religionis dogmata firmanda attinebant, abſolutis, Concilio finem imponi

1563 poni ſummopere exoptabat; atque a Venetis, ut per ſuos legatos id enixe curarent, poſtulabat; qui ad Pontificis dignitatem, & auctoritatem tuendam incenſi, nullum ea in re officii genus prætermiſere. Cæſar, & Carolus ſuis provinciis magis conſultum rati, ſi, Concilio nondum peracto, componendis religionis diſſidiis aliqua ſpes maneret, ne ad exitum perduceretur, nitebantur, ſuamque Patribus mentem ſignificaverant; de quo Pontifex licet certior factus, cum nil de priſtino ardore remitteret, Senatus legatis, ut quamprimum Concilium abſolvendum curarent, in mandatis dedit. Id cum ſedulo effeciſſent, non parvo, ut ſui voti compos Pontifex fieret, adjumento fuit, ingenteſque Patribus ob egregie pro Apoſtolicæ Sedis auctoritate navatam operam gratias egit. Summo igitur omnium Patrum conſenſu decretum, ut eorum, quæ in Concilio ſancita fuerant, ab Apoſtolica Sede confirmatio peteretur. Ita decembri menſe Tridentinæ Synodo finis eſt impoſitus, anno vigeſimoſeptimo poſtquam a Paulo tertio Mantuæ indicta fuerat, a prima vero Tridentina ſeſſione decimo octavo. Illius decretis Patres, quibus id jus erat, ducenti quinquaginta quinque ſubſcripſere; inter quos Legati Cardinales quatuor; Joannes Moronus, Epiſcopus Præneſtinus, Mediolanenſis; Stanislaus Hoſius, Sarmata, Warmienſis; Ludovicus Simoneta, Mediolanenſis; Bernardus Naugerius, Venetus: Cardinales præter legatos duo; Carolus Lotharingus, Archiepiſcopus Rhemenſis; Ludovicus Madrutius, Tridenti Epiſcopus deſignatus: Patriarchæ tres; Antonius Helius, Juſtinopolitanus, Hieroſolymorum; Joannes Grimanus, Aquilejæ; Joannes Triviſanus, Venetiarum: Archiepiſcopi vigintiquinque; Epiſcopi centum ſexaginta octo; Abbates ſeptem; abſentium procuratores novem ac triginta; ordinum ſupremi magiſtri ſeptem.

Pius Pontif. Concilio finem imponere ſtudet.

Senatus legatis mandat, ut Concilium abſolvendum curent.

Tridentinæ Concilium abſoluitur.

M. D. LXIV.

1564 Plus vero cum ſeptimo kal. februarii tum ad ſacra dogmata, tum ad eccleſiaſticam reformationem ſpectantia Concilii decreta pontificia auctoritate probaſſet, ex vetere inſtituto ampliſſimum confirmationis diploma plumbo obſignatum promul-

Tridentini Concilii decreta a Pio Pontifice confirmantur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1564 mulgavit . Senatus ad provinciarum , urbiumque magiſtratus literas dedit , quibus in iis exequendis, prout res poſceret, operam præſtare jubebantur; ac mox in divi Marci baſilica , dum ſolemni ritu miſſarum divina , Principe cum Patribus adſtante , celebrarentur , Euangelio perlecto , e ſuggeſtu ab Antonio Milledonnio ſcriba decretum Senatus de promulganda , ac recipienda Synodo recitatum eſt. Pontifex, ut egregia aliqua ſignificatione præſentibus , ac poſteris eximiam in Venetos voluntatem teſtatam relinqueret , ſponte , atque , ut ajunt, *motu proprio* , Reipublicæ ampliſſimas , ingentibuſque ſubructionibus inſignes divi Marci ædes , olim a Paulo Secundo excitatas , dono dedit , literis adjectis , quibus Venetorum pietatem , religionem , ac præclara in Apoſtolicam Sedem merita extulit . A Senatu pro illuſtri munere ingentes Pontifici gratiæ actæ; Jacobus Superantius legatus publico nomine accepit ; illum ſubſequuti oratores ædes eas incoluere : latumque , ut ad illas vetuſtate , ac ſitu collabentes inſtaurandas decem aureorum millia ex ærario tribuerentur.

Venetorum de recepta Synodo promulgatio.

Aedes ad divi Marci Romæ a Pontifice Venetis dono datæ.

In Carnis cum de controverſiis inter Auſtrios , ac Venetos ab arbitris utrinque actum fuiſſet , publicis ex communi ſententia compoſitis , id erat reliquum , ut quæ ad privatos pertinerent, dirimerentur: qua in re cum varia a Cæſareanis impedimenta objicerentur, neque, illis reluctantibus , moraſque nectentibus, negotium confici poſſet, re infecta, Germani diſceſſere. Senatus, ut, quod ſemper profeſſus fuerat , in pacem publicam, atque concordiam ſtudium teſtaretur; ſuis, ne abirent, præcepit; cum, nullo operæ pretio tot laboribus inſumptis , fruſtra gravioribus controverſiis conſultum, & cito finitimos populos ad jurgia, vetereſque contentiones redituros animadverteret. Sperabat autem , fore ut Cæſar , de iis, quæ geſta erant, edoctus , ſuos iterum cum noſtris convenire, quæque ſupererant difficultates, tolli juberet. Verum illius obitu conventu dirempto, arbitri in patriam a Senatu vocati ſunt : nam Ferdinandus diuturna ægritudine confectus pridie kalen. auguſti ex humanis exceſſit . Qui cum in ea tempora incidiſſet , quibus ob religionis diſſidia univerſa Germania fluctuabat , priſca catholica inſtituta conſtanter retinuerat , ſummaque pietatis , ac virtutis opinione excellens cuncto-

Ferdinandi Cæſaris obitus.

cunctorum ſibi amorem , ac benevolentiam conciliaverat . Maximilianus filius natu maximus Imperii ſucceſſor fuit , qui Bohemiæ ac Pannoniæ regna obtinebat . E fratribus Ferdinandus Stiriam , Carinthiam , & Carniolam ; Carolus Auſtriam, & Noricos eſt ſortitus . Quæ Ferdinandi patris obitum doleret, Imperiique ſucceſſionem gratularetur , de more a Senatu ad Maximilianum decreta legatio, in qua fuere Marinus Caballius, Aloyſius Mocenicus.

1564 *Maximilianus Secundus patri in Imp. ſuccedit.*

Marinus Caballius, & Aloyſius Mocenicus ad Maximilianum. oratores.

Dum hæc in Germania contingunt , Philippus anni elapſi proſperis eventis illectus , ad arcem in ora Numidiæ ſitam , quam *Pignonem* , ſive *Rupem Velezi* vocant , occupandam animum adjecit, quod piratis Hiſpaniæ litora , ac maria infeſta reddentibus , præruptis , atque inacceſſis ſcopulis circumfluo mari munitum oppidum tutum receptum præberet. Eam provinciam Garziæ Toletano injunxerat , qui , Hiſpanis coactis triremibus , ad maritimas Philippi , ſociorumque vires jungendas in Italiam itinere arrepto , duobus veteranorum Hiſpanorum millibus ex Neapolitano regno avectis , tribus Germanorum peditum millibus , quos Annibal Altempſius , Pii nepos , in Germania conſcriptos , tranſitu per Venetorum fines a Gabriele Queva Inſubrum præfecto impetrato , Spediam Genuenſis oræ oppidum perduxerat , octoginta circiter triremium claſſe , in Hiſpaniam velificatione facta contendit. Cum ad Malacæ litora prope ad Gaditanum fretum perveniſſet, Luſitaniæ Regis triremibus auctus , bellicoque apparatu, in Numidiam trajecit : muralibuſque tormentis expoſitis, inferiorem arcis partem quatere , barbarorumque propugnacula demoliri, & disjicere adeo ingenti impetu ac fragore cœpit, ut Mauri, ac Turcæ perterrefacti , noctu arce relicta, fuga ſalutem quæſiverint. Hiſpani oppido potiti , militum præſidium impoſuere. Garzias ad opem Genuenſibus ferendam, a quibus nuper Cyrni inſula defecerat, ſe contulit. Nam cum Sampetrus Corſus , vir bello strenuus atque impiger, Ligurum nomini infenſus , aliquot illius gentis hominum inſigni audacia , ac ferocia ſibi adjunxiſſet , Gallica triremi , parvoque navigio e Maſſilia in inſulam delatus , populorum animis ſolicitatis, Liſtria , ac Portu vetere oppidis per dolum occupatis , inſulam omnem , munitis exceptis locis , in

Pignonis arx ab Hiſpanis capta. Corſica a Sampetro Corſo occupata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1564 in ſuam poteſtatem redegerat . Genuenſium vero tria peditum circiter millia ad perduelles expellendos tranſmiſſa , Sampetrus fortiter adeo exceperat , ut , multis cæſis , compluribus captis , aliis fugatis , non modo parta retineret , verum etiam reliquis oppidis minitaretur . Quocirca Genuenſes inopinato gravi impliciti bello , auxilia Philippi Catholici Regis imploraverant ; quibus licet Hiſpanæ aliquot triremes in Cyrnum devectæ præſto eſſent ; attamen Sampetrus , in arduis ac præruptis montium ſuis coactis , nullos hoſtium impetus verebatur . Stephanus Auria , quem belli ducem Genuenſes creaverant , ſpe illos prælio vincendi dejectus , incenſis domibus , vaſtatis agris , corrupto commeatu , fame conficere moliebatur ; dum ii obſtinatis animis , Genuenſium jugum peroſi , acerrime pro libertate contenderent .

Suleimanus a ſummo vitæ amittendæ periculo eretus.

At Suleimanus Perſicis diſtentus rebus , paucarum triremium claſſe emiſſa , intra Aegæum ſe continuit , Byzantiique ingens vitæ periculum ſubivit ; dum ad peramœnum divi Stephani pagum , decem & octo ab urbe paſſuum millibus , venatum profectus , in magnam tempeſtatem , atque aquarum eluviem incidiſſet , quæ inſueta , ac prope incredibili imbrium copia e vicinis montibus rapido curſu ruentes , Byzantium , proximoſque agros , ac villas latiſſime inundaverant ; ac niſi fugam celerem , inſtructo ad id navigio , arripuiſſet , ejus ſævientis vi abreptus cum ſuis , ac demerſus interiiſſet . Vix enim iter ceperat , cum lata planitie aquis oppleta , ædes , ubi defatigato Regi receptus , lapſu repentino corruere ; horribili turbine oborto , turris templi (*Moſcheam* Turcæ vocant) ab eo regio ſumptu nuper extructa , de cælo tacta eſt . Mare præter ſolitum intumeſcens , ſtragem ædium , pontium , porticuum , aquæductuum , publicorum , privatorumque ædificiorum edidit : multi in urbe , atque paſſim per agros homines , ac jumenta aquis abſorpta interiere .

Dragutes ſex Chriſtianorum naves in ſuam poteſtatem redigit.

Dragutes vero ex Africæ litoribus ſolvens , in Tyrrhenum mare delatus , ad Aenariam inſulam ſex Chriſtianorum onerarias naves aggreſſus , cruento inito certamine , devictas abripuit , hoſtibus , qui navem Epidamnicam invaſerant , ducentis circiter , igne a noſtris , deſperata ſalute , injecto , abſumptis : una ex iis Veneta , *Fabiana* vocata , reliquæ Genuenſes

ſes fuere . Dragutes præda onuſtus , in Africam , quaſſatis , ac ſemilaceris ex pugna triremibus , eſt reverſus . 1564

Petrus Tronus Caſſani Turcarum trierarchi triremem capit.

At in Aegæo Petrus Tronus , Cretæ , ac propinqui maris cuſtodiæ præfectus , cum in Caſſani trierarchi Turcæ triremem incidiſſet , in eam ſtatim hoſtili impetu invectus , Turcas , licet abjectis armis Suleimani ſe milites , non piratas eſſe dicerent , ad unum omnes contrucidatos delevit . Qua ex re mirum in modum Rex indignatus , in vindictamque exardeſcens , injuriam minime inultam pati , bello ſuorum cædem ulciſci , ni ſibi a Venetis ſatisfieret , minabatur . Senatus , re cognita , cum Tronum adverſus pacis conditiones egiſſe conſtaret , ut ſe coram Triumviris capitalibus ſiſteret , juſſit . Ille , judicio declinato , abſens , Franciſco Taliapetra referente , damnatus , atque in Illyricum in Abſoram , & Crepſam decennio ablegatus eſt . Mox lenire Suleimani animum , pacatioremque reddere Patres conati , Danielis Barbadici legati opera uſi ſunt , qui , purpuratis muneribus ſibi conciliatis , ingenii dexteritate , ac ſingulari prudentia effecit , ut , deſæviente Regis ira , pax ſarta tectaque cum Ottomana gente perſeveraret . Sub id tempus , excitatis in Venetorum animis priſcæ navalis diſciplinæ ſeverioribus ſtudiis , duodecim virorum Collegium eſt inſtitutum , qui centum triremium claſſem comparandam curarent , ut ad omne belli motus armis , viriſque inſtructa , ſtatim educi , atque in hoſtem emitti poſſet ; cum præſertim crebris rumoribus perferretur , Turcas in ſequentem annum ingentem claſſem adornare ; neque diutius maritimas præpotentis imperii vires Suleimanum torpeſcere paſſurum . Rebus enim cum Perſa compoſitis , ſeneſcente licet ætate , juvenilem animi vigorem retinens , tum inſito in Chriſtianos Principes odio , tum gloria nominis incenſus , Melitæ inſulæ oppugnationem animo agitabat ; qua occupata , Guletam Numidiæ oppidum aggredi , injuriaſque ab Hiſpanis ob dignonem captum illatas , ulciſci meditabatur . Neque interea Maximilianum Imperii initia auſpicatum ſuſpicione belli vacuum ſinebat . Nam Joannes Sigiſmundus , Daciæ Princeps (Turcæ *Erdeli Begum* eorum lingua vocant) qui Joanni patri ſucceſſerat , precariumque imperium a Turcarum Rege obtinuerat , prævalidis gentis viribus fretus , ac perduellium quorundam procerum ,

Danielis Barbadici legati opera Suleimani animus delinitur.

Collegium maritimum a Veneris inſtitutum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1564 Georgii in primis Rebeci adhortatione, ac ſtimulis incitatus, Satmarum munitum oppidum, Melchione Balaſſio, Cæſaris præfecto, ejecto, conjuge, liberis, gaza capta, occupaverat. Ea re vehementer perturbatus Maximilianus, neque tantam injuriam, inita vix Imperii adminiſtratione, ferendam ratus, Lazaro Suendio, ſolerti duci, & ob res præclare geſtas fama percelebri, belli adminiſtrandi ſummam defert. Is, equitum peditumque Germanorum copiis coactis, in agros Sepuſienſes, qui a Gepidis priſca Germanorum gente, paululum detorto nomine, dicuntur, exercitum ducit; rigente hyeme Docceum magna celeritate, ac virtute expugnat. Eo capto Zerentium occupat; Satmari præfectus, oppidi deſperata defenſione, incenſum hoſti relinquit. Suendius ſitus opportunitate ductus inſtauravit. Inde Tibiſco amne trajecto, adſpirante victoriæ curſu, in Maximiliani Cæſaris imperium pleraque oppida conceſſere. Neque dubium erat, quin opem imploranti Daco Suleimanus non modo totis viribus adeſſet; verum ipſe etiam expeditionem Pannonicam ſuſciperet;

Joannes Sigiſmundus Daciæ Princeps Satmarum Cæſareanorum oppidū occupat. Docceum & alia oppida a Lazaro Suendio Cæſaris præfecto capta.

M. D. LXV.

1565 NIſi a terreſtribus pugnis ad maritimum bellum illius animus traductus fuiſſet, Rhodiorum militum injuriis in primis permotus, qui perpetui Ottomanorum hoſtes maria excurrendo, navigia intercipiendo, captivos abducendo, clades Turcis ingentes inferebant. Neque deerant qui Regis odia in Militenſes acuerent, ſuaderentque, ut ingenti, atque expedita claſſe inſulam aggreſſus, equitum faſtum, vireſque frangeret; Melita occupata, aditum ſibi ad Siciliam invadendam pararet. Auctores conſilii in primis erant, Caſſanus inter purpuratos Viſiri locum obtinens; Chariadenus Ahenobarbi illius filius, qui ob illata Chriſtianis damna magnum apud ſuos nomen adeptus fuerat; ac Dragutes Leptinatus præfectus, vir bello ſtrenuus, qui piraticam exercendo magnas ſibi opes, magnam auctoritatem comparaverat. Suleimanus igitur in hanc ſententiam propenſus, fabrorum navalium numero aucto, undique bellico apparatu coacto, claſſem numero, ac viribus prævalidam hyeme inſtruendam curaverat; ineunte

Suleimani in Militenſes maritimi apparatus.

te vere, citius ac fieri conſueverat, in Peloponneſum navigare juſſerat, ut e Methone, Corone, Naupacto, Pylo, atque aliis illius regionis oppidis abunde nauticus panis, atque alia in belli uſus neceſſaria ſuppeditarentur. In ea ad quatuor prætorianorum militum millia cenſebantur, complures equites (qui *Spachi* a Turcis dicuntur) multi e Græcia, atque aliis Europæ provinciis ſibi ſubjectis evocati, ut univerſi viginti millia numero conficerent. Claſſis centum quinquaginta triremibus conſtabat, inter quas viginti ex Aegæi maris cuſtodiis numerabantur; quinqueremes, quas *maonas* vocant, octo, quibus immania tormenta ad mœnia disjicienda advehebantur: ad hæc complura navigia commeatu, bellicique rebus onuſta. E Lepti quoque Dragutes accitus, ut cum ſuis navigiis reliquis ſe ſe adjungeret; claſſemque ducentarum triremium numero futuram ferebatur. Maritimum imperium Piali purpurato qui, ſuperioribus annis ad Meningem Hiſpanorum claſſem devicerat, terreſtre Muſtaphæ Suleimanus detulerat. 1565

Ingenti hujuſce apparatus fama cum per Europam percrebreſceret, omnium Principum animos ad ſe attraxerat. Veneti, licet omnem belli impetum in Melitam inſulam effuſum iri cognoviſſent; attamen, ne præpotenti Turcarum claſſe maria inſidente, vetuſtum maritimarum virium augendarum morem prætermitterent, atque ut Reipublicæ ditiones tuerentur, claſſis imperatorem Melchiorem Michaelium, divi Marci Procuratorem, majoribus comitiis dixere. Philippo Bragadeno legato Antonium Canalem collegam addidere; Corcyræ ſummum imperium Franciſco Barbaro detulere; ad Illyrici, Cypri, Cretæ magiſtratus literas dedere, quibus, interpoſita ſolicitudine iis firmandis, ac tuendis incumbere juſſere. Michaelio præceptum, Suleimani claſſe Corcyram verſus tendente, ne qua cum Turcis congrediendi occaſio ſit, ſe ſe in Illyricum recipiat; ſi quid hoſtile adverſus res Venetas Pialis moliatur, virtute, viribus, omnique conatu obſiſtendo, videat, ne quid Reſpublica detrimenti patiatur; ſin alio curſum dirigat, ab iis ſe abſtineat, quibus pax cum Suleimano inita violari poſſit: neque enim temere præpotentem, atque amicum Regem laceſſere Republica eſſe.

Pialis Turcarum claſſi imp. Muſtaphas terreſtribus copiis præficitur.

Melchior Michaelius claſſis Venetæ imperator.

Antonius Canalis & Philippus Bragadenus claſſis legati.

Franciſcus Barbarus Corcyræ cū imperio præficitur.

Junio igitur menſe cum Melitam delata Turcica claſſis eſſet,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1565 *Turcica classis ad Melitæ oppugnationẽ se confert.*

set, diebus aliquot exponendis copiis, ac commeatu, situque locorum explorando insumptis, Sancti *Hermi* arcem (ita enim divum Hermetem vulgo vocant) in ostio portus sitam, muralibus tormentis quatere hostes cœpere, Melitensibus equitibus strenue, atque acriter, non sine ingenti clade obsistentibus. Sed cum mœnia machinarum globis dejecta ejusmodi ruinam, qua late hostibus ascensus pateret, edidissent, scalis admotis, arcem conscendere adnixi, a propugnatoribus summa virtute propelluntur. Verum, munitione extra mœnium ambitum capta, interjectam fossam gosipii, ac lanæ sacculis opplere conantur. Ex Turcis complures, ex propugnatoribus quadraginta tantum desiderati, cecidere. Interea Joannes Valetta, Melitensium Magister, militum subsidia obsessis mittere, equites ad pugnam incendere; Messanam, qui a Garzia Toletano auxilia peterent, destinare. Hostes contra acrius insistere, majori impetu quatere; Dragutes, qui nuper e Lepti cum triremibus, veteranorumque militum numero accesserat, nihil intentatum relinquere; latera, & protegentes muros prosternere. Turcæ irrumpere iterum in arcem conati, iterum repelluntur. Demum redintegrato tormentorum impetu, mœnibus fere cunctis solo æquatis, ex triremium antemnis conflato ponte, noctuque ingressum moliuntur. Atrox pugna ad pontem initur, dum illi exscendere, hi prohibere hostes contendunt: innumeri prope Turcæ cadunt. Dragutes impigri militis, ac ducis munus obiens, lapide ex tormento excusso in facie ictus interiit. Machinarum magister, prætorianorum dux, atque alii complures strenui milites, ac duces cecidere. Numero tandem equites vincuntur. Nam cum per trigintaquinque dies Turcæ frustra pugnassent, extremum rei eventum experiri terra, marique statuunt; profestoque divi Joannis Baptistæ die summo mane universis viribus adorti, Equitibus post egregiæ fortitudinis exempla ad unum fere obtruncatis, Divi Hermetis arce potiuntur. Ea potiti, Divi Michaelis munitionem aggrediuntur; ingenti machinarum vi, quibus pilas ferreas, immanesque lapides ejaculabantur, prosternere conati. Cum in ea tuenda acrior equitum virtus, subsidiis invectis, assurgeret, extremaque potius pati, quam locum deserere statuissent.

Joannis Valettæ, Melitensiũ Magistri, sedulitas in Sancti Hermi arce subveniendo.

Dragutes in Sancti Hermi oppugnatione interfectus.

Sancti Hermi arx a Turcis capta.

Divi Michaelis munitio a Turcis oppugnatur.

Cum-

Cumque annus in hyemem vergeret, quatuor mensibus in ea obsidione elapsis, discessum Turcæ meditabantur; cum præsertim Garziæ Toletani, Siciliæ Proregis, triremes cum decem millium peditum auxiliaribus copiis in insulam transmississent: qua re permoti hostes obsidionem solvere, ac, turpi fuga arrepta, suorum compluribus desideratis, Dragute amisso, Byzantium rediere. Ferturque in eo conatu viginti tria hostium millia periisse; ex Melitensibus ducentos quadraginta equites, milites ad tria millia, inutilis turbæ mille ac septingentos cæsos fuisse. Ita immanes Suleimani apparatus, equitum Militensium, ac Joannis in primis Valettæ Galli, Hierosolymitanæ militiæ Magistri, Melitæque Principis, virtute ac constantia, inani prorsus eventu irriti cecidere. Hæc ad Melitam gesta. 1565

Garzia Toletanus Siciliæ Prorex Melitẽsibus subsidia mittit. Turcæ Melitensem obsidionem deserunt.

Quamvis Suleimanus ob ea, quæ prospera Cæsari in Dacia contigerant, mirum in modum exardesceret, attamen pro præsenti rerum statu dissimulatione utendum ratus, ultionem in aliud tempus differebat. Interim vero induciis pactis, de concordia varie, frustra tamen, agitabatur. Joannes Daciæ Princeps iis, quæ ipsius præfectus Lazaro Suendio de oppidis aliquot Cæsari restituendis spoponderat, stare se nolle ajebat; Stephanus Battoreus ab eodem ad Cæsarem legatus nihil conficiebat; Cæsar Tocajum a se munitum, ni impensæ sarcirentur, Daco restituere abnuebat. Cernovicchio vero a Maximiliano Byzantium misso, una cum Suleimani legato Viennam pro rebus componendis reverso, mora res trahebantur. Cum Turcæ interea, ex Lippa, ac Temesvario copiis eductis, Pacotam, in Daciæ finibus positum oppidum, per vim, ingenti incolarum strage edita, potirentur, ac paulatim ad occupandam Julam aditum sibi patefacerent; Zadahem, Genumque, propinqua urbi loca a Daciæ Principe Turcarum octo millibus adaucto occupantur. Cæsar de his certior factus copias denuo cogit, Germanos pedites, Bohemicum equitatum comparat. Dacus, conventu cocto, procerum, ac populi opem implorat.

Stephanus Battoreus, Daciæ Princeps, ad Cæsarem legator. Turcarum & Dacorum contra Cæsareanos progressus.

Eodem ferme tempore Andream Grumium, ac Morgantem Manfronium Venetias miserat, qui de rerum suarum statu Senatum docerent, amicitiam expoſcerent, peterentque ut

Joannis Daciæ Principis legati ad Venetos missi patriciam puellam in uxorẽ Principis postulant.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1565 centum equitum, totidem peditum in Reipublicæ ditionibus ad Daciæ Principis custodiam conscribendi facultas permitteretur. *Haud exigua ex Ioannis amicitia ad Venetos commoda perventura*, affirmant: *ex Dacia non modo ingentem frumenti copiam comportari, sed equitatum quoque submitti posse; frumenti trecenta sestarium millia singulis annis, quæ per Danubium in Savam amnem devecta, tuto Spalatum, inde mari ad urbem conveherentur, Dacum præbiturum: triginta boum millia per Illyricum, atque Istriam nullo negotio Venetias duci posse: adeo propensum Ioannis Hungariæ Regis* (sic enim illum appellabant) *animum in Venetos esse, ut nullo unquam tempore ab illorum consiliis recedere; imperium, fortunas, opes eis obstringere statuerit: atque ut arctius devinciretur, e patricia gente puellam uti Reipublicæ filiam sibi uxorem deposcere, ex ea nisi liberos sustulisset, regni ex testamento heredem Rempublicam facturum: tres demum ex ordine Senatorio in Daciam mitti, qui illius imperii leges in ordinem redigerent.* Hæc a Grumio cum oratione, tum scripto proposita, cum essent ejusmodi, ut specie magna, atque opportuna, re ipsa summis involuta difficultatibus cernerentur; per aliquot menses responsum Patres distulere. Interim Cæsar de illorum hominum adventu certior factus, ne Veneti militum delectum in suis ditionibus Daco ad bellum adversus ipsum gerendum concederent, suspicabatur; eaque de re graviter per Leonardum Contarenum legatum conquestus: *non id in Rempublicam ejus benevolentiam; non prisca amicitiæ jura promerita, ut illius hostes milite, atque armis juvarentur.* Senatus, ut e Maximiliani animo omnem suspicionem eximeret, *eadem, qua semper erga ipsum fuerat mente, esse* testatur; *neque ut e suis ditionibus copiæ adversus illum educantur, passurum*: quo responso omnis e Cæsaris animo ambiguitas depulsa est. Grumius ducentis aureis nummis donatus cum literis ad Joannem Principem officii, ac benevolentiæ refertis dimittitur.

Maximilianus Cæsar per Leonardum Contarenum oratorem cum Senatu conqueritur. Senatus responsum.

Joannis Daciæ Principis alii oratores ad Venetos. Provanii, Daciæ oratoris, oratio.

Ceterum haud multo post Prosper Provanius cum eodem Grumio a Joanne denuo Venetias mittitur, qui fiduciarias Principi exhibitas literas oratione subsecutus, *Haud parum se mirari*, inquit, *variis ab ignaris, atque malevolis hominibus dissipatis rumoribus, Joannis Hungariæ Regis famam, atque existimationem in vulgus traductam immerito læ-*

1565 *di, tanquam is Christiani Principis officii, ac nominis oblitus, religioni infensus, pro Turcis, communibus acerrimisque christianæ reipublicæ hostibus, adversus christianos Principes arma induerit; eademque Italia tota, atque in Venetiarum urbe dissiparentur: illud se summa adseveratione, ac persancte affirmare posse, christianæ religionis observantissimum Joannem Regem esse; nihil illi christianæ reipublicæ felicitate optatius, nihil antiquius contingere posse: eam in commune bonum egregiam animi propensionem Senatui significare voluisse; pacem cum Maximiliano, modo æquis conditionibus confici possit, summopere exoptare: petere, rogare, ut a Republica pro concordia ineunda legati mittantur; idem Pontificem, Galliarumque Regem facturos sperare, quos eam ob causam adeundi a Rege in mandatis haberet: si res secus cessissent, invitum ad arma descensurum; cædium, cladium, eversionum, quæ siccis oculis cerni nequirent, penes alios culpam futuram: quod si in certaminis aleam veniendum sit, quinquaginta equitum millia in promptu habere; quadraginta millia Pannoniæ præfectum obtulisse; in eam expeditionem venturum sibi Suleimanum significasse. Verum prospicientem quot ex eo bello christianæ reipublicæ damna, & calamitates exoriri possent, vehementer commoveri, angi; homines, Deosque testari, invitum arma capturum. Harum rerum Senatum, cujus benevolentiæ, consiliisque confideret plurimum, certiorem facere voluisse; quidquid vel dignitatis, vel opum, vel imperii obtineret, ea omnia in ejus auctoritate, ac manibus collocare.* Provanio hunc in modum Senatusconsulto responsum: *Quod adeo illustri significatione Daciæ Princeps eximiam illius in Rempublicam benevolentiam, studiumque testatus esset, ingentes illi habere, atque agere gratias; paribus aliquando officiis repensurum; propensissimum illius in pacem animum commendare, & extollere summis laudibus. Verumtamen quod ad concordiam faciendam spectaret, cum Cernovicchius eam ob causam a Cæsare Byzantium missus propediem expectaretur; a nullo melius, quam ab eo, utpote qui de singulis edoctus esset, negotium pertractari, aut confici posse.* Senatus decreto audito Provanius, quæ

Senatus responsum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1565 Grumius antea petierat, denuo Joannis Regis nomine de patricia puella ſibi connubio jungenda poſtulavit. Re ad Senatum deducta, ut Provanio hunc in modum reſponderetur, latum. *Legibus Rempublicam conſtare, iis veluti nervis compactam, ac connexam teneri; inde mores, atque inſtituta fluxiſſe, quæ non abſque detrimento immutari queant; quin, uti maxime cuperet, Regis petitioni ſatisfaciat, ea eſſe impedimento.* Cum literis perhumaniter ad Regem ſcriptis Provanius diſceſſit, varioque eventu hoc anno in Pannoniæ finibus pugnatum; oppida modo capta, modo recepta, levioribuſque certaminibus plerumque res acta, Suleimano, ut moris Ottomanorum Regum eſt, una tantum expeditione ſuſcepta, belli nervos in Melitenſem oppugnationem intendente.

Licet vero in pace retinenda cunctorum Italorum Principum conſpirantibus animis, otii dulcedine, altaque tranquillitate hæc provincia perfrueretur; Senatus tamen rerum terreſtrium curam minime abjiciendam arbitratus, legatum ſumma cum auctoritate, atque imperio in continentem mittere decrevit. Creatus Aloyſius Mocenicus eques; injunctumque, ut urbes, oppida, arces, ditioneſque Reipublicæ inviſendo, iis rebus, quæ ad terreſtre imperium tuendum, firmandumque attinerent, ſedulo proſpiceret; atque in Carnos præſertim profectus, univerſa regione luſtrata, ſituque diligenter inſpecto, de munitione erigenda conſuleret, qua barbarorum impetus ſuperiori tempeſtate ingenti incolarum damno funeſti, ac calamitoſi cohiberentur, deque re ipſa ad Senatum referret. Vincentio quoque Mauroceno continentis Sapienti munus cataphractorum, levioriſque armaturæ equitum luſtrandorum delatum. Sub id tempus Maximilianus Cæſar ſorores duas, Barbaram unam natu majorem Alphonſo Ferrariæ; Joannam alteram minorem, Franciſco Coſmi Florentiæ Ducis filio, Principi connubio junxit; quæ, nobilium virorum, ac mulierum cœtu comitante, cum per Rhætos in Italiam deſcendiſſent, in Veronenſium finibus Senatus juſſu a Veronæ magiſtratu liberaliter exceptæ ſunt; iis hoſpicia exhibita, munera publico nomine delata. Bini e patricia juventute pro gratulationis munere obeundo legati delecti; Aloyſius Contarenus, Laurentius Priolus; quorum alter ad Alphonſum Ferrariam; alter ad

Aloyſius Mocenicus cum imp. legatus in cõtinenti.

Maximiliani Cæſaris filiæ Alphonſo Ferrariæ Duci, & Franciſco Florentiæ Principi nuptæ.

Aloyſius Contarenus, & Laurentius Priolus ad Ferrarienſem & Hetruſcum oratores deſignati.

ad Coſmum, ac Franciſcum Florentiam contenderet: qui non minus virtute, quam ſplendore in ſibi delato munere perficiendo decertarunt. 1565

Cardinales a Pio Pontifice electi.

Pius vero Pontifex, Romæ tribus ac viginti Cardinalibus creatis, inter quos Zacharias Delphinus, apud Maximilianum Nuntius; Aloyſius Piſanus, Patavinus Epiſcopus; Joannes Franciſcus Commendonus, Zacynthi Antiſtes, apud Sarmatas legatus, Veneti; Vercellarum quoque Epiſcopus, apud Rempublicam Nuntius; cum Melitenſes equites, oppugnante inſulam Suleimano, pecunia, ac milite juviſſet, atque ex ſoluta inſulæ obſidione publica lætitiæ ſigna, ſolemnibus ſupplicationibus indictis, dediſſet: tandem decembri menſe vehementi fluxione, aſſiduaque febri correptus, quam plerique e liberiore victus ratione contraxiſſe arbitrabantur, nocte, quæ quintum idus decembris eſt ſubſecuta, ſextum ac ſexageſimum ætatis annum agens, cum pontificatum fere ſex annis geſſiſſet, exceſſit. Pontifex omnium, qui noſtra tempeſtate fuere, Venetæ Reipublicæ amantiſſimus, quacum communicatis conſiliis, pacem in Italia aluit; catholicam religionem firmavit; pontificiam auctoritatem ſtabilivit; Concilium perfecit, quo Sacroſanctæ religionis dogmata, depulſis hæreſibus, ſancita, ac corroborata ſunt. Venetorum dignitatis augendæ ſtudium, compluribus, ac illuſtribus argumentis ad poſteritatis memoriam editis, teſtatus: cujus obitu civitas univerſa ſummo dolore correpta eſt.

Pii Pontif. obitus.

Eodem anno Alexander Bonus, Marini filius, Decemvirum decreto capitali ſupplicio eſt affectus; qui acre ingenium, rerumque maritimarum uſum, ac peritiam augendæ rei cupiditate, novo, atque inaudito ſcelere corrupit. Nam conjurationem in urbe agitari commentus, re uti ab alio accepta ad Patres delata, ingenti metu civitatem replevit; eſſe qui occulto arma compararent; ſocios facinoris, ædes, quæ ſe reciperent, habere; cunctaque adeo callide ad fallendum effinxerat, præfracto mendacio veri ſpecie impoſita, ut Comitiorum dies intermitterentur. Verum cum mora res extraherentur, initio cunctorum mentes ſuſpenſione detineri, fluctuare, inter dubium rei exitum hærere. Cum tandem Nicolaus Pontius, vir perſpicaci admodum ingenio, *Cur*, inquit, *mortalium men-*

Alexander Bonus capite damnatus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1565 *mentes diutius inani expectatione detinemus? Alexander comprehensus nos ab omni ambiguitate explicabit*. Itaque Decemvirum jussu Bonus in vincula conjicitur; interrogatus statim cuncta aperit; *Nulla re, nisi ut aliquam ex ærario pecuniam corrogaret, ad id comminiscendum adductum: nusquam de rebus hujusmodi a quopiam actum; non arma, non ædes, non socios; omnia ab se excogitata, atque inventa, quibus veluti præstigiis animis Patrum illuderet*. Alexandri facinus minime inultum relinquendum Decemviri censuere. Itaque summo mane in foro inter geminas columnas securi percussus est: posteriscque publica severitas non tantum in eos, qui in patriam conspirassent; verum etiam in illos, qui ejusmodi terriculamenta excogitassent, eo exemplo patefacta est.

M. D. LXVI.

1566 NOvemdialibus vero exequiis de more Pio persolutis, comitia pro successore deligendo habentur. Neque deerant viri pietate, virtute, rerumque usu insignes, qui ob egregia in christianam rempublicam merita summo honoris fastigio digni censerentur, inter quos Franciscus Pisanus, Ostiensis Episcopus, maximus inter purpuratos natu (*Decanum* vocant): Joannes Moronus, Episcopus Portuensis: Clemens Dolera, Monilianus, e Minorum fratrum familia, atque alii, qui licet summo studio ad supremam dignitatem contenderent, Venetis in primis, ut Pisano, civi de Republica optime merito, summus honos deferretur, adnitentibus; attamen repente, præter omnium expectationem, tamquam Divino afflatu attactis mentibus, communi consensu, septimo idus januarii, nono ac vigesimo interregni die, Alexandro Farnesio, & Carolo Borrhomeo auctoribus, ac ducibus, Michael Ghislerius Pontifex Maximus renunciatur. Quod si Romanorum Pontificum memoria repetatur, nullus fere humilioribus initiis, aut ab ambitione, quæ sæpius virtutis, ac sanctitatis opinione præstantes viros transversos agit, vacuus magis, atque immunis, eam dignitatem est adeptus. Nam Bosco, in perexiguo agri Alexandrini oppido, anno M. D. V. ortus, ex prisca, sed tenui Ghisleriorum familia originem duxit; Antoniique nomen, quod

Pii V. Pontificis electio.

quod eo die in lucem editus esset, est sortitus, patre Paulo, matre Dominica Augeria. Annum quintumdecimum agens, Prædicatorum familiæ adscriptus, Michaelis nomen assumpsit; atque illius sodalitatis gradibus fere omnibus emensis, Inquisitionis in munere administrando eam virtutis, ac constantiæ laudem est consequutus, ut a Paulo IV. primum Nepesinorum, ac Sutrinorum Episcopus factus; deinde Cardinalis, summusque Inquisitor crearetur: qui perenni moderatione, atque animi æquitate pacatus, nihilque tale cogitans, Divini Numinis aura ad pontificatum sublatus est. Pii V. nomen suscepit. Nuntio de illius electione Venetias perlato, quatuor officii causa ad eum legati a Senatu designati sunt, Nicolaus Pontius, Hieronymus Grimanus marcius Procurator, Marinus Caballius, Hieronymus Zanius, equestri singuli dignitate insigniti. Pontius, quod ejus in Tridentina Synodo dicendi libertate suboffensus Pii animus diceretur, ob idque minus in illum propensus esset, a legatione abstinuit. Inito vero pontificatu, Venetos summa benignitate complexus, egregiam in illos voluntatem per ordinarium Reipublicæ legatum, perque Archiepiscopum Hydruntinum, Apostolicæ Sedis Nuntium, Senatui significavit; religionisque negotia commendavit, in qua tuenda, atque augenda par Venetorum studium exititit. Cumque ex corrupto, ac prolapso Ecclesiasticorum vivendi genere pravos homines sacrosanctæ religionis instituta pervertendi, hæresesque inducendi animos sumpsisse Pius intelligeret, omnes curas, cogitationesque ad vitæ, morumque disciplinam restituendam contulit. 1566

Oratores Veneti ad Pium Pontificem.

Dumque totus Pontifex in iis esset, Suleimani victoriis, ac triumphis assuetus animus, ob infaustum Melitensis expeditionis eventum exæstuans, ingentesque superioris anni conatus inani eventu cessisse impatiens, magna adversus christianos Principes mente agitabat; nonnullis Melitam denuo aggressurum; aliis omnem belli impetum in Pannonias effusurum dicentibus. A Victore Bragadeno legato Byzantio literæ afferebantur; ingentes terra, marique apparatus a Suleimano fieri. Quibus permotus Senatus, ne classe Turcica ex Hellesponto emissa imparatus offenderetur, licet ei pax, & amicitia cum Suleimano intercederet, ut in Illyrico triremes octo, in

Turcarum bellici apparatus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1566 in Creta decem armarentur ſanxit. Interim Dalmatiæ, Iſtriæque litora piratis, latrociniis ac direptionibus infeſta reddentibus, Marcus Antonius Foſcarenus, trierarchus, juvenis impiger ac ſtrenuus, duas biremes inſecutus, medioque mari aggreſſus, incruenta pugna edita, prædonibus, milite, ac remige contrucidatis, depreſſit; ipſe, atque e ſuis complures, dum atrociſſime in hoſtes, deſperata ſalute, decertant, ſauciati ſunt.

Veneti claſſem augent. Marcus Antonius Foſcarenus duas triremes piratarum capit.

Turcica vero claſſis centum ac quadraginta circiter triremium numero ſub Pialis purpurati imperio ad Chium in Aegæo mari delata, inſulam, quæ jam inde a Græcorum Imperatorum temporibus, Genuenſibus obtemperans, creſcente in dies Ottomanorum potentia, ultro decem millia auri nummum tributi nomine quotannis pendebat, aggreditur; invadendæ cauſas prætexens, quod anno ſuperiore explorata Turcarum conſilia Melitenſium equitum Magiſtro incolæ ſignificaſſent, ac Chriſtianorum mancipiis e Byzantio perfugis receptis, eadem ad ſuos remitterent. Igitur Pialis in prætoriam inſulæ præfectum cum duodecim magiſtratum gerentibus adcerſitum, dum variis ſermonibus detinet, publicæ civitatis ædes cum arce a Turcis occupantur; chriſtiana templa diruta ſolo æquantur; Sancti Dominici fanum relictum Mahumetanis ſacris polluitur; præfecti, ac duodecim virum familiæ Byzantium tranſlatæ, inde in varias regiones deportantur. Turcicus magiſtratus, quem *Subaſſi* vocant, tribuitur: licet nonnullis poſtea annis elapſis, Gallorum Regis officiis umbram quandam publicæ adminiſtrationis, priſtinorumque judiciorum, provocatione tantum ad Turcicum judicem manente, impetrarint; quod eo facilius a barbaris conceſſum eſt, ne cunctis Chriſtianis incolis in alias terras commigrantibus, nudum, atque aridum ſolum in nullos ipſis uſus relinqueretur. Chio occupata, Pialis Aulonem, maritimæ Epiri oræ oppidum, petiit, atque in mare Adriaticum invectus, in Rhizonicum ſinum ad Aſcrivii fauces ſe contulit. Inde Epidamnum, vectigalem Ottomanorum urbem, delato, fama increbuit, ſeſe penitus Adriaticum in ſinum inferentem, Seniam urbem, ac Flumen oppidum, tutos Uſcochorum piratarum receptus, Auſtriacis Principibus parentes, aggreſſurum improviſo, atque inopinato.

Turcarum claſſis ſub Pialis imperio. Pialis Chiũ Genuenſium inſulam occupat.

Pia-

Pialis ad Aulonem appulſu commotus Senatus, ut inſolentis barbari conatus, ſi quos experiri in Reipublicæ ditionibus meditaretur, reprimeret, Adriaticumque ſinum, certam Venetorum poſſeſſionem, pro qua tutanda immanem auri vim una cum ſanguine civium majores profudiſſent, tueretur; quamcelerrime triremes triginta e navalibus deduci imperavit. His trierarchos rerum maritimarum uſu præſtantes, gubernatorum titulo præfecit; atque ut tribus ac quadraginta, quibus Antonius Canalis legatus præerat, in Illyrico adjungerentur, juſſit. Claſſis imperator Hieronymus Zannius, eques, majoribus comitiis renunciatus: collega Canali Philippus Bragadenus adjectus. Pialis Epidamno ſolvens in Illyricum navigans, uſque ad Lyſſam inſulam prope Pharum ſe intulit; ſtatimque ut triremes viginti ex urbana juventute armarentur latum, quindecimque dierum ſpatio triremes quinquaginta, viris armiſque inſtructæ, ex urbe eductæ ſunt; atque ad claſſem validiorem reddendam (quæ in univerſum roſtratarum navium nonagintatrium numero conſtabat) ex agreſti pube ſex hominum millium delectus haberi juſſum; ex quibus in ſingulas triremes armati quinquaginta diſtribuerentur. Imperator, de more publice vexillo accepto, ſtatim conſcendit, ac ne turbandæ, atque abrumpendæ pacis occaſio a Piali præriperetur, triremes, quæ ſub Antonii Canalis imperio in Illyrico erant, in Iſtriam revocantur. Zannius imperator urbanis litoribus in omnem occaſionem expeditus, cunctari jubetur, ut ex Turcicæ claſſis progreſſu certiora conſilia caperentur. Verum Pialis ex Lyſſa in Apuliam tranſgreſſus, Aterno in Brutiis oppido fruſtra oppugnato, Diomedeis inſulis inani conatu invaſis, e Calentinis, ac Calabris ingenti præda abacta, Adriatico ſinu cum claſſe egreſſus, recta Byzantium contendit. Ac nemo fuit, qui Venetorum apparatu Pialis everſa, ac perturbata conſilia non exiſtimaret. Neque enim cum prævalida barbarus claſſe ſe ſe in penitiora Adriatici ſinus intuliſſet, qui imparatis Venetis, aliquod mente facinus agitaret, quod incredibili maritimi apparatus celeritate depulſum eſt: præbanturque per omnium ora præpotentis maritimæ urbis opes, quod paucorum dierum ſpatio tot triremes tormentis bellicis, remige, milite ad pugnam inſtructæ, atque expeditas virorum maritima-

1566

Veneti 30. triremes ad Turcicos conatus reprimendos inſtruunt.

Hieronymus Zãnius claſſis imperator. Philippus Bragadenus claſſis legatus. Pialis cum claſſe in ſinum Hadriaticum ingreditur. Veneti alias 20. triremes ex urbe educunt. Pialis in Apuliam ſe confert, prædas abducit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1566 marum rerum uſu, atque experientia inſignium ductu, ex urbe deducere potuiſſet. Verum qui res Venetorum geſtas attente inſpexerint, facile intelligent, per tot ſæculorum ſucceſſiones a mari aſſuetis civibus tantum navalium apparatuum congeſtum fuiſſe, ut mirandum non videatur, validiſſimas adornatas claſſes; neque ullam (ut exteri quoque ſcriptores teſtantur) ſuſceptam a Chriſtianis adverſus barbaros expeditionem fuiſſe, cujus Veneti magna pars non fuerint: ut pro certo habeatur, Dominicum Michaelium, Venetiarum Ducem, navium ducentarum claſſe, Caliſto Secundo Pontifice Maximo rogante, Joppem, Judææ Phœnicum coloniam, quam antiquiorem terrarum illuvione Solinus teſtatur, petiviſſe, atque a Saracenis preſſam obſidione liberaſſe, Tyrum oppugnaſſe, ac perdomuiſſe, & ab Emanuele Conſtantinopolitano Imperatore, Latino nomini infenſo, ulterius progredi vetitum, in reditu Methonem, Rhodum, Chium, Samum, Andrum, & Mitylenem acerrimo hoſti eripuiſſe; quæ ab hac ætate anno fere quingenteſimo geſta fuere. Turcica vero claſſe in Helleſpontum verſa, Zannius imperator in patriam, Senatu jubente, reverſus, magiſtratu ſe abdicavit.

Hieronymus Zannius, claſſis imperator, in patriam redit.

Dum hæc mari geruntur, ancipiti fortuna in Pannonia dimicabatur. Turcæ Palotam oppidum oppugnant, atque tormentorum continuatis ictibus ita labefactant, ut, proſtratis, atque ad terram collapſis mœnibus, propugnatores extrema ſubire cogerentur, niſi Georgio Helfeſtaino, Jaurino cum nongentorum peditum ſubſidio ſuperveniente, hoſtes, majores copias adeſſe rati, trepidi fugæ, relicta obſidione & impedimentis, ſe commiſiſſent. Inde a Cæſareanis Veſprinium, ac Tata, ad unum fere omnibus contrucidatis, capta: hoſtes, caſtellis minus munitis incenſis, Strigoniam ſe recipiunt. Mox Jula a Portauno purpurato, junctis cum Baſſa Temeſvarienſi, Daci, Tartarorumque copiis, obſeſſa, ac præfecti proditione in hoſtium poteſtatem pervenit; propugnatores, atque incolæ, fracta fide, interempti.

Suleimanus cum exercitu in Pannoniam proficiſcitur.

Suleimanus interea, qui confectas ſenio vires corporis, ingenti animi magnitudine ſuperabat, cum ducentorum millium exercitu Byzantio in Pannoniam proficiſcitur; cumque Cæſarem, qui jam triginta equitum, peditum viginti millia coegerat, perlicere ad pugnam non poſſet, octavo idus auguſti ad Zigetum, munitiſſimum Pannoniæ oppidum, caſtra admovit; in quo adverſus immanes Suleimani conatus tuendo Nicolai Zerinii comitis egregia, ac ſingularis virtus, & fortitudo enituit, qui hoſtes a mœnibus ſæpe magnis illatis cladibus repulit. Sed multitudine Turcarum ſuperante, duobus millibus ac quingentis ex propugnatoribus cæſis, eos, qui ſupererant, dux acer, atque intrepidus, mortiſque periculo imperterritus, in irrumpentes hoſtes educit, atque acerrime pugnando, magna ſtrage edita, egregium conſtantiæ documentum cum omnibus ſuis cæſus dedit, triginta hoſtium millibus deſideratis. Septimo idus ſeptembris, cum triduo antea Suleimanus exceſſiſſet, Zigeto Turcæ potiuntur, Regis obitum Mehemete Baſſa tamdiu celante, donec ſucceſſor ejus Selymus, Suleimani filius, cui, patre defuncto, regnum obvenerat, ad exercitum in caſtra perveniſſet; prudenti aſtu, ne victoria interciperetur, cavens; ſimulque ne prætoriani milites (inſolens militiæ genus) tumultu excitato, tentoria, regiamque ſupellectilem diriperent; ſpoliiſque ditati amplius in officio contineri non poſſent; atque inde Cæſar optatam rei feliciter gerendæ occaſionem arriperet; cui, licet in proximo caſtra haberet, tanti Regis caſus ignotus fuit. Obiit Suleimanus ætatis anno ſeptuageſimo ſexto, cum ſex & quadraginta, menſes ſex Imperio Conſtantinopolitano præfuiſſet, continentibus victoriis, ac bellis tot annorum curriculum emenſus, quibus fere omnibus fortiſſimi Imperatoris laude celeber interfuit: animo ad gloriam, ac decus incitato, corpore vigiliarum, ac laborum patientiſſimo, ingenio acri, ac præter barbarorum morem, in humanitatem proclivi; licet conjugis amore definitus in Muſtapham, maximum natu filium, gavierit. Ingentem felicitatem infelix filiorum exitus haud parum immiuit, ex quibus maximus natu a patre interfectus; minimus ipſe ſibi manus intulit; Bajazetes autem ad acerrimos Ottomanorum hoſtes Perſas cum liberis profugus, in patrem converſis armis, tandem ejuſdem juſſu vitam amiſit. Venetis amicus turbulentis temporibus, bello Italico implicita Republica, pacem inviolatam ſervavit; annona frumentaria, tormentario pulvere juvit, ut bellum, quod anno M. D. XXXVII. exarſit, for-

1566 *Zigetum a Suleimano oppugnatū. Nicolai Zerinii comitis virtus in Zigeto propugnando.*

Suleimani obitus. Zigetum a Turcis captum. Selymus in Turcarum imperio Suleimano ſuccedit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1566 fortunæ potius, humaniſque caſibus, quam Suleimani Venetis nocendi ſtudio tribuendum videatur.

Suleimano Selymus filius quadrageſimum ſecundum annum agens in Imperio ſucceſſit. Is in Magneſia, Sultanorum principum provincia, de patris obitu certior factus, ſumma celeritate *Iſcodaram*, ſic enim Chryſopolim veterem Turcæ appellant, e regione Byzantii ſitam, pervenit; atque ab hortorum præfecto, quem *Buſtangem* Turcæ vocant, triremi, de more, exceptus, inſigni pompa urbem ingreſſus, fauſtis acclamationibus intra regalia ſepta deductus, in Ottomanorum ſolio conſedit. Poſtridie, cum ſe populo prodiens per urbem ſpectandum exhibuiſſet, paternis exequiis, ingenti animalium numero litato, celebratis, inde magnis itineribus Albam Græcam contendit. Ibi hyemis aſperitate aliquantiſper detentus, Portauno haud exiguis cum copiis in Pannoniam miſſo, cum veteris exercitus paucis, ac pene attritis reliquiis Byzantium regreditur. Senatus, qui patris obitum doleret, regnique ſucceſſione gratularetur, Marinum Caballium Equitem legatum miſit. Eo nondum digreſſo, Hibraymbejus e Sophia Triballorum oppido a Selymo legatus, ex Illyrico triremi Valareſſia devectus, ſupervenit; atque hoſpitio publico ad Judaicam exceptus, frequenti Senatorum comitatu Patres adiit; Selymique literis exhibitis, Suleimani obitum, illiuſque in avito Imperio ſucceſſionem ſignificavit; eandem, quæ patri cum Republica interceſſerat, amicitiam, confirmata pace, ſervaturum teſtatus. Hæc publice effatus, mox ſecretioribus colloquiis graviter de Uſchocorum injuriis, latrociniis, direptionibuſque Selymi nomine conqueritur: *Turcica navigia intercipi; eos, qui negotiorum cauſa ex ſuis regionibus in Venetas oras iter haberent, captivitate, ac morte affici: jam eo deventum, ut acrioribus remediis opus eſſet; in Venetis ad immaniſſimorum prædonum maritimos conatus coercendos priſtinum ardorem debilitatum, ac fere reſtinctum. Quid Ottomanorum Rex faceret? an inultas ſuorum injurias, an lædi quotidie ſuam exiſtimationem pateretur? Ni tot detrimentis obviam iretur, claſſe in Adriaticum ſinum immiſſa, communi hoſti arma illaturum, infame gentis nomen ſimul cum Senia, Bucaro, atque aliis, quo eis tutum perfugium foret, oppidis funditus exci-*

Marinus Caballius ad Selymum orator.

Hibraymbejus Selymi legatus ad Venetos.

Hibraimbejus de Uſchocorum injuriis cõqueritur.

exciſurum. His ab Hibraymbejo expoſitis, Senatuſconſulto Patres reſpondere: *Nihil, quod ad tutanda maria pertineat, a Venetis prætermitti; quotannis ingentem auri vim abſumi; triremibus, ac biremibus luſtrari maria; prædones pugnantes occidi, captos ſupremo ſupplicio plecti. Ceterum mirum non eſſe, ſi genus hominum agreſte, diſperſum, ferarum potius, quam hominum vitam agens, nonnunquam improviſo veluti e latibulis ſeſe proripiat, atque pugnantium vires ſubterfugiat. Maria negotiatoribus tuta eſſe, Reipublicæ non minus, quam Selymi intereſſe; ſi quis diligentiæ, ac virtutis ſtimulus addi poſſit, ut intentiore ſtudio in id præfecti, ac milites incumbant, Senatum curaturum*. Tum, ut moris eſt, egregie donatus Hibraymbejus diſceſſit. 1566 *Senatus reſponſum.*

Dum Pannoniæ Turcarum armis petitæ varie bellorum fluctibus jactarentur, nova incendii ſemina in Belgio exoriebantur, in ingens, atque atrox bellum tandem eruptura. Ejus namque mali, quo Gallia correpta fuerat, veluti contagione tacta, in eaſdem pauliſper tragœdias collabebatur; a populis libertatem in ſolutam licentiam verti; priſca religionis inſtituta contemni; nova induci; finitimorum exemplo, qui a Galliæ Regibus liberam vivendi rationem extorſerant, incendi: ut jam prope ſeditiones deliteſcentes erumperent. Inde ea bella exorta, quibus per duos ac quadraginta annos vario eventu provincia totius Europæ pulcherrima, rerumque omnium copia affluens, vexata, atque afflicta fuit. Hujuſce rei initia, ac progreſſus, quamvis aliena ab ea, quam Venetarum rerum conſcribimus, hiſtoria forte videri poſſint; attamen cum inde multa acciderint, quæ omnes Europæ Principes, atque Venetos quoque attigere; brevibus perſtringere haud ab re fore exiſtimavimus. Atque ut paulo altius exordiar, inter eos, qui ex Auſtriaca familia ad imperatoriam dignitatem ſunt evecti, ſatis conſtat, Federicum tertium, præter ceteros, illius dignitatem non minus virtutis ope, quam fortunæ incrementis auxiſſe; cum fratrum obitu, atque Uladislai Hungariæ Regis exceſſu, inter plures diſpertitæ provinciæ coaluere, atque ab unius imperio pendere cœpiſſent. Federico Maximilianus filius ſucceſſit, qui, Tyrolenſi, Sigismundo comite defuncto, reliquis ditione adjecta; Mariaque, Caroli Burgundionum Du-

Belgici belli initia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1566 cis unica filia, desponsata; dotali jure Burgundiam non modo, verum etiam Belgium, quod Amisio, atque Aa fluminibus continetur, obtinuit; in quo decem ac septem provinciæ adnumerantur: ducatus quatuor, nempe Brabantinus, Limburgensis, Lucemburgensis, ac Geldrensis: comitatus octo, scilicet Flandriæ, Artesiæ, Annoniæ, Olandiæ, Zelandiæ, Namurci, Zutphaniæ, cum Marchionatu sacri imperii: dominatus vero quinque, Frisiæ, Mechliniæ, Ultrajecti, Transysalaniæ, & Groeningæ. Adspirantem non minus felicitati, ac votis fortunam Philippus Maximiliani filius sensisset, nisi immatura morte præreptus foret. Nam Joannæ, Ferdinandi Aragonum, atque Isabellæ Castellæ Regum filiæ, connubio amplissima Hispaniarum, Neapolis, Siciliæ, Indiæque occidentalis regna Austriacæ familiæ contigere, cujus universa amplitudo in Carolum, ac Ferdinandum filios concessit. Ad Carolum uti majorem natu Hispania, Belgium, Burgundia, Neapolis, ac Siciliæ regna pervenere; qui Imperium adeptus, ea gessit, quorum pars breviter, ac strictim a nobis est comprehensa. Is gravissimis, ac difficillimis bellis gerendis distentus, Margaretæ Austriacæ amitæ, quæ antea Joanni Hispaniæ Principi, Ferdinandi atque Isabellæ filio, nupserat, Belgii administrationem detulit. Ea extincta, anno M. D. XXXI. Maria, Caroli soror ex Ludovico Pannoniæ Rege vidua, gubernacula suscepit, ac per quatuor & viginti annos tenuit; quo tempore Philippus Secundus Burgundico ducatu a Patre inauguratus, Emanueli Sabaudiæ Duci suis ditionibus a Gallo ejecto, earum regionum imperium detulit. Is, pace inter Henricum, ac Philippum inita, ademptis sibi ditionibus receptis, cum e Belgio abire decrevisset; Margaretæ, sorori nothæ, Octavii Farnesii conjugi, regendas Philippus Belgii provincias tradidit; quæ tunc Belgium summa cum auctoritate Regis vices gerendo administrabat. Apud illam (ea enim est regiminis forma) de iis, quæ ad reipublicæ statum, ad vectigalia, atque alia publica negotia spectant, concilia habebantur. Iis provinciarum præconsultores consulendo, ac decernendo intererant, ut in regia potestate species Reipublicæ quædam extaret; cum præcipue plura, eademque summi momenti eæ provinciæ privilegia obtinuissent, propriasque sibi leges adsciscerent, ac stata qua-

Philippi Regis soror Belgii præses.

1566 quadam ratione regerentur; quam si Principes immutare, vel quidpiam adversus earum privilegia, legesque efficere, aut moliri velint, se sacramento præstito solutos existimarent. Ita enim natura, atque usu formatæ gentes illæ sunt, ut æquis imperiis assuetæ, prægrave dominandi jugum pati nequeant; quæve libertate frui non possint, exiguam illius, ac tenuem umbram mordicus retineant; neque suis legibus, atque institutis adversum aliquid patiantur.

Cum igitur ea tempestate, ut diximus, e Galliæ propinquitate pestiferum virus ad Belgium emanasset, delitescerentque in multorum animis novæ, atquæ perversæ doctrinæ semina, quæ passim erumpendo ingens incendium editura viderentur; Philippus ad populos in catholica religione continendos quæstiones de religione, uti primum a Ferdinando Rege in Hispania institutæ fuerant, haberi in Belgio jussit. Id Belgæ tamquam illorum privilegiis adversum palam abnuere; liberum vivendi genus, quo hactenus usi fuerant, angustis, ac severioribus quibusdam veluti cancellis adstringi, ac coerceri ægre ferre: viri nobiles secum, quanam ratione ingruenti periculo obsistendum esset, consilia agitare; quorum illud amplectendum statuunt, ut Regi, illiusque vices sorori obeunti libellos supplices deferant, postulent, exorent, ut edicto de inquisitione inducenda silentium imponatur. Tertio nonas aprilis Brederodius; Ludovicus Nassovius comes, Arausionensis Principis frater; Bandebergius, & Collemburgius Comites, quingentorum nobilium numero stipati, Bruxellas conveniunt; Gubernatricem adeunt; scripto oblato, *se dicto semper Regi audientes, summa in illum fide fuisse; fortunas, opes, vitam ipso effusuros* testantur. *Id unum demisse petere, ac rogare, ne, Hispanica inquisitione inducta, vetusta eorum privilegia tollantur: unicuique de religione libere sentire permittatur: lex* Placardus *vocata, qua severe a Carolo V. in hæreseos reos infectos animadvertebatur, abrogaretur; pro eo trecentas florenorum myriades Regi soluturos.* Margareta, cum sibi iis de rebus decernendi facultatem non esse diceret, negotio in Hispaniam ad Philippum rejecto; interim ne religionis causa quisquam in judicium vocaretur, petentibus concessit. Verum nondum responso habito, in pleriisque locis tumultuari cœptum,

Philippi Regis decretum de inquisitione in Belgium inducenda.

Belgarum procerum ad Margaretam Austriacam deprecatio.

Belgii a Margareta Interim *obtinent.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1566 fœduſque palam eſt ictum, quo, fide, atque obſequio in Philippum Regem teſtato, quidpiam ſuis privilegiis adverſum meditanti, parere minime teneri decernebatur; ac ſi quis ea infringere, aut abrogare niteretur, conjunctos obviam ituros. Inde militum delectus per provincias haberi cœptus, pecuniæ comparari, de fœderis imperatore externo deligendo conſuli. Fœderati *Geuſiorum* nomen, quod latine redditum, ſtipem petentes ſignificat, ſumpſere. Cum enim ſupplicem libellum Gubernatrici detuliſſent, quemdam aurei velleris Equitem ad illam converſum dixiſſe fertur: *Non eſt quod quidquam verearis; Geuſii enim iſti ſunt*. Inde illos arrepta occaſione, *Geuſios* ſe nuncupaſſe; mox Bruxellis publico in convivio quemdam ex fœderatorum primoribus, e vaſculo ligneo, ſtipem petentium more, vino hauſto, *Vivant Geuſii*, inclamaſſe. Inde ſubcinericii coloris aſſumptis veſtibus, ligneiſque vaſculis ad latus appenſis, mendicorum effigiem expreſſere; atque ut ſuam in Regem fidem externo aliquo ſymbolo ſignificarent, nummiſma e collo ſuſpenſum geſtare cœperunt, una ex parte Regis effigiem referens, altera binas ſe invicem complectentes manus, quibus ſuppoſita mantica ſuſtinebatur; utrinque inſculptis Gallico ſermone verbis: *Fidelis Regi uſque ad manticam*. Hæc initia Belgicorum tumultuum fuere, quæ brevi poſtea in ſæviſſima bella exarſere. Philippus ad coercendos pervicacium impetus, Albanum Ducem cum exercitu in Belgium miſit, qui, tantum abfuit, ut labantes res ſiſteret, nutanteſque firmaret, ut potius majori pabulo ſubnixum incendium latius ſeſe extulerit, detrectanteſque Belgarum animi, ſociorum Principum vel religionis cauſa, vel odio in Hiſpanos, armis atque auxiliis adjuti, potentiam, ac vires Philippi Regis per tot annos exercuerint, & longiſſimæ ætatis citius, quam Belgicorum tumultuum finem inſpexerint.

Geuſii *in Belgis unde dicti.*

Albanus Dux cum exercitu in Belgium miſſus.

Sed ut eo redeat, unde digreſſa eſt oratio; aſſiduis Turcarum in Pannoniam impreſſionibus incitati Patres, frequentiora de Carnorum ditionibus muniendis conſilia habebant, cum per eas regiones ſuperioribus ſæculis barbaros ſibi ad Italiam invadendam aditum aperuiſſe, colluvioneque efferatarum gentium ea loca inundaſſe intelligerent, avorumque, ac patrum ætate incurſus a Turcis factos memorarent, quibus provinciam incendiis, direptionibus, captivitatibus, miſerrime,

me, ac fœde vaſtaverant. Itaque, Sfortia Pallavicino, ſummo militæ præfecto, aliiſque armorum ductoribus, quorum inſignis bello virtus enituiſſet, in conſilium adhibitis, de Utino, celebri ac præcipuo Forijulii oppido, muniendo actum. Sed antequam manus operi admoverentur, tres Senatorii ordinis ad ſitum loci inſpiciendum mittere placuit. Lecti Thomas Contarenus, Melchior Michaelius, Aloyſius Mocenicus, Marcii Procuratores, injunctumque, ut Utini formam, ſolum, ſitum, quibus e locis aqua, ligna, aliaque ad munitionem erigendam, ac tuendam adjumenta ſuppeterent, ſolerter inſpicerent, atque ad Senatum referrent; ut quid Reipublicæ, imperiique Veneti ditionibus expediret, conſultius, ac maturius decerneretur, ne immenſa in ingenti opere perficiendo vis auri, irrito conatu, inſumeretur. Ceterum nullis bellis implicita Veneta Republica, tranquillitate, & otio florente civitate publicis ædificiis, ac ſubſtructionibus ad eam exornandam Patres converſi, binas hoc anno ex pario marmore ingentes ſtatuas ſummis in ſcalarum gradibus, qua palatium aditur, erigendas curavere; alteram Martis; Neptuni alteram, Jacobi Sanſovini Hetruſci admirabili opere exſculptas, quibus bellicæ, præſertim maritimæ Reipublicæ vires repræſentantur. Sub id tempus Zilia Dandula, Laurentii Prioli olim Principis uxor, matrona lectiſſima, exceſſit e vita: exequiæ Principum more concelebratæ a Principe, ac Senatu; ſacerdotum ex univerſa civitate cœtu comitante, ad Gemellorum ædem pompa funebri deducta eſt, a templi divo Fantino dicati antiſtite laudatione habita. 1566

Venetorum conſilium de Utino muniendo.

Statuæ in ſummis ſcalarum gradibus palatii Veneti erectæ. Ziliæ Dandulæ, Prioli Ducis uxoris, obitus.

M. D. LXVII.

SEquens annus, qui fuit humanæ reparationis M. D. LXVII. variis belli Turcici ſuſpicionibus Rempublicam exercuit. Ejus namque initio alter a Selymo legatus Venetias advenit; qui cum more gentis elate admodum, ac ſuperbe multa de Zigetana expeditione, ac victoria enunciaſſet, Suleimani defuncti regis militaria geſta extulſſet, de potentia, ac viribus Ottomanorum Principum cum plura eſſet proloquutus, adjecit; *Selymum Alphonſi Ferrarienſis, qui opem Maximiliano* 1567

Selymus alterum legatum Venetias mittit, & ejus querelæ.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1567 *acerrimo illius hosti attulisset, injurias nequaquam inultas pati, sed armis vindicare statuisse; proinde petere, an Respublica, uti finitima, Principi opem esset allatura.* Tum de Uschocorum gente verba faciens, graviter damna, cladesque Turcis illatas exaggeravit; *ni tot incommodis obviam iretur, Selymum classem, a qua debitæ de sceleratis prædonibus, humanique generis osoribus pœnæ sumerentur, in Adriaticum sinum missurum. Maria Venetæ ditionis esse; quid agerent, accurate inspicerent; caloris vi sicca non modo, verum etiam quæ in propinquo humida essent, absumi.* Mox *pacis conditiones minime servari a Venetis* conqueritur, *quibus cavetur, ut si qui piratarum conflata pugna superessent, Byzantium supplicio afficiendi transmitterentur*, Senatusconsulto legato Patres respondent: *Nulla unquam in re amicitiæ jura, quæ Venetis cum Ottomanis Regibus intercederent, læsa esse; quidquid pacis legibus contineretur, persancte, atque inviolate observari; nihil, quod ad piratarum insolentiam reprimendam attineat, prætermitti; absque discrimine in prædones, uti omnibus infensos, animadverti. Quod ad Ferrariensem spectaret, Principem juris sui esse, Maximiliano Imperatori affinitate junctum; officio impulsum, ut suppetias cognato afferret, bello Pannonico interfuisse.* His haud obscure jam tum parum propensus, immo aperte infensus Selymi animus esse intelligebatur; cum præsertim a Jacobo Superantio Byzantio literæ perferrentur, palam de Cypro invadenda sermones circumferri, Selymumque dum, vivente patre, Amasianam præfecturam gereret, sæpius jactare assuetum; *quamprimum regni gubernacula suscepisset, Cypriam expeditionem moliturum.* Quamvis eodem ferme tempore Marinus Caballius legatus cum Byzantium perveniisset, perhonorifice supra morem quoque exceptus, atque ad Regem introductus, pacem eisdem, quibus cum Suleimano pacta fuerat, conditionibus sanxisset.

Senatus responsum.

Jacobi Superantii literæ de Turcarum rumoribus Cypri invadendæ.

Marinus Caballius. pacem cum Suleimano confirmat.

Verum Senatus minime barbaro Regi fidendum ratus, pervigili cura, ac solicitudine ad maritimas res procurandas conversus, oppida validioribus munitionibus firmare; præsidia militum augere; clari nominis duces in Illyricum, Epirum, Cretam, Cyprumque mittere statuit. Philippo Bragadeno, qui classis legati munere perfunctus fuerat, Marcus Quirinus, vir

Marcus Quirinus classis legatus.

1567 vir a prima juventa maritimis studiis innutritus, impiger, neque unquam fatigando lassus, unde *Stentæ* cognomen est adeptus, sufficitur. Petrus Haimus biremium præfectus creatur, statimque in Illyricum ad reprimendos Uschocorum ausus, contendere jubetur; injunctumque, ut eos terra, marique acerrime insequeretur; si quis ex eorum ductoribus in illius potestatem venisset, capitis pœna plecteretur; reliquos ad triremium transtra annos duodecim ablegaret: eos, qui hospitio excepissent, favissent, consilio, aut opere juvissent, severe pœnis coerceret. Franciscus Barbarus cum summo imperio in Cyprum legatus designatur; Julio Saorniano, qui tunc Corcyræ erat, in Cyprum proficisci jusso, centum pedites, decemque honorarii milites, ac totius militiæ præfectura tributa; atque uti in muniendis urbibus excellenti disciplina, ac peritia viro, insulæ validius firmandæ, Tamassi, ac Leucossiæ præsertim, cura est demandata. Cum eadem auctoritate Paulus Ursinus Corcyram; Hieronymus Martinengius in Cretam mittuntur: Sfortia Pallavicinus in Illyricum, ad Jaderam provinciæ caput muniendam ire jubetur.

Petrus Haimus biremium præfectus.

Franciscus Barbarus legatus cum imperio in Cyprum designatur.

Julio Saorniano militum præfectura in Cypro tributa.

Paulus Ursinus Corcyram, Hieronymus Martinengius Cretã, Pallavicinus in Illyricum mittuntur.

Datæ a Senatu ad Cypri magistratus literæ, quibus incolæ ad patrias sedes alacri animo pecunia, viribus tutandas incitabantur. In universa vero non modo Cypria nobilitate, verum etiam in cunctis ordinibus & plebe is animorum ardor, eaque alacritas extitit, ut certatim pecunias, operas, atque quidquid in ipsis esset, ad institutas munitiones perficiendas conferrent. Philippus Mocenicus Archiepiscopus omnes opes, fortunasque pro patria devovit; Leucossiæ civitas aureorum nummum sexaginta millia spopondit; Rochasius Comes decem aureorum millia; totidem Tripolitanus obtulere. Sed egregium animum Antonius Davila, magnus equitum magister, ostendit. Is Petri Davilæ nepos erat, qui post obitum Jacobi Regis cum armorum præfecturam gereret, eximia fide, atque constantia rebellium arma, & Aragonensium factionem e regno exterminaverat, pacataque insula, Venetæ Reipublicæ vexillum, cui Catharina Cornelia, Regis vidua, summum imperium deferebat, primus erexerat. Antonius igitur avitæ virtutis memor, non modo aureorum obtulit decem millia, eodemque die, quo obtulerat, exacte dependit, sed

Cypriorum procerum liberalitas ad novas munitiones erigendas.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1567 hærentibus deinde ex annonæ caritate munitionibus, magnam hordei, atque frumenti vim e propriis horreis afferri juſſit, operariiſque languentibus diſpertiri. Nec id ſatis eſſe duxit; ſed cum pecuniæ ad inſtitutum opus deficerent, argenti facti, atque cælati quidquid habebat, quodque Venetias in uſum propriæ familiæ ſecum ferre decreverat, e navi, quo jam exportatum erat, efferri curavit, præſidibuſque animo laborantibus obtulit: eo tanquam pignore ad inveniendam mutuam a nummellariis pecuniam uterentur. Quod ubi præſidum literis Senatus accepit, ut Antonio gratiæ honorificentiſſimis verbis agerentur, Patres decreverunt; ſtatimque quinquaginta aureorum millia ad munitiones perficiendas in Cyprum deferri juſſerunt.

Julius Saornianus in Cyprum delatus, ſtatim locorum ſitu inſpecto, magiſtratus in conſilium adhibuit. Re diu, multumque perpenſa, nihil ad regnum tuendum, atque ad quoſvis hoſtium impetus repellendos opportunius viſum eſt, quam ſi Leucoſſia, in media fere inſula ſita, muniretur, unde veluti ex corde ad alias inſulæ partes ſpiritus emanaret; ſolum ejuſmodi naturæ eſſe, ut quamcelerrime aggeſta humo munitio erigi poſſet, quæ brevi compacta adeo, ac firma eſſet evaſura, ut ad tormentorum muralium ictus excipiendos firmiſſima, immobiliſque perſiſteret: inde parvo temporis ſpatio, neque magno ſumptu perfici opus poſſe, ſecus ac in Tamaſſo accidiſſet, in cujus unico tantum propugnaculo extruendo centum ac viginti aureorum millia expenſa forent. Communi igitur conſilio, quod fauſtum felixque eſſet, munitionem erigi decretum, quæ undecim propugnaculis (*baluardis* Gallice vocatis, nomine a pulchra cuſtodia deſumpto) conſtaret; ejuſque decreti extemplo Senatus certior eſt factus: incredibile vero Cypriorum ſtudium adeo in eo opere incipiendo, ac perficiendo exarſit, ut brevi exortum potius, quam factum fuiſſe videretur.

At Byzantii poſt pacis conditiones inter Selymum, ac Venetos ictas, cum Marinus Caballius legatione perfunctus, reditum in patriam pararet, atque in diſceſſu de more ad Baſſam Viſirum inviſendum una cum Jacobo Superantio acceſſiſſet, nonnullos in ejus cubiculo Judæos invenit, qui a-

lu-

luminis merces, quas Venetias detulerant, ſibi reſtitui, vel tantumdem pecuniæ a legatis Senatus nomine polliceri flagitabant, quæ Ottomanorum fiſco ex aluminis vectigali publice Byzantii ſub haſta conducto ab iis debebatur: qua ex re cum vehementer Baſſa excandeſceret, ac ni ſatis Judæis legati facerent, gravia minaretur, eos ad judicem Turcicum, quem *Cadi* vocant, ut jure apud eum agerent, perduci juſſit. Legati rei novitate commoti, Baſſam multis dictis a ſententia avertere conantur: cum nihil ſuadendo proficerent, inſolens barbarus eos in judicium invitos trahi jubet; vis infertur, ingentique plebis furore a Zauſiorum præfecto ad judicem ducebantur, illis fruſtra poſtulantibus, ut Galatam Judæi, de negotio ſecum acturi, ſe conferrent. Tandem, ne ad judicem raperentur, in Hibraimi interpretis ædes (*Dragomanum* Turcæ vocant) duci ſe permittunt; nullum officii genus, ut ratio illis ſatisfaciendi inveniatur prætermiſſuros pollicentur. At jam nonnihil de animi pervicacia remiſſo, Judæi acquieverant, cum Baſſa indignabundus, ſcripto Bailum ſe obſtringi imperat, niſi, legato Venetias reverſo, publico nomine Judæis quidquid petierant, perſolveretur, coram Turcico judice adfuturum, quæ ea in re ſtatuiſſet, præſtaturum. Itaque coacti legati ſchedulæ (quod *cogetum* Turcica lingua nuncupatur) cum nullus obſiſtendi locus eſſet, ſubſcribunt. 1567

Veneti legati in judicium a Turcis Hebræorum mercatorum cauſa vocati.

De iis, quæ acciderant, Senatus certior factus, vehementer eſt commotus, quod barbare adeo cum legatis actum eſſet, ac, quod nullo pacto ferendum videbatur, vi adhibita, ſyngraphæ ſubſcribere peſſimo in poſterum exemplo, atque publicis negotiis pernicioſo compulſi eſſent. Ut igitur per vim facta reſcinderentur, neque poſthac quidpiam ejuſmodi contingeret, Byzantium legatum mittere Senatus decrevit; munus Hieronymo Zannio, inſigni civi, ac præcipuis domi ac foris magiſtratibus geſtis claro, defertur. Verum Caballio legato Byzantio digreſſo, Superantius enixe adeo operam omnem, ac ſtudium ad ſcriptum reſcindendum contulit, ut tandem illud Baſſa deleri, ac ſcindi adſenſus ſit. Ea re cognita, Zannius, qui jam diſceſſerat, atque ad Pharum, Illyrici inſulam, pervenerat, in patriam eſt revocatus. Baſſa Cubatem e Zauſio-

Hieronymus Zannius ad Selymum orator eligitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1567 siorum ordine Venetias misit, qui pecuniam, ac mercimonia a Judæorum debitoribus exigeret ; negotii rite perficiendi solicitudo Aloysio Grimano a Patribus demandata est. His perfectis, Cubates digreditur. Sed cum ex Judæorum interceptis literis haud levis suspicio de negotio perperam Byzantii a Caballio administrato Patrum animis irrepsisset, atque adversus illum Joannes Donatus vehementi oratione in Senatu usus esset, latum est, uti ab Antonio Canali, classis legato, e Cytera insula Venetias delatus, publicæ custodiæ traditus, atque a rerum capitalium Triumviris quæstione habita, in Senatu causam diceret. Ab Antonio Valerio Triumviro duplici crimine est accusatus : eo scilicet auctore *cogetum* fuisse confectum, atque pretio illectum Judæis faviſſe ; inde Reipublicæ haud parum detrimenti accidisse. Caballius, nullis patronis adhibitis, suam in Senatu causam egit ; singularique eloquentia, atque eximia dicendi vi, quæ illi objiciebantur, dilutis, candore anteactæ vitæ innixus, adeo judicum animos flexit, ut vi veritatis permoti, gravissimi, atque egregii Senatoris casum illachrymarent, cunctisque fere Senatus suffragiis absolutus, pristinam dignitatem, gloriæ incremento ampliorem factam, retinuit.

Marinus Caballius ex Byzantina legatione reversus in custodiam traditur.

Caballius propriam causam in Senatu agit absolvitur.

Selymus ex Pannonia digrediens Joanni Sigismundo bellum adversus Maximilianum prosequenti cum Turcarum Mœsiæ, ac Scythiæ, quæ supererant, copiis Portavum Bassam præsto esse jusserat : quibus nixus Dacus Tocajum, summi momenti oppidum, Tibisco & Bogrodo amnibus vallatum, superiore anno a Suendio captum, aggreditur ; tormentis muralibus magna vi munitionem quatit. Suendius ad opem Jacobo Ramingero, cujus fidei Tocajum commiserat, ferendam contendit. Maximilianus Henricum Staupicium cum Germanorum militum equitatu, peditum vexillis aliquot, pecunia, ac commeatu eodem progredi jubet. Interim decem Scytharum millia una cum Turcis, ac Mœsis, qui ad tutandas Daci res a Selymo relicti fuerant, seditione concitata, agros vastare ; in cunctos mortales citra discrimen sævire nunciatur. Ea res solvendæ obsidionis Sigismundo causa fuit. Ramingerus in discedentes irruens, complures cædit ; reliqui palantes, ac trepidi fuga saluti consulunt. Dacus, militiæ in-

infaustæ multis contrucidatis, Varadini obsidetur ; inde dilapsus, recenti suorum coacta manu, stragem majori conatu renovat ; reliquiæ in Podoliam, & Rusciam effusæ a Rusciæ Palatino conficiuntur. Zatuarum deinde, ac Muncazium oppida Suendius obsessa, deditione recipit, Hustium vallo circumcingit. Selymus ea de re certior factus Græciæ præfectum validis copiis, ut cum Portavo conjunctus, bellum administret, in Pannoniam proficisci jubet. Interim Verantius Agriensis Episcopus, ac Christophorus Tisembachius legati, qui de pace cum Selymo agerent, a Cæsare Byzantium mittuntur ; quæ tandem anni sequentis initio ea lege est confecta, uti quæ quisque eo bello ceperat, retineret, Daciæ quoque Principe comprehenso : octavo quoque anno induciarum (hoc enim paci prætendi nomen magis Cæsari convenire visum) jura renovarentur. Selymus vero a patris consiliis abhorrens, initia sui imperii non ab armis, ut plerique Ottomanorum Principes consueverant, auspicatus ; sed iis, quæ ingenti copia ad voluptates, ac delicias in Byzantii regia affluunt, irretitus, nullum majorum virtutis specimen editurus videbatur ; non militari disciplina corpus, atque animum exercere ; non victus parsimonia ad perferendos labores assuescere ; domi inter septa, mulieribus stipatus, vitam ducere ; vino lege Turcis vetito indulgere. Inde terror ille, quem patris arma sæpius christianis Principibus incusserant, elanguescere, atque ex ingenti superioris anni apparatu in singulorum animis exorta solicitudo depelli ; ut iis curis soluti ad intestina dissidia tollenda, vel compescenda Reges vehementius converterentur.

1567

Maximilianus legatos de pace Byzantium mittit.

Pax inter Cæsarem & Turcas.

Nam Philippus, eorum neglecta sententia, qui mitius cum Belgis agendum existimabant, cum magnis tum equestribus, tum pedestribus copiis Albanum Ducem in Belgium misit ; qui ex Hispaniis in Italiam delatus, ac per Insubres, Allobroges, Sequanos, & Leucos in Belgium profectus, in præcipuis quibusque urbibus præsidiis dispositis, magno universos terrore perculit ; repente præter omnium expectationem Hornio, atque Egmondano magni inter Belgas nominis, atque auctoritatis comprehensis, ac custodiæ traditis ; qua ex re complures ad fœderatos accessere, durissimaque Albani imperia perosi,

Hornius & Egmondanus Princeps ab Albano Duce in custodiâ traduntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1567 si, penitus ad libertatem erecti bellum aperte, undique auxiliis accitis, moliri cœpere.

Condæi & aliorum Gallorum precerum adversus Regem consilia.

Finitimæ vero provinciæ ægritudine rursus consopita, Gallorum adversa paci studia erupere. Cum enim Condæus, & Gaspar Collinius maris præfectus Carolum ad Albani Ducis iter impediendum, armaque in Hispanos movenda frustra fuissent cohortati, veriti, ne finitimorum exemplo severioribus legibus coercerentur, occulta serere consilia, ac de Regis imperio penitus excutiendo agitare incipiunt: suæ factionis homines solicitant; quammaximas copias parant; diem edicunt, qua ipsi, & Rupifulcaudius, Andelotius, atque alii Rozeum conveniant, inde improviso Meldas oppidum, ubi Rex una cum matre commorabatur, adorituri. Inopinato nuntio perculsa Regina, concilium vocat: ex Nemorosii Principis sententia, ut Lutetiam, quæ viginti tantum passuum millibus a Meldis distat, Carolus statim se se recipiat, decernitur; qui octingentorum circiter Gallorum equitatu, ac sex Helvetiorum millium peditatu septus, digressus, vix quatuor passuum millia confecerat, cum repente Condæus trecentis equitibus comitantibus obvius adest. Helvetii alacres ad pugnam se expediunt, Condæanis gradum sensim referentibus, leviori certamine pugnatur. Carolus cum matre, atque imbelli comitatu per devias semitas urbem ingreditur. Helvetii, minime intermisso itinere, hostium conatu repulso, atque eluso, ordinata acie subsequuntur. Fœderati ad Clayam oppidum conveniunt. Commeatuum inopia premere Lutetiam statuunt; annonam ex propinquis oppidis importare in urbem prohibent. Molas trusatiles incendunt; itinera, quibus ex Morinis, ac Neustriis subvehi victus poterat, infesta reddunt; Ligeri trajecto, ad Divi Dionysii oppidum castra ponunt; Clarantonem pontem occupant. Carolus extemplo totius regni præfectis imperat, quantas copias possint, ad suppetias sibi ferendas comparent.

Carolus Rex Lutetiam se recipit.

Gallorum fœderatorũ consilia de Lutetia obsidenda.

Eodem tempore Hospitalium cancellarium, Viglevillium, ac Morvillerium ad fœderatos conquestum mittit: *Se inscio milites coegisse, insueto exemplo ad arma iviſſe: qui nullius imperiis subessent, eos, ni prius causas exposuissent, arma capere nunquam solitos; eo minus id subditis adversus Principem,*

cipem, penes quem summum in illos jus esset, licere. Ad 1567
hæc fœderati, *acerrimos illorum hostes a Regis latere non discedere*, queruntur; *quæ adversus ipsos consilia inita sint, haud ignorare se*: affirmant, petunt, *ut externæ copiæ dimittantur; injuriis, quæ a Guisiis quotidie illis inferrentur, obsistatur; eorum religionis libere exercendæ facultas detur; e singulorum virtute, atque in rempublicam meritis dignitates tribuantur; gravioribus, atque iniquis tributis plebs levetur; totius regni ordinum conventus celebrentur.* Postulatis Rex haud quaquam respondendum ratus, fecialem armatum ad eos mittit, qui obtestetur; *cum ad Regem imperii administratio, delectus militum, pecunias imperare spectet; cumque Condæus cum suis ea, quæ cunctis innotuerant, egisset; coram Rege exarmati, atque obtemperaturi se sisterent, an quæ egerint tueri, atque cœptis insistere velint, declaraturi.* Eo audito, ad unum illud, quo absoluta religionis libertas petebatur, conversi, cum Equitum Magistro in colloquium descendunt; quo Regem binas in suo regno religiones nunquam permissurum; quidquid edicto caveretur, pro tempore statutum; ut perpetuum foret, nunquam se quoque auctore concessurum, constanter affirmant: omnis concordiæ ratio abrumpitur.

Gallorum fœderatorũ petitiones.

Carolus Rex fœderatis obtestatur.

Fœderati Aurelianum capiunt, Lutetiam ad summam rerum egestatem adigunt. Regis præfecti Humallius, Longavillius, atque alii, Bufenalium quingentis equitibus, tribus peditum millibus adoriuntur, magno impetu tormentis quassatum deditione recipiunt. Eo capto, nullo negotio propinquis oppidis in potestatem redactis, laxari annonæ cœpit. Carolus interim majori solicitudine milites cogit; vim argenti undique in belli sumptus parat; reliquorum Principum auxilia implorat. Annibalem Rucellajum Venetias ad Senatum mittit, qui cum Arnoldo Ferrerio, ordinario legato, ad Principem Patresque introductus, quæ gravia atque acerba Galliæ denuo contigissent, expositis, ut pecunia Regi subveniretur, efflagitavit. Verum ejusmodi erat eo anno rerum conditio, ut crebris de bello a Selymo adversus Venetos suscipiendo sparsis rumoribus, ingentem auri vim in maritimis rebus procurandis effundere Senatus coactus esset. Quapropter uti an-

Aurelianũ ab Ugonotis captum.

Bufenalium a regiis captum.

Annibal Rucellajus a Carolo Venetias missus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1567 antea fecerat, ac maxime optabat, amico Regi opem ferre nequivit.

Prælium inter Regios & foederatos.

Ceterum in Gallia, lata planitie, inter Lutetiam, ac Sandionysium sita, acie decertatur. In fœderatorum exercitu mille ac quingentos equites, pedites mille ac ducentos tantum fuisse ferebatur, Andelotio cum peditatus flore, ac magna equitatus parte ad Posiacum digresso; regium ex trium millium equitatu, octoginta peditum vexillis, sex Helvetiorum millibus, ex quibus decem & octo millium summa conficeretur, constitisse. Fœderati initio acriter adeo certamen inierant, ut ab illis victoria stare videretur. Verum Momorantius ingenti ardore in hostes se se inferens, disjecto peditatu, haud dubiam victoriam reportavit. Sed eo inter dimicandum vulnerato, atque eodem tempore Condæo ex æquo prolapso, dum hinc atque inde ad opem ducibus ferendam accurritur, nox prælium diremit. Regii campo potiuntur, interfecti, ac saucii ad trecentos ex iis fuere; ex fœderatis duces quinquaginta, trecenti equites, pedites permulti. Postridie Andelotio cum reliquis copiis superveniente, ad pugnam fœderati regios elicere nituntur; qui Momorantii obitu, ac, ne in perampla civitate tumultus suboriretur, metu, intra Lutetiam se continent. Inde viribus aucti, Sandionysio, vicinisque oppidis relictis, in Lotharingiam ad Germanorum subsidia, quæ a Casimiro submittebantur, excipienda fœderati proficiscuntur. Ad ea impedienda, atque ad Joannis Gulielmi Saxonum Ducis, Badensisque Marchionis trium peditum millium subsidia recipienda, Humallium eodem contendere Carolus præcipit; Lansacium ad Rhenanum Palatinum, aliosque Germanos Principes mittit, qui pro antiquo amicitiæ cum Gallis jure petat, ne illus perduelles juvare pecunia, aut milite velint. Momorantii loco Henrico fratri, Andegavensium Duci, copiarum imperium defert: summi nominis duces præconsultores adolescenti adjungit. Is statim Lutetia discedens, Arimbergio Comiti, qui cum mille ac ducentis equitibus, duobus peditum millibus, ex fœdere cum Philippo Rege a Carolo inito, in Galliam adversus Protestantes ab Albano mittebatur, obviam contendit.

Annæ Momorantii obitus.

Henrico Andegavensi Duci copiarum regiarum imperium defertur.

Dum inter belli vehementiores apparatus, externarum copiarum curas, quæ a regiis ex Belgio, a fœderatis ex Germania accersebantur, atque concordiæ tractationes annus extraheretur, Cæsar, induciis cum Selymo pactis, belli Turcici curis expeditus, Germaniæ res in meliorem statum redigere nititur. Carolus Archidux Austriæ, ejus frater, ad Stiriam, Carinthiam, Carniolam, quæque illi Italiæ proximæ ditiones obvenerant, invisendas profectus, cum ad loca Forojulio, atque Istriæ proxima perveniisset; Hieronymus Lippomanus, Joannis filius, officii causa legatus ad eum mittitur, ut in finitimam Reipublicæ provinciam accessum gratuletur. Qui Carolum Goritiam conveniens, mandatum sibi a Senatu legationis munus obivit. Multa vero de Uschocorum gente conquestus, qui Senia, Bucaro, Flumine, atque aliis sibi subjectis oppidis excepti, prædas conveherent, maria infesta redderent, in omnis generis mortales sævirent; petiit, ut tot flagitia non inulta passus, efferam gentem in alias terras amandaret, aut debitis, eisdemque gravissimis pœnis coerceret. Ad finium quoque controversias definiendas Senatus nomine Carolum est adhortatus; ut dissidiorum amputatis causis, firmior in dies inter illum, ac Rempublicam amicitia coalesceret. Carolus perditos, ac sceleratos homines odisse, deque iis dignas pœnas sumpturum pollicitus, seque ad finium contentiones tollendas paratum esse testatus, legatum, quem perhonorifice susceperat, dimisit.

Hieronymus Lippomanus ad Carolum Austriacum orator mittitur.

Inter hæc, in eo præcipue summo studio Patribus nitentibus, ut quæ ad maritimum imperium attinerent, sedulo curarentur, Hieronymus Priolus Princeps, octogesimumprimum ætatis annum agens, repentino comitiali morbo correptus, cum annos octo Reipublicæ præfuisset, ex humanis excessit. Exequiis solemni pompa, ut moris est, habitis in Germanorum æde a Joanne Baptista Grito, Aloysii filio, laudatus est. Uno ac quadraginta viris, ad quos novi Ducis creandi electio pertinet, majoribus comitiis renuntiatis, majus, quam assueverat, in suprema dignitate adipiscenda illustrium civium studium exarsit. Qui præclare pro patria domi, forique gestis eminentiores habebantur, fuere Matthæus Dandulus, Hieronymus Grimanus, Aloysius Mocenicus, Jacobus Aemilianus. Verum cum per tredecim dies, quod raro evenit, in con-

Hieronymi Prioli Principis obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1567 conclavi Patres fuiſſent, neque in præſentes convenire poſſent; tandem, Mocenico in primis adnitente, Petrus Lauretanus, ſenio jam confectus, quintum atque octogeſimum annum agens, præter totius civitatis, ipſius quoque expectationem, Princeps renuntiatur. Nunquam enim in omni vita publicis negotiis totum ſe ita addixerat, ut per arduas ſemitas ad eum honoris gradum contenderet; innocentia tantum vitæ fretus, ac morum integritate viam ſibi ad Conſiliariorum ſexviratum muniverat. Tumque nil ejuſmodi cogitans, cum e foro digreſſus, per mercatoriam viam domum proficiſceretur, delatæ dignitatis nuntium accepit; atque e ſuis ædibus a Marco Antonio Franciſcio ſcriba, qui Patrum nomine principatum ei delatum ſignificavit, ad palatium eſt deductus. Poſtridie de more in aurea baſilica ab electoribus populo oſtenſus, principatus inſignibus inauguratus eſt.

Petrus Lauretanus Priolo in principatu ſuffectus.

M. D. LXVIII.

1568 ATque in eas tempeſtates ejus principatus incidit, quibus civitas fame, incendio, difficillimo, ac periculoſo bello laboravit. Quamvis enim Selymus Turcarum Rex priſcæ avorum, patriſque virtutis oblitus, dies noctesque compotationibus, conviviis, omnique libidinum genere contereret, Mehemeti genero, viro induſtrio, quem a parvis initiis ad ſupremam Viſiratus dignitatem ſuſtulerat, rerum, imperiique totius ſummam crediderat; qui prudentia, ſolerti, ac ſagaci ingenio ad eam molem ſuſtinendam haud impar, pace nuper cum Maximiliano Imperatore icta, minime paſſurus videbatur, ut Ottomanorum Regum vires, quæ continentibus bellis excreverant, inutili, atque indecoro otio marceſcerent. Itaque maris imperio Piali adempto, Halim univerſæ claſſi præfecerat; quam magno cum apparatu, milite, annona, tormentis inſtructam ingenti numero emiſſurus videbatur; quonam iter habitura, quaſve regiones petitura foret, incertum. Inde quiſque ſuis rebus proſpicere, Turcarumque concilia explorare. Senatus, licet nuper pacem cum Selymo pepigiſſet, attamen gentis mores edoctus, quæve ad Chium ſuperiore anno acciderant, ſecum reputans, ne improviſo aliquid in Cypri regno moli-

Halis Turcarum claſſis imperator.

molirentur, verebatur; cum præſertim de Cypria expeditione 1568
ſermones Byzantii in vulgus non modo diſpergerentur, ſed ea de inſula invadenda multa apud proceres agitarentur. Suſpicionem quoque haud parum auxerant, quæ ad Decemviros per occultos nuntios afferebantur, in Tamaſso, præcipua regni urbe, a ſceleratis quibuſdam hominibus ingentem ſubterraneum cuniculum excavatum fuiſſe, qui, ad Turcicæ claſſis conſpectum igne concepto, ac horrenda ſtrage edita, hoſtibus aditum patefaceret. Neque deerant, qui Aſcrivium, in Rhizonici ſinus faucibus ſitum, Reipublicæ urbem, invaſuros Turcas dicerent. His permotus Senatus, triginta ſtatim triremes, quæ reliquæ claſſi adjungerentur, comparari decrevit. Triginta trierarchi creati; totius claſſis imperator Hieronymus Zannius ſecundo a Senatu dictus, majoribus comitiis confirmatus eſt; ut pedites mille ad præſidia augenda deligerentur latum; Sebaſtianus Venerius legatus Corcyram cum ſummo imperio miſſus; Illyrici oppida, atque urbes uſque ad Epiri litora præſidiis militum firmata: nihilque, quod ad Venetas res, ſubditoſque tuendos attineret, prætermiſſum.

Sceleratorũ hominum cõſilium de Turcis Tamaſſum introducendis.

Veneti 30. triremes inſtruunt, Hieronymũ Zannium imperatorem eligunt.

Sebaſtianus Venerius, in Corcyram cum imper. mittitur.

Neque immunis a Turcicæ claſſis ſuſpicione Pius Pontifex fuit, cum crebris rumoribus perferretur Halim in Adriaticum ſinum ad Anconam oppugnandam venturum, prædivitis Lauretani templi eximia ornamenta, atque opes direpturum. Qua ex re Pontifex mille peditum numero Anconæ præſidium auxit. Trepidatum quoque ab Epidauriis, quorum ſaluti cum maxime Pius proſpiciendum animadverteret, ut ſibi a Venetis triremes ex pontificiis ditionibus remige, ac milite inſtruendæ traderentur, per Hydruntinum Archiepiſcopum legatum poſtulavit. Senatus vero, licet quæcumque Epidauriis adverſa accidiſſent, opportunitate, ac ſitu urbis, & portuum, ad Rempublicam, univerſamque Italiam ſpectare intelligeret; attamen ne acerrimi in ſe hoſtis arma laceſſeret, cunctatione utendum, neque quidquam præpropere decernendum cenſebat; cum præſertim, quænam Pii mens eſſet, Patres non lateret, qui acerrimo in Turcas, perpetuos chriſtianæ reipublicæ hoſtes, odio incenſus, nihil magis exoptabat, quam ut Principes, totius gentis aſſiduis incrementis expergefacti, in eam ſocia arma converterent, reſciſſaque Venetorum cum Ottomanis Regibus amicitia, aditus

Pius V. Pontifex præſidia Anconæ ob Turcarũ rumores imponit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1568 ad commune fœdus ineundum patefieret. Venetos vero a bello cum potentiſſimo hoſte ſuſcipiendo, tum ingens, ac fere immenſa Turcarum potentia, tum ea, quæ ſuperioribus annis poſtremo cum Suleimano bello acciderant, remorabantur. Itaque, ut nihil, quod ad imperium maritimum tutandum neceſſarium foret, prætermittendum, ita ab iis abſtinendum, quibus pacis leges turbarentur, Reſpublicaque ad bellum traheretur, exiſtimabant.

Inde licet ſingulis annis claſſibus educendis, oriſque tuendis, magna pecuniæ vis inſumeretur, publicæ, privatæque opes exhaurirentur; ſacerdotum tamen decumas ex veteri conſuetudine a Pontifice, Paulo Theupolo legato adnitente, obtinere non potuerant. Qua ex re haud parum moleſtiæ Patrum animis acceſſerat; cum ex auctis, exaggeratiſque ſacerdotum opibus, majorum pietate, ac munificentia, nihil ad Rempublicam tuendam adjumenti pervenire animadverterent civiumque ac ſubditorum fortunis, quorum ſæpe multi egeſtate, atque inopia premebantur, tantam impenſarum molem ſuſtineri, eorum tantummodo ſanguine, opibus Rempublicam eccleſiaſticoſque viros immunes niti; attamen nihil dimovere Pontificem a ſententia potuit. Immo novam rem aggreſſus, edictum Romæ promulgavit, quo ſolutos a vectigalibus, portoriis, aliiſque publicis oneribus ſacerdotes eſſe ſanciebatur; in eos gravioribus cenſuris, ac pœnis, qui ſecus feciſſent, etiam propoſitis: nova tributa indici, ſe inſcio, atque inconſulto, vetabatur, aliaque ejuſmodi decernebantur, quibus Principum auctoritas vehementer imminui, ac lædi videbatur. Idque in primis Philippo Hiſpaniarum Regi, ac Venetis grave, atque intolerandum erat; cum ille in ampliſſimis ſuis ditionibus magnam auri vim ex ſacerdotiis colligeret; Veneti vero Rempublicam cum libertate nacti, quam propriis legibus per tot ſæculorum ſeriem adminiſtraverant; nihil, quo vetus regendorum populorum conſuetudo immutaretur, pati poterant. Sed cum Paulus Theupolus legatus Reipublicæ jura, atque inſtituta acriter tueretur, Pontifex quæ decreverat, ad compeſcendam regulorum quorundam licentiam ſtatuiſſe affirmaret, gravioribuſque negotiis impeditus alio avocaretur, paulatim nimio ardore animi reſtincto, ea qua primum rem aggreſſus fuerat vehementia re-

reſedit, nihilque de Principum jure immutatum eſt. Solicitavit quoque haud parum Philippi Regis animum claſſis Turcicæ expeditio, quam complures vel ad Guletam in Numidia oppugnandam, vel ad Melitam invadendam venturam dicerent. Rumor quoque diſſipatus erat, in regnum Neapolitanum delatam, aſſuetis incendiis, direptionibus omnes oras illas deformaturam. 1568

Ceterum quæ in Arabia Turcis eo anno adverſa accidere, ſuſceptos magna expectatione conatus inanes reddidere. Nam gentes, quæ in ea provincia prope Erythræum mare degunt, Ottomanorum Principum jugum excutere nitentes, ingentes tumultus conciverant; Baſſam regionis præfectum, complureſque illius ſtrenuos milites interfecerant; ſeditio per totam Aegyptum ad Memphim uſque ſe ſe diffuderat; Luſitanorumque Regum auxiliis finitimis freti, animis, & viribus Arabes augebantur. Inde Selymus ab Europeis expeditionibus averſus, eo imperii ſui vires conferre, maritimas, ac terreſtres copias in Alexandriam mittere cogebatur. Quocirca Halis maris præfectus quinque atque octoginta triremium claſſe mare Aegæum, atque Ionium emenſus, Corcyram amice prætervectus, Aulonem uſque profectus, nulla re egregie facta, in orientem iter flexit. *Ottomanorum ſubjectorum ad Erythræum mare & in Aegypto tumultus.*

Inde maritimi Turcarum apparatus ſuſpicione depulſa, in Galliam, ac Belgium cunctorum ora obvertebantur: illa reciprocante veluti æſtu, alternis modo belli, modo pacis fluctibus agitabatur; hoc eadem correptum tempeſtate, in vehementiores quotidie turbines conjiciebatur. In Gallia denuo pax inter Regem, ac fœderatos initur. Nam cum Germanorum auxilia, fruſtra obſiſtentibus regiis, ad fœderatos perveniſſent, Carnutumque, oppidum duorum tantum dierum itinere a Lutetia diſtans, adorti fuiſſent, propugnatoribuſque acriter ſe tuentibus, obſidio traheretur, de pace agi cœptum, quæ his legibus eſt confecta: *Ut unicuique, quamcumque religionem vellet, ſequi permitteretur: crimina in Regem perpetrata, oblivione delerentur: Fœderati, externis auxiliis dimiſſis, ab armis diſcederent: urbes, atque oppida occupata Regi reſtituerent.* Ea ſi, ut polliciti fuerant, præſtiſſent, aliquis ex concordia fructus expectari poſſe videbatur. Sed varie in pacis exequendis conditionibus moras nectebant, ægre ad oppida deferenda ad- *Pax denuo in Gallia ſanitur.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1568 ducebantur ; Rupellam paulo ante pacem occupatam , ad oceanum ſitum magni momenti oppidum , tuebantur . Ex iis complures , Rege minime adſentiente , ad Arauſionenſem Principem tranſibant , qui a Philippo Hiſpaniarum Rege deſciverat , armaque adverſus Albanum Ducem comparabat . Multa quoque præteritarum diſſenſionum ſemina exorta , ex quibus tertium civile bellum in Gallia initium ſumpſit . Santones , Pictavos fœderati occupant ; copias undique cogunt ; toto fere regno tumultuantur . Rex bellum denuo indicit ; edicto , ne qua religio, præter catholicam , publice exerceatur , cavet ; omnes concordiæ leges peroſus , quam maximas poteſt copias parat ; amicorum Principum auxilia implorat ; literas ad Senatum dat , quibus , ut iis , quæ ſuo nomine Foxius legatus graviſſimis de rebus ageret , ea fides , quæ ſibi præſenti haberetur , Patres præſtarent, petit . Foxius Principem , Patreſque , Decemvirum Magiſtris adſtantibus , in hanc ſententiam eſt allocutus .

Bellum in Gallia iterum exoriur .

Carolus Rex, ne qua religio præter catholicam publicæ in Gallia exerceatur , cavet .

Foxii, Regis Galliæ ad Venetos legati , oratio .

Ingentem dolorem , ad quem in Chriſtianiſſimum Regem , atque in patriam amor , & pietas impellunt , vix cohibere queo , Princeps Sereniſſime , Patres ampliſſimi . Jam enim tertio poſt alternas Galliæ clades civile bellum erumpit ; tempeſtates , ac procellæ , quæ conſediſſe videbantur , reſurgunt ; graviorique ægritudine conflictatum , ampliſſimum regnum corripitur ; capite laborante , membra reliqua ad ejus ſalutem , atque incolumitatem certatim accurrunt . Republica ſeditionibus exagitata , cuncti ordines in illius exitium , ac perniciem conſpirant . Inde civium , ac populorum in ſe arma converſa , interneciones , urbium excidia , provinciarum vaſtationes , humanorum omnium , divinorumque everſiones , florentiſſimo , ac potentiſſimo Galliæ Regno , niſi Dei Optimi Maximi auxilium præſens ſit , imminere jam ac impendere , incredibili animi dolore , cernimus . Carolus , uti clementiſſimum patrem decebat , hactenus aberrantes filios lenitate , ac clementia flectere adnixus , arma juſte in eos converſa , vagina recondidit , quæ deliquerant , magnanimitate oblitus . Omnia ſecus ac ſperaverat cecidere ; clementia audaciam peperit ; criminum impunitas anſam peccandi fecit ; nullo non ſcelerum genere perditi homines debacchantur . Eo ventum eſt , ut non lenioribus remediis , ſed ferro , atque igne ad eam depellendam peſtem , quæ brevi univerſam Galliam corre-

correptura videtur , utendum ſit , Quam maximas poteſt Carolus ad perduellium conatus reprimendos copias comparat ; quadraginta equitum vexilla , ſexaginta peditum , ſex mille Helvetii , plerique e nobilitate in armis ſunt ; ſingulis provinciis præfectos viros fortitudine , ac prudentia inſignes , ſtrenuoſque milites , ut externis auxiliis aditus impediatur , attribuit : omnes fere arces , atque urbes illi obtemperant ; viri eccleſiaſtici , catholici , populus , ac fere tota Gallica nobilitas parent . Contra Condæum pauci rerum novandarum cupidi ſequuntur ; nulla illi ad copias comparandas facultas ; Rupellam tantum in Santonibus , in Aquitania Albanum montem , & Caſtrum poſſidet . Carolus catholicos Principes fere omnes amicos , ac fœderatos habet ; Pium Pontificem Maximum, Maximilianum Cæſarem , Philippum Hiſpaniarum Regem , veſtram Rempublicam . Atque illud , quod reliquis præſtat , Dei Optimi Maximi , cujus cauſa in primis agitur , auxilium ſibi præſto futurum pollicetur . Verum ad tot alendos exercitus immenſa prope pecuniarum vi eſt opus . Ad eam repræſentandam aſſiduis bellis attritæ , atque afflictæ Galliæ , vectigalium , ac proventuum vires non ſufficiunt . Ad fœderatos itaque , atque ad eos , qui ſibi mutua benevolentia conjuncti ſunt , graviſſima , ac juſtiſſima in cauſa , in qua totius chriſtianæ reipublicæ ſtatus vertitur , confugit ; Venetam Rempublicam præcipue orat , obteſtatur , ne ſibi , atque ampliſſimo regno deeſſe velit . Non magna Carolus petit , ſed quæ nullo incommodo præſtari facile poſſint ; centum nempe aureorum millia ; hoc præſertim tempore , quo , belli ſuſpicionibus penitus depulſis , alta pace fruimini ; quo , undique ad vota rebus fluentibus , ingentes pecunias congeſtas retinetis . Reges connubiis atque affinitatibus benevolentiam ac neceſſitudines comparant ; Republica beneficiis Regum amicitias promereri oportet . Ac , ne forte id objiciatur , quod ea , quam ſuperioribus annis pecuniam Regi commodaſtis , minime ex condicto reddita fuerit , vobis Lutetianum vini vectigal addicit , publicanos eorumque bona obſtringit , vel tot gemmas , quæ ducentorum millium aureorum ſummam conficiant , præbiturum ſe ſpondet . Quid igitur vos moratur , ne Regi de republica chriſtiana optime merito , vobiſque innumeris amicitiæ vinculis conjuncto , difficillimo hoc tem-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1568 *tempore auxilium feratis, vobisque amplissimum ac potentissimum regnum perpetuo devinciatis? Italiam, Rempublicamque vestram incolumem servetis? Quis enim ignorat, Galliis nihil adversi accidere, neque commoveri amplissimum regnum posse, quin eodem motu atque impetu Italia Galliæ finitima concutiatur, ac convellatur? Subvenite itaque Christianissimo Regi; religionem tuemini; neque a majoribus vestris, neque a vobismet ipsis degeneres, laboranti Galliæ turbulentis, ac difficillimis tempestatibus opem non denegate.* His a Caroli legato enunciatis, ut e Patrum Collegio duo eligerentur, qui cum Foxio de auxiliis ferendis agerent, in Senatu latum. Lecti Vincentius Maurocenus consilii, Joannes Baptista Foscarenus continentis Sapientes; quibus referentibus, centum aureorum millia iis, quibus legatus petierat, conditionibus Regi commodata. Vario eventu, in Gallia pugnatum; Gennabum a Condæo captum; multi ex fœderatis, qui sub Acerio, ut se Condæo conjungerent, iter in Pictavos moliebantur, a regiis cæsi, ac profligati sunt.

Veneti centum aureorum millia Carolo Regi commodant.

Eodem tempore in Belgio dubio marte, modo Arausionensi, modo Albano Duci adspirante fortuna, certatum; complures, quos novarum rerum cupidos seditioni, aut tumultibus alimenta ministrare rebatur, comprehensos supremi supplicii pœna Albanus affici jussit; in Egmundanum, atque Hornanum comites Bruxellis medio foro capite animadversum. Qua ex re ingens adeo in cunctis fere Belgarum animis commotio est consecuta, ut belli incendio uberrimæ, ac ditissimæ illius regionis provinciæ conflagrarent; funesto ac fortasse non inutili exemplo, quam sæpe acerba, ac duriora imperia mortales ad desperationis casus adactos, moliri extrema quæque, non tam ipsis, quam Principibus exitiosa, compulerint. Belgii tumultibus, quibus Philippi Hispaniarum Regis animus vehementer angebatur, Caroli majoris natu filii obitus accessit, quem turbidi, atque efferati ingenii juvenem, quod adversus regiam majestatem multa egisset, antea omni armorum genere adempto, custodiæ tradi jusserat. Verum alti animi juvenis, probri, atque injuriæ impatiens, cum vita indecoram regiæ fortunæ notam delere statuit; quamque sibi gladio inferre nequiverat, inedia vincente naturam, necem sibi

Egmundanus, & Hornanus Comites ab Albano Duce capite damnati.

sibi consciscere decrevit. At consilio custodum assiduitate detecto, occulto adamantem ex annulo, quem gestabat, extractum, voravit, durissimo lapide incidere corporis nexus irrito conatu posse ratus. Tamen vitam denique obstinata mente pertæsus, omni ciborum genere sese ingurgitando, aquæ frigidæ nunquam potatione intermissa, brevi stomachi vitium contraxit, atque dysenteria correptus, interitum sibi maturavit, quem, rite prius Ecclesiæ sacramentis susceptis, constanter subiit. Nec multos post dies Regina immaturo infantem partu enixa, interiit. Ejus obitum per legatum, perque literas Senatus Regi doluit. 1568

Caroli Philippi Hispaniarum Regis filii, obitus.

M. D. LXVIIII.

VErum Turcici belli suspicione, quæ superiore anno Patrum animos solicitaverat, depulsa, in piratis insectandis, marique a latronibus purgando civium diligentia, ac virtus elaboravit. Marcus Quirinus, cui superi maris custodia a Senatu demandata fuerat, magna exactæ, atque indefessæ fortitudinis argumenta edidit, sæviissimos prædones toto mari insecutus: in iis Turcarum biremem in Liburniæ ora ad Meledam aggressus, ad unum hostibus contrucidatis, cepit. In Apuliæ litoribus tres myoparones alto mari conspicatus, incredibili triremis suæ velocitate assecutus, binos Brundusii litoribus fugiendo impactos, ingenti cum barbarorum cæde oppressit; tertius tenebris sese intendentibus ægre a nostrorum conspectu divulsus est; centum amplius, qui catenis vincti miserrimam vitam trahebant, Christiani libertate restituti, variisque cladibus prædonum conatus illius virtute repressi. Sub id quoque tempus Byzantio afferebatur, Selymum in Arabiæ bello distentum, Persarum quoque Regis armis pertimescere: Arabes Adenam urbem cepisse; magnos in ea Arabiæ parte, quam *Gemen* vocant, motus, magnos successus, felicesque habuisse; cunctaque, unico oppido quod Zidam vocant, excepto, in suam potestatem redegisse: ad Tallaram quoque ingentes tumultus concitatos; populos, arreptis armis, Turcarum servitium abjecisse: Selymum quoque Astracani expeditionem moliri, eo consilio, ut decem atque octo pas- 1569

M. Quirinus classis legatus, piratarum navigia in suam potestatem redigit.

Arabum contra Turcas progressus.

Selymi consilium de Volga Tanai conjungendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1569 paſſuum millia foſſa perducta, Volgam, Tanaimque amnes conjungeret; inde aditu patefacto, claſſe Byzantio ad Caſpium mare, atque in Perſidem uſque penetraret: eo Selymi facto Moſcum, ac Perſam ingentes comparaſſe copias, ne potentiſſimi hoſtis vires intima ſuarum regionum pervadere paterentur. Iis curis Selymo intento, quieſcere Reſpublica, atque a ſumptibus annuis abſtinere poſſe videbatur. Verum ſummo cum imperio præfecto in Arabiam miſſo, populares motus cito compreſſi, ac ſedati ſunt. In opere vero de jungendis Tanais, ac Volgæ amnibus perficiendo, complures, atque haud exiguæ ſubortæ difficultates, quæ patrem quoque Suleimanum remoratæ fuerant, Selymum a ſuſcepta ſententia dejecere.

Venetiæ ſumma inopia vexatæ.

Itaque a reliquis bellorum motibus liber, ſuſceptum pridem de Cypro invadenda conſilium denuo ſecum agitare cœpit, iis præſertim, quæ Venetis hoc anno infauſta contigere, incitatus. Nam annonæ frumentariæ caritas, quæ totam Italiam afflixit, in urbe, ac ditionibus Venetis mirum in modum ſæviit. Frumenti ſextarium, quod perraro, ac nunquam fortaſſe acciderat, decem aureis nummis veniit; complures fame compulſi inviſos antea cibos appetiere; herbis alii victitavere; nec defuerunt, qui tabidos inedia artus trahendo annonæ inopia confecti ſunt. In urbe cum ad ducenta mortalium millia alenda (tot enim circiter cenſentur) frumentum non ſuppeteret, ex milio panis confectus plebis famem ſedavit. Nihil, quo ea calamitas depelli poſſet, a Patribus omiſsum; quæ eo gravior eſt habita, quod omnium rerum ubertate, ac copia affluenti civitati accidit.

Veneti navalis incendium & ejus deſcriptio.

Hoc malum decimo octavo kal. octobris atrox exortum in navalibus incendium conduplicavit. Eſt enim in ea urbis parte, quæ ad orientem ſolem ſpectat, immenſo opere, cœptus jam inde a Reipublicæ incunabulis, duum circiter paſſuum millium circuitu in ſpeciem urbis extructus locus, in quo quæcumque cum ad terreſtres, tum ad maritimos bellorum apparatus pertinent, congeſta ſunt. Nonnullos lacus continet, in quos fabrefactæ majores, minoreſve triremes, aliave navigia immiſsa, atque inde deducta, in expeditiones mittuntur; mox ad urbem reverſa, ex iiſdem lacubus machinarum vi intra ampliſimos fornices ſubducuntnr, in quibus a ventorum vi, ſolis ardore,

dore, atque imbribus conſervantur. Ex levioribus centum, ex gravioribus triremibus duodecim Senatus conſulto ſemper in promptu ſunt; ut, ſi belli ſuſpicio adſit, cito educi queant. Velorum, rudentum, antemnarum, malorum, biremium, ſcapharum magnus numerus. Ad hæc cujuſvis generis tormentorum, ſclopporum, haſtarum, clipeorum, galearum, loricarum ingens copia. Artifices innumeri ad ea omnia conficienda ære publico aluntur; fabri lignarii, ærarii, navales, tormentarii, quibus fervens juventus exercendis operibus aſſueta obtemperat: pueri a teneris annis eas artes edocti, temporis, interituſque injurias ſarciunt, diſciplinæque beneficio excellens operum effectrix virtus æterna ſervatur. Locum prælatis mœnibus ſeptum, *Arſenatus* domum vulgo majores noſtri appellavere, quod veluti in privatis ædibus cuncta admirabili ordine adminiſtrentur. Tres præfecti majoribus comitiis creantur, quibus ea cura data eſt; totidem a Senatu ſummæ auctoritatis Senatores adjecti, qui ſingulis de rebus una cum præfectis decernant. Longum nimis, atque operoſum eſſet ea ſcriptis mandare, quæ ſingula oculis luſtrare pene impoſſibile ſit.

In hoc igitur ampliſſimo navali noctu ſulphureus pulvis, igne celerrime concepto, incenſus, repente ſeſe diffundens, horribili adeo impetu ac fragore erupit, ut murorum ipſius navalis partem, turreſque nonnullas firmiſſime compactas proſtraverit; proximæ domus vehementiſſimo labefactæ motu corruerint; longinquæ in extremis urbis regionibus ſitæ tremore horribili concuſſæ ſint. Sacroſanctæ Trinitatis ædes, divorum Franciſci, ac Juſtinæ martyris pene totæ dirutæ: divæ autem Mariæ cæleſti pernobilis dicata baſilica, una cum Virginum cœnobio diſſiliit; vectes ferrei quibus fores claudebantur, licet immanes, diffracti; a fundamentis ampliſſima tecta everſa, ut vix e murorum ruinis, propinquorum ope ſacratæ Deo mulieres ſeſe incolumes eripuerint, nonnullis ſub ingenti prolabentium ponderum onere preſſis, atque enectis. Univerſa eo motu contremere, ac fatiſcere urbs viſa eſt. Fuerunt qui inſueto intempeſtæ noctis fulgore attoniti, ſupremum rerum omnium exitium, univerſorumque finem adeſſe arbitrarentur. Inde ingens trepidatio; incerta, quo plerique tenderent, fuga; muliebris ejulatus; multorumque ex ſuis laribus ſeſe metu

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1569 tu proripientium impetus, ne tectorum oppressi ruinis enecarentur : fragorem ad quinquaginta passuum millia in tonitru, ac fulguris morem exauditum fuisse constat. In ea repentina, atque adeo ingenti totius urbis commotione ex civium, atque nobilium numero complures, arreptis armis, patriæ, si res poscceret, adfuturi, in forum veniunt; deinde navalis periculo comperto, cuncti summo studio ad opem ferendam incitati advolant. Joannes Legius, Eques ac Marcius Procurator, juvenum coacta manu, præsto fuit; præcipui Senatores accurrere; ingens navalium ministrorum numerus, ne latius incendium emanaret, intrepide adnixus, flammarum vim tandem cohibuit. Excubiæ per aliquot noctes, atque armatorum custodiæ habitæ. Verum terroris magnitudini, ac famæ, quæ ea de re per universam Europam sese diffudit, detrimentum impar fuit. Quatuor tantummodo triremes arsere; pauci pro periculi magnitudine periere; & non multorum mensium spatio mœnia, ac turres, quæ procubuerant, erecta, ac reparata, navale pristino splendori restitutum est. Ac ne in posterum aliquid ejusmodi accideret, lege cautum, ne ibi tormentarius pulvis asservaretur, sed turriculæ in adjacentibus insulis ad illum conservandum extruerentur. Multa præterea ad urbis diligentiorem custodiam a Decemviris sunt constituta. Magna edicto iis, qui facinus indicarent, proposita præmia : constans enim universam civitatem invaserat opinio, non fortuito, sed hominum fraude, ac perfidia contractum incendium fuisse. Verum sive id casu acciderit, sive a quopiam Veneto inimico nomini de industria injectum fuerit, nunquam liquido cognitum est.

Selymi consilium de Cypro invadenda.

His Venetarum rerum rumoribus Byzantium allatis, Selymus ad id, quod pridem mente conceperat, perficiendum incitabatur, ne Cypri invadendæ opportunitatem elabi sineret, eo tempore præsertim, quo, haud parvis incommodis Venetis jactatis, Reges gravissimis bellis impliciti, ad auxilium præbendum minus idonei videbantur. Nam Gallici tumultus adeo increverant, ut neque concordia, neque armis sedari facile possent; quamvis enim Henricus Regis frater, Andegavensis Dux, fœderatorum vires, Condæo extincto, fregisset (nam III. idus martii prælio ad Irnacum commisso, profligatis ejus copiis,

Condæus Princeps in prælio interfectus.

piis, Princeps ille cæsus fuerat) attamen magni nominis duces non deerant, qui factionum principes effecti, ex Anglia, ac Germania conquisitis auxiliis, licet victi, ac fracti, vehementius denuo atque acrius in Regem insurgerent. Et in Belgio malum in dies alternis cladibus recrudescebat. Quibus quemadmodum christianorum Principum vires mirum in modum imminui, ac debilitari videbantur, ita communis hostis efferebatur audacia, ut a ceteris bellorum curis liber, majori conatu ac spe rempublicam christianam præpotentibus armis invaderet. 1569

Finis Libri Octavi.

EPI-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

SElymum Cypriam expeditionem moliri Marci-Antonii Barbari, Veneti apud ipsum oratoris, literis nunciatum est. Magni ad sustinendum bellum apparatus facti. Cubatem, qui ad Cyprium regnum Selymi nomine petendum Venetias accesserat, gravibus verbis allocuti Patres, statim dimisere. Civitate impendentis calamitatis metu solicita, Lauretanus Princeps annis gravis vita defunctus. Ei successor Aloysius Mocenicus datus est. Classis Turcica Hellesponto egressa ad Tenum Aegaei insulam appulit. Mustaphas oppidum magno impetu aggressus, Hieronymi Parutae virtute repulsus, & re infecta discedere coactus est. Hinc Turcae recta in Cyprum. Expositi ad Salinas, infensum agmen Leucosiae admovere. Urbis oppugnatio describitur. Podacataro propugnaculo expugnato, in urbem irrupere: magna edita mortalium omnis generis, aetatis caede, cuncta diripuere. Universa insula praeter Tamassum brevi in Turcarum potestatem concessit. Classis Veneta Pontificiae, & Hispanicae juncta, diutius in Creta in capiendis administrandi belli consiliis, Andrea Auria ab aliis numquam non dissentiente, cunctata, cum in Cyprum serius contenderet; quae illic acciderant, nunciatis, in occidentem revertit. Pius V. Pontifex, ut sibi Venetos, ac Hispaniae Regem foedere contra Turcas jungeret, maximo animi ardore laboravit. Hispanis alias super alias difficultates nectentibus, res in dies magis implicata, ac protracta est.

HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER NONUS.

M. D. LXX.

NOn me latet belli Cyprii historiam literis 1570
mandantem, multos fore, qui laborem
susceptum supervacaneum esse forsasse arbitrabuntur, cum multa non desuerint, eademque præclara ingenia; quæ cum Latino, tum Italico sermone ea scriptis consignarint, quæ varia trium fere annorum spatio, gravissimo inter Turcas, & Venetos sæviente bello, accidere; atque inter hos Paulus Paruta, cui conscribendæ Venetæ historiæ onus a Decemviris ante me delatum fuerat, qui copiose admodum, ac luculenter harum rerum successus edidit. Attamen veterum auctorum memoriam repetenti, cum Græcorum, ac Latinorum scriptorum monumenta sese objicerent, quibus plerique excellentis virtutis,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 tis, atque eloquentiæ viros in iiſdem rebus poſteris tradendis elaboraſſe animadverterem ; non ab re quoque me facturum eſſe exiſtimavi, ſi in his, quæ difficillimis temporibus Reipublicæ accidere, mea quoque extaret induſtria ; cum præſertim inter ea , quæ noſtra tempeſtate contigere , nihil vel rerum gravitate , vel caſuum varietate anteferendum putem . Accedit quod pleraque ex publicis commentariis, ex diligentiſſimorum virorum ſcriptis, atque ex iis, qui rebus interfuere, narrationibus excerpſerim ; multorum quoque, licet adoleſcens, teſtis eſſe poſſim ; quæ ſi diligenter, atque accurate a me poſteris tradantur, operæ pretium facturum, ni fallor, exiſtimo. Primum igitur, quæ de Cypro comperta habeo, minime prætermittenda vel ad memoriam, vel ad curioſitatem arbitror.

Cypriarum rerum narratio.

Cyprum initio Cethimum Japheto tertio Noachi filio progenitum incoluiſſe ferunt, poſtquam Babilonica turri idiomatum permixtione diſjecta , mortales diverſas terras petiere. Inde Cethim primum fuiſſe appellatam ; mox paulatim, primævo Dei Optimi Maximi cultu, vel hominum pravitate ac ſceleribus, vel præſtigiis ac fallaciis dæmonum extincto, atque abolito, dum divinos honores, ac famæ immortalitatem concupiſcunt, & inter Deos relati, divinitatis opinione, ac metu mortales perfundunt ; ingens exorta Deorum turba, indita eorum urbibus nomina, templa erecta. In Cypro orta Venus ſummis honoribus colebatur. Templum magnifice in oppido Cythera extructum, Cythereæ nomen dedit ; multiſque fabulis aſperſa veritas inſulam apud antiquos percelebrem reddidit. Verum Troja a Græcis everſa, res Cypriæ vehementer ſeſe extulere , novemque in ea inſula Reges imperitarunt, qui, Phœnicibus devictis, maritimis rebus floruere. Donec Alexandri tempora ſucceſſere, qui, Perſide, Indiaque ſubacta, letho proximus , cum immenſam imperii molem partiretur, Ptolemæo, Lagi filio, quarta pars , Alexandria nempe, in qua Cyprus cenſebatur , obvenit ; cui Demetrius, Antigoni Syriæ Regis filius, maritimo prælio victo inſulam ademit. Sed neque Demetrii imperium diuturnum ; nam Antigono patre vita functo,in Syriam profectus,inteſtinis cum Seleuco diſſidiis diſtentus, Ptolemæo rurſus Cypri recuperandæ facultatem fecit. Huic Philadelphus ille ſucceſſit, cujus opera congeſtis undique im-

immani labore ac impenſa voluminibus, extructæ bibliothecæ, 1570
atque hebraica Biblia a duobus ac ſeptuaginta interpretibus in Græcam linguam translata. Inde a Romana republica res geſtæ ſucceſſere. Marcus Cato Cyprum provinciam Romanorum fecit, ingenteſque ex ea divitias, atque aurum in ærarium publicum contulit. Plutarchus auctor eſt, ad ſeptem millia talenta Aſiatica fuiſſe , quæ ſupra quinquagies Venetorum aureorum conficiunt, ſive , ut modo loquimur, quinque *milliones*. In Romanorum imperio fuit , donec Antonius cum Octaviano paciſcens , orientis regiones ſortitus, Cleopatræ Aegypti Reginæ conceſſit. Cæſar, claſſe Antonio ad Actium ſuperato, Aegyptum, ac Cyprum in ſuam poteſtatem redegit. Mox nutante Romanorum imperio , atque armis inter ſe Imperatoribus decertantibus, crebris mutationibus obnoxia, varios dominos eſt perpeſſa ; atque, ut orbis terrarum regiones cæli, atque elementorum ſubjectæ viciſſitudinibus ſunt, ferunt ſex atque triginta annos ingenti ſiccitate, nullis e cælo decidentibus imbribus , laboraſſe ; unde florentiſſima olim inſula a mortalibus deſerta, ſterilis, atque horrida eſt effecta : Helenam, Magni Conſtantini matrem, cum ſacra Servatoris cruce e Judæa in Cyprum delatam , madefacto aquis ſolo , læta uberrimæ , ac jucundiſſimæ terræ facie inſpecta, ex finitimis provinciis populos ad eam incolendam accerſiſſe : Conſtantinum matris ſuaſu duces ad eam regendam miſiſſe , qui per multos eam annos tenuere.

Iſaacius Comnenus poſtremus fuit , quem Riccardus Britanniæ Rex ejecit ; mox Templariis equitibus centum aureorum millibus vendidit , qui biennio ea potiti, cum Cypriorum imperium detrectantes haud facile perdomitum illi intelligerent, rurſus Anglo tradidere. Is Guidoni Luſignano iidem, quibus Templariis militibus tradiderat, conditionibus conceſſit. Ab hac familia nomen regium rurſus invectum. Cyprus illuſtrata, principibus viris, ac proceribus nobilitata, munitionibus aucta ; publicis, privatiſque baſilicis, templis, aliisque ſubſtructionibus ornata , quam per trecentos atque amplius annos obtinuere . Poſtremus Jacobus Rex fuit . Is Catharinam e Cornelia gente, tamquam Reipublicæ Venetæ filiam, numerata dotis nomine centum aureorum millium ſumma, uxo-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 uxorem duxit; atque haud multo poſt ventris profluvio ſublatus, prægnantem relictam, ex teſtamento regni heredem cum oritura ſobole ſub Veneti Senatus tutela inſtituit. Orto filio, vixque anno elapſo, abſumpto, regni proceribus novas res molientibus, claſſe cum legatis, ac Marco Cornelio, Catharinæ patre, a Venetis in Cyprum miſſa, compreſſi motus fuere. Inde cum mulier vidua Venetorum auctoritate quindecim annos, viro defuncto, pacate Cyprum obtinuiſſet, Ferdinanduſque, Neapolitanus Rex, ut ampla illius regni poſſeſſione potiretur, variis artibus eam ad nuptias pelliceret, atque haud obſcure Turcarum inſidiæ, Syriæ quoque Regis finitimi vires, ac potentia ſuſpecta forent, Georgio Cornelio, Reginæ fratri, negotium a Senatu datur, in Cyprum proficiſcatur, ſorori ſuadeat, ut Reipublicæ regni procuratione relicta, in patriam revertatur. Id cum Georgius perfeciſſet, claſſis præfectus, ac legati in Tamaſſi oppidi foro, jubente atque inſpectante Regina, divi Marci Reipublicæ tutelaris vexilla erexere, Cypriumque regnum in provinciam redactum. Catharinam Venetias adventantem Senatus, ac omnes civitatis ordines incredibili lætitia excepere, eique Aſulum oppidum in Tauriſanis collibus dono datum, quina aureorum millia in annos ſingulos conſtituta. Subinde Cyprus in Venerum poteſtate uſque ad hæc tempora fuit.

Quomodo Cyprus in Venetorum poteſtatem pervenerit.

Inter inſigniores mediterranei inſulas vel rerum ubertate & copia, vel divitiis, vel ſitus amœnitate principatum obtinet. Syriæ olim conjunctam fuiſſe, quemadmodum Siciliam Italiæ, Euboeam Peloponneſo, Plinius auctor eſt. Ejus formam velleri Euſtachius comparat. In circuitu vigintiſeptem ſupra quadringenta paſſuum millia; in longitudine ducenta complectitur. Ammianus Marcellinus de ea loquens hæc verba profert: *Tanta tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium Cyprus, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus a fundamento ipſo carinæ, ad ſupremos uſque Carbaſos, ædificet onerariam navem, omnibuſque armamentis inſtructam mari committat.* Frumenti, hordei ferax, goſſipium ac ſaccarum exquiſitum profert; oleo, vino abundat; fodinis auri, argenti, plumbi, ſtanni, chalchanthi, ferri, nec non aluminis, ſulphuris, ſalis ſcatet. Celebriores in ea

ſunt

ſunt urbes Leucoſia, in media ferme inſula conſtituta, a ve- 1570
teribus hiſtoricis prætermiſſa, mœnibus olim deſtituta, arcem prævalidam tantum ad orientem obtinebat. Callinici, mox Leucadii, inde Leucoſiæ a Leuco nomen inditum, quod licet Græcis album ſignificet, nonnulli vallem ſylvis obſitam interpretantur, atque Leucoſiam denſiſſimo, ac confertiſſimo arboribus loco conditam initio ferunt ea præcipue ex parte, qua divi Triphilii baſilica æſtuariis undique præcincta viſebatur: inde quotannis natalem illius celebrantibus paluſtres herbæ, ac junci vetuſtæ memoriæ ſigna ſpargebantur. Petrus Luſinianus Rex mœnibus urbem cingere eſt aggreſſus. Jacobus frater opus inchoatum perfecit. Superioribus annis Venetorum ope munita, undecim propugnaculis extructis, ad quoslibet impetus hoſtium excipiendos idonea cenſebatur. Salubri cælo, optimis aquis pollet; ingenua nobilitate nitens, elegantibuſque moribus exculta, compluribus tum latinis, tum græcis baſilicis ornata; populus in religionem propenſus. In eam urbem varia hominum cujuſque religionis genera confluebant. Nam præter Latinos, ac Græcos, Armeni, Maronitæ, Cophti, Jacobitæ, Neſtoriani adnumerabantur. Suos quiſque Epiſcopos ſuo more habebat, a quibus ad vices Leucoſienſis Archiepiſcopi gerentem provocationes fiebant.

Non inferior Tamaſſi civitas, *Famaguſta* vulgo dicta, habebatur; Ammachoſtus Græcorum temporibus, tamquam arena abſconderetur; a Latinis poſtea erecta, arx navalis ædificata, portus catena obſtructus. Veneti munitiorem, additis propugnaculis, juxta recentem muniendorum oppidorum formam reddidere. Olim aere, & aquis inſalubribus [illegible]retur. Nam ob Conſtantiæ lacus propinquitatem nocturno, diurnoque crepuſculis, putridis, atque infectis ſeſe ſuſtollentibus vaporibus, morbi, ac noxæ mortalibus inferebantur. Huic incommodo, palude exſiccata, atque alio avulſis aquis, obviam itum. E ſolo vero ſcaturiginibus prodeuntibus, quæ maris ſalſedine permixtæ manabant, rejectis, cisternæ, quæ ſalubres exciperent, & ſervarent, fabrefactæ. Sed cum frequentes collaberentur, atque ad eas ſarciendas, artificum inopia inutiles redderentur; tandem limpidiſſimus, atque optimus e venis ſubterraneis erumpens aquæ fons inventus, uberem univerſæ civi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 civitati potus copiam fecit. Ad ſeptentrionem Ceraunium oppidum, nunc *Cerines* appellatum, jacet; a Ciro Perſarum Rege conditum ferunt. Ejus ſuburbio ſatis firmo ob arcem ſtruendam diruto, cum de muniendo oppido in Senatu ageretur, Leucoſiæ ſitus delectus eſt. Ad ſeptentrionem Amathus, *Limiſſus* hodie nuncupata, ſita eſt, præſtantibus aquis, aere, lacu propinquo, qui ingenti piſcium copia, auratarum in primis, ſcatet. Canum, ac falconum venationibus nobilis; vini, & olei ferax ea regio eſt; litoribus ad navigia tuto excipienda accommodatis; ad mercimonia, & negotia in Syria, & Alexandria exercenda peropportuna. Inde navibus in occidentem tendentibus, aquatio, & lignatio ſuppeditatur; goſſipiumque & ſaccarum affatim præbetur.

Tot beatæ inſulæ egregia dona, Muſtapha in primis alumno ſuadente, Selymum impulere, ut dum in Magneſiæ principatu, uti, qui ad regiam dignitatem prope accedunt, aſſuevere, potiretur, ſeneſcentiſque Suleimani patris obitum expectaret, ingenti Cypri occupandæ ſiti inflammaretur; inſulæ amplitudinem, vires, divitias Muſtapha exaggerante, ſeptingentorum paſſuum millium ambitu, perbenigno ac felici cælo lætam, diuturna incolarum pace, opibus, potentiaque florentem, quæ ſane ad ſui initia imperii cohoneſtanda mirum in modum conducerent: *Non permittendum hujuſcemodi propugnaculum in Aſia penes Chriſtianos eſſe, ex quo nonnunquam, uti ſuperioribus ætatibus contigerat, invadi præpotens, ac dives Syriæ provincia, Hieruſalem quoque (quo nil magis Chriſticolæ in votis habent) aliquando peteretur. Quid quod eo veluti munimento freti, ex occidente piratæ in Aegyptum uſque percurrerent, univerſaſque eas oras fœdiſſimis direptionibus, ac cædibus deformarent, peregrinoſque Mocburam, quæ* Mecha *nunc dicitur, religionis cauſa adeuntes interciperent, vita boniſque exuerent? Facillime a præpotenti Rege in ſuis ditionibus pugnante hæc poſſe confici. Contra cuncta Venetis difficilia, atque infenſa fore: vicies centena millia paſſuum Cyprum a Venetiarum urbe abeſſe, ut opportune inſtructa, ac præmunita ad excipiendos potentiſſimi hoſtis impetus reddatur, credi vix poſſe. Acamantem, modo* Divi Epipha-

phanii, *ad occidentem promontorium, ſexaginta circiter paſſuum millia a Pamphiliæ litoribus diſtare; totidem a Comaclitis promontorio ad ſeptentrionem (quod medium fere inſulæ obtinet) ad Ciliciam uſque numerari: nec longiorem Aulide (quod* Divi Andreæ caput *vocant) ad orientem in Syriam trajectum eſſe; inde ad Cypri oppugnationem nullo negotio quantumvis militum, frumenti, atque annonæ ſuppeditari poſſe.* 1570
Hæc alte adeo in Selymi animum demittebantur, ut ſæpius cum primum regnum eſſet adeptus, eam moliturum expeditionem haud obſcuris verbis ſignificaret; ac nonnunquam genio indulgens, & mero incaleſcens, (ut erat vino mirum in modum deditus) auream patheram generoſo Cypriæ vitis liquore præ manibus geſtans, diceret, *Hoc in Cypro vinum potabimus.*

Hæc cum variis ad Senatum nuntiis, ac præcipue apud Selymum legati literis perferrentur, Patrum animos ſolicitabant, ne pax, quam per triginta atque amplius annos cum Ottomanis Regibus habuerant, Selymi vel ambitione, vel levitate turbaretur; cum præſertim Hemon Ciliciæ portum e regione Cypri poſitum, atque ad ingentem claſſem excipiendam opportunum munire, caſtellumque ad illum tutandum erigere Turcas nuntiaretur. Neque minus infimæ plebis, atque agreſtium hominum in Cypro degentium erga nobilitatem compreſſum odium, atque infenſus animus curas conduplicabant. Qui cum antiquitus in nobilium poteſtate eſſent, inde *Parœcorum* nomen, quod prope dominos procerum degerent, ſortiti, gravia ab iis, atque intoleranda patiebantur; miſerrimumque ſervitutis genus peroſi, novos dominos, præſentiſque ſtatus mutationem, atque everſionem exoptabant. His Senatus permotus interiore cura, ac ſtudio ad Cypri regnum tuendum animum converterat. Julium Saornianum (uti antea diximus) rei militaris, muniendorumque oppidorum ſcientiſſimum, in Cyprum miſerat; ut, re cum magiſtratibus communicata, Famaſſum validius communiret, injunxerat; Leucoſiam, portus regni caput, novo opere circumcingeret; ad hoſtium impetus excipiendos erectis aggeribus, propugnaculiſque aptiorem redderet. Is Famaſſi munitiones quamprimum perfecit. Leucoſiæ vero ambi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 tu in arctum coacto, in ea planitie, rotunda figura, undecim propugnaculis præcinctam, quorum unumquodque pedites mille exciperet, munitionem extruxit. A Senatu bellica tormenta cum ad urbem firmandam, tum ad impugnandos hoſtes, varii generis in Cyprum miſſa; pilarum, tormentarii pulveris ingens vis, quibus urbs, vigintiquinque paſſuum millibus a mari diſtans, maritimiſque ſubſidiis ſuſcipiendis minus opportuna, diutius ſervaretur.

Interea, Suleimano in Pannonia, dum Zighetum oppidum acerrime oppugnaret, ex humanis ſublato, Selymus (uti antea dictum eſt) in imperium ſucceſſit: ſtatimque Marinus Caballius Byzantium pro gratulationis munere, paceque denuo ſancienda legatus mittitur: ac licet Judæi nonnulli, qui mercimonia ſua Venetiis intercepta eſſe conquerebantur, Veziri animum a Venetis alienare conarentur, Jacobi tamen Superantii, ordinarii legati, ac Caballii virtute, pacis conditiones, quæ inter Suleimanum olim, ac Rempublicam conſtitutæ fuerant, jurejurando interpoſito, confirmatæ ſunt. Inde magna ſpes continuandæ cum Selymo pacis orta, quem cunctas de Cypro invadenda curas, ac cogitationes ex animo depuliſſe Senatus cenſebat. Quis non crederet, potentiſſimum Regem, qui regnorum fines Aſia, Africa, atque Europa longe, lateque diffunderet, a fracto fœdere, juriſque jurandi violatione imperii ſui initia auſpicari velle? Sed jam a Marco Antonio Barbaro, qui Superantio in Byzantina legatione ſucceſſerat, literæ afferebantur, ingentes maritimos ea in urbe apparatus fieri; haud obſcure expeditionem adverſus Cyprum parari; ad ea vero tegenda conſilia, vulgatum, majoribus navigiis, quæ in diverſas regiones mitterentur, Regi opus eſſe; Barbaram inſuper, ac Bonaldam Venetas naves nuncupatas, Byzantii; Barbaram item alteram, Alexandriæ interceptas, quibus etſi ſtipendia exhiberi ſolita polliciti Turcæ fuerant, eodem tamen tempore Venetos mercatores aliquot, eorumque bona detenta eſſe.

Marci Antonii Barbari literæ de Turcicis apparatibus.

His nuntiis ancipiti cura Patres angebantur: licet enim Selymum, qui modo pacem ſanciverat, vix adduci poſſe arbitrarentur, ut nulla cauſa permotus, turpiter fidem frangeret, atque adverſus jura gentium jurisjurandi religionem corrumperet;

peret; attamen cum verſarent animis, quantas dominandi libido Regibus faces admoveat, majori ſtudio, quæ ad maritimum tuendum imperium attinerent, meditari, atque agere cœpere; quæ ſane ita curabantur, ut inter belli curas pacis ſpes non elangueſceret. Huc accedebat, quod purpuratorum, qui apud Selymum maximum auctoritatis pondus habebant, non eadem ſententia foret; ac pleroſque invidiæ, æmulationes, privatorumque commodorum ratio (ut in ſummorum Principum aulis evenire ſolet) adeo tranſverſos ducerent, ut non tam Regis utilitati, ac decori, quam ſuæ libidini, ac cupiditati conſulerent. 1570

Mehemetes Selymum a Cypri expeditione avertere nititur.

Mehemetes, qui primum Viſiratum, ſupremam apud Ottomanos Reges dignitatem, obtinebat, prudentiæ opinione inſignis, ac Selymo in primis carus, quod ei, patre ad Zighetum extincto, gradum ad regnum ſtruxerat, erga Venetum nomen propenſus, a Cypria expeditione abhorrebat; a Regis amplitudine, ac dignitate alienum exiſtimans, arma in eam Rempublicam convertere, quæ aſſiduam cum Ottomanis Principibus amicitiam coluiſſet. *Cur enim nuper pacem religione intercedente cum Venetis ſanxiſſet, ſi id animo agitabat, ut eos nec opinantes, obſignatis fœderis pactionibus, aggrederetur? Non dolis, atque inſidiis, ſed vera virtute; non fucata armorum gloria, ſed vivido, atque aperto marte bella a ſuis majoribus illata, Reges devictos, ingentes Ottomanorum imperio acceſſiones factas. Mirari vero ſe* (inquit) *nonnullis Cypriam expeditionem adeo facilem videri, ut primo belli impetu vinci, ac debellari queat. Quis non ignoret, eam inſulam, natura, atque arte munitam; oppidis ad quoslibet ſuſtinendos hoſtium impetus, aggeribus, propugnaculis prævalidam; milite, commeatu, bellicis tormentis, ac machinis inſtructam, ut non niſi multum temporis inſumendum, ingentes apparatus conficiendi, nec parum ſanguinis in ea obtinenda exhauriendum ſit? Suleimanum Melitam, inſulam neque magnitudine, neque arcibus, neque incolarum numero, ac divitiis cum Cypro comparandam, paucos annos ante aggreſſum, cum in ea oppugnanda claſſem numero, ac viribus præpotentem inſtruxiſſet, diu, multumque in illius oppugnatione inſudaſſet, irrito eventu cum multa ſuorum ſtrage, atque internecione ingloriam diſceſſiſſe.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *Neque vero tunc cum ea Republica agendum erat, quæ maritimis rebus assueta, triremibus, militibus, pecunia diuturna pace collecta, paratissima esset; quæ reliquorum Regum, christianorumque Principum arma ad se allicere, ac mutuo fœdere conjungere valeret; ut non tantum cum Venetis, sed cum reliquis christianæ religionis Principibus certandum sit; verendumque, ne, quæ Christianorum ingenti multitudine intra viscera Ottomanici imperii novæ res quotidie animo volvuntur, metu quamvis premantur, tandem erumpant, intestinisque dissidiis, ac tumultibus non minus, quam externis armis conflictemur. Quod si augendi, propagandique imperii cupido invadit, cur potius in Hispanos, perpetuos Ottomanici nominis hostes, arma non convertimus? cur assiduis precibus, ac lachrymis opem implorantes Bæticæ populos negligimus? cur eorum, qui eadem religione, iisdem sacris utuntur, voces spernimus, quibus si mature subveniatur, nobiliore, ac potiore Hispaniæ parte occupata, victricia Ottomanorum vexilla in occidentem explicare liceat?* His, atque aliis a Cypria expeditione avertere Mehemetes Selymum nitebatur.

Mustaphæ adhortatio, ut bellum Cyprium suscipiatur.

Contra Mustaphas censebat, vir turbidus, atque militari fastu ferox, qui multis nominibus gratiam a Selymo inierat; tum eo præsertim, quod a Bajazete fratre in Bythyniam compulsus, ingenti cum trepidatione, ac tumultu præda victori cessurus, ejus prudentia, ac virtute, exercitus fronte in hostem conversa, a summo periculo creptus, victoria potitus, fratrem in Persidem sese recipere coegisset. Itaque Ottomanorum Regum virtutem, ac potentiam extollere; gesta evehere. *Magnam orbis terrarum partem, non inanis prudentiæ fuco, sed militari disciplina, atque armis subegisse; neminem non tanti imperii heredem, fines, nova provinciarum regnorumque adjectione propagasse. Avi, cujus nomen gestaret, Selymus meminisset, qui cuncta regni titulis minora existimans, fratrum, nepotumque interitu, severiori imperandi lege invecta, qua hucusque Ottomanorum Imperium stetit, Syriam, Aegyptumque, Mamalucis pulsis, subegisset, ac veluti belli fulgur, quacumque pergeret, cuncta prosternens sibi parere coegisset. Suleimani patris egregiam fortitudinem inspiceret, qui Albam græcam, Rhodum, Peloponnesum, maximamque Pannoniæ*

niæ partem in suam potestatem redegisset; atque ex animi pectore martem adhuc spirans, Zighetum extinctus occupasset. Nec esse cur Melitæ successu deterritus, a Cypro abstineret, immo notam, si qua ea ex re Turcico nomini inusta foret, delendam esse. Inanes concordiæ, ac pacis conditiones, regnandi, atque imperitandi legibus subesse. Quis vero existimet (inquit) *immensis potentissimi Regis opibus, ac viribus Venetos diu obsistere, tantoque maris intervallo dissitam in faucibus Ciliciæ insulam tutari posse? At reliqui Christiani Principes ad juvandam Venetam Rempublicam auxilia, atque arma conferent. An Maximilianus Imperator inducias nuper factas, Zigheto amisso, infaustis præteritarum cladium successibus perteritus, violabit? An Carolus Galliæ Rex, qui semper Ottomanorum Principum amicitiam magnifecit, Gallia intestinis dissidiis, atque civili bello laborante, suppetias feret? Quæ porro auxilia a Pontifice expectent, cui neque pecunia, neque classis, neque triremes adsunt? Unum Philippum Hispaniæ Regem superesse, Belgico, atque Hispanico bello distentum, aliorum potius opibus egentem, quam ut præsto aliis esse possit. Subsidia si quæ collaturus est, longinqua, atque ex gentis more tardiora; suspectam Hispanorum propter ea, quæ superioribus annis ad Nicopolim accidere, fidem. Quid igitur cunctandum? cur ea, quæ jam manu tenetur, victoria ignave deserenda est, cujus fructus, atque emolumenta manifesta adeo sint, ut longiori sermone non egeant?* 1570

Selymus bellum adversus Venetos decernit.

Hac Mustaphæ oratione jam Cypri obtinendæ cupiditate inflammatus Selymi animus, adeo est permotus, ut, omni cunctatione abjecta, statim expediri triremes, Græciæ oppidatum, atque equitatum ad Chypsalam, Thraciæ oppidum, convenire jusserit; ut copiis in ampla earum regionum latitudine collectis, in Phrygiam transfretaret, atque inde recto itinere in Ciliciam e regione Cypri contenderet. Cum vero ex Marci Antonii Barbari literis Senatus certior esset factus, bellum a Selymo in Cyprum decretum esse, cunctatione abjecta, quæ hucusque hæsitabundi inter pacis spem, ac belli metum Patres fuerant, sedulo delectus militum habere; oppida, urbesque maritimas communire; navigia omnis generis instruere. Valida subsidia in Illyricum missa, quod Turcis excursiones agere, &

Marci Antonii Barbari literæ de Cypri expeditione.

Venetorum bellici apparatus ad bellum Turcicum excipiendum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 prope Reipublicæ fines itinera infesta reddere nuntiaretur Legatum ibi, atque in Epiro Joannem Legium, qui statim conscenderet, creavere; Julium Saornianum militiæ in ea provincia præfecere. Dumque crebris levioribus quamvis certaminibus in Illyrico dimicatur, Bernardi Maripetri, impigri ac strenui juvenis, equitum præfecti, virtus ac fortitudo adeo enituit, ut, conserta cum hostibus pugna, magnam equitatus manum in fugam versam dissiparet. Sed dum fervore adolescentiæ acrius fugientes insequitur, in levi brachii axilla hasta confossus, e certamine victor, Jaderam regrediens, in itinere præ nimio vulneris dolore occubuit. In ejus locum Fabius Canalis suffectus. Repressa Turcarum audacia, ne suis finibus sese efferrent, effecit.

Joannes Legius in Illyricum & Epirum legatus mittitur.

Bernardi Maripetri, equitum præfecti, virtus & obitur.

Fabius Canalis Maripetro suffectus.

Laurentio vero Amulio, legato summo cum imperio in Cretam misso, ut, delectu remigum habito, celerrime viginti triremes ea in insula armandas curaret, imperatum. Lucas Michaelius, legatus, ut Cydonem contenderet. Sebastianus Venerius, Corcyræ summus præfectus creatus. Navigia in Venetiarum portubus consistentia, ne injussa discederent, latum. Majoribus triremibus, quæ undecim erant, præfecti maritimarum rerum usu præstantes dati; dux Franciscus Duodus, vir navali disciplina, atque intrepido mentis robore insignis, designatus. Octoginta minoribus præcipui cives, maritimarum rerum virtutis fama florentes, præfecti. Navium præfectura Petro Throno, ab exilio, in quo per aliquot annos privatam vitam egerat, revocato, est attributa. Ut ingens navis (*Galeonem* vocant) aliquot ante annos stupendo artificio Victoris Fausti arte, & opera exædificata, armaretur, decretum; Hieronymus Contarenus præfectus datus. Hieronymo Zannio, marcio Procuratori, majoribus comitiis cum Senatus prærogativa, classis imperatori biennio ante creato, ex lege, cum antea non conscendisset, summum imperium obvenit. Universa vero classis triremibus octoginta, quinqueremibus undecim, onerariis navibus decem, & Fausti Galeone, constabat, qui flante vento velis considente, remis quemadmodum triremes agebatur. Iis accedebant, quæ tum Corcyræ, tum in Creta institutæ fuerant: ut centum, ac quadraginta in universum conficerent, remige, milite, tormentis, cunctisque ad bellum adeo ingens excipiendum necessariis apprime adornatæ, præter eas naves, quæ ad negotia, ac mercaturam exercendam in varias regiones delatæ expectabantur. Sfortiæ Pallavicino, qui summi gubernatoris dignitatem in continente obtinebat, atque ob egregia bello cum in Pannonia, tum in Dacia gesta, magnam militaris virtutis, ac fortitudinis de se famam concitaverat, militiæ præfectura attributa; in consiliisque capiundis classis imperatori, ac duobus legatis adjectus; quidquid a majori parte decretum foret, id ratum haberi; Zannio, ac Pallavicino in eamdem sententiam euntibus, quamprimum executioni mandari; prout res ferret, illum mari, hunc terra rem gerere, Senatus decrevit.

Laurentius Amulius legatus cum imp. in Cretam mittitur.

Lucas Michaelius legatus Cydoni præficitur.

Sebastianus Venerius Corcyræ cum imp. legatus.

Franciscus Duodus majoribus triremibus præficitur.

Petro Throno ab exilio revocato navili præfectura mandatur.

Hieronymus Zannius classis imperator.

1570

Delectus interea compluribus in Italiæ locis habebantur; multi præstantes ac clari bello duces præfectique Venetorum militiæ adscribebantur: alii ex Reipublicæ subjectis sponte nomina in militiam dabant, egregiaque animorum significatione opes, amicos, vitam ipsam Senatui deferebant; inter quos Eugenius Singliticus, Roccasius Comes, Cypriæ nobilitatis facile princeps, qui tunc lustrandi equitatus munere (*Collateralis*, ut vocant, titulo) fungebatur, cum se ad patriæ opem ferendam in Cyprum iturum, atque arma pro Republica sumpturum obtulisset, a Senatu equestribus copiis præfectus, statim conscendit, & cum mille peditibus vela in Cyprum dedit. Eodem animi ardore incitatus Hieronymus Martinengius, qui cataphractorum equitum turmæ præerat, se intra paucos dies duo ternorum militum millia confecturum, atque Tamasso Nibidio futurum, pollicitus, in ampliſſimo divi Marci foro collucentibus armis fulgens, explicatis vexillis, insigni pompa juventutis florem, quem summo studio collegerat, militari ad timpanorum sonitum vadentem gradu, ostentavit, & confertæ multitudinis, quæ forum universum compleverat, oculis exposuit. Tantum vero exarserat in singulis civitatis ordinibus in Turcas odium, tanta pro imperio tuendo alacritas, ut concepta rei bene gerendæ spes cunctorum animos ad omnes subeundos labores impelleret; nihilque ad Senatum de bello administrando deferebatur, quod universis suffragiis a Patribus non decerneretur.

Militum delectus ad Cypri propugnationem.

Hieronymi Martinengii pollicita.

Ceterum cum atrox cum potentissimo Rege certamen instaret,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 ret, neque tantum Venetæ, ſed totius chriſtianæ reipublicæ cauſa ageretur, de Selymi Cypria expeditione ſuſcepta, de maritimis, terreſtribuſque apparatibus, de Reipublicæ egregia pro imperio tutando voluntate, ac ſtudio certiores chriſtianos Principes facere viſum eſt. Itaque Senatus Michaeli Suriano, apud Pontificem Maximum oratori, mandat, eidem ſignificet: *Selymum arma terra marique comparare; reliquis ſepoſitis curis, in Cypriam tantum expeditionem incumbere, quæ licet adverſus Venetos inſtruatur, in ea tamen de univerſa chriſtiana republica procul dubio agi. Quanta Turcarum viribus ex illius inſulæ adjectione acceſſurum ſit, quæ amplitudine, divitiis, incolarum frequentia, ac ſitu præſertim mirum in modum excellat, ex qua in Syriam, atque in Judæam facilis trajectus Chriſtianis olim patuerit? His ingruentibus periculis obviam ire, atque teterrimis chriſtiani nominis hoſtibus obſiſtere, ad illum in primis ſpectare, qui Chriſti Servatoris vices in terris gereret; cujus religio, & cultus ab impuris hominibus in diſcrimen vocaretur: confidere Venetos eamdem in ſe Sedem Apoſtolicam experturos, quam in ſe ipſam difficillimis temporibus Apoſtolica Sedes Rempublicam experta ſit: pietatem Summi Pontificis, ingens conſervandæ, ac propagandæ religionis ſtudium noſſe; ſperare principem, & caput tantæ rei futurum: proinde auxilia ad immenſum hoc belli pondus ſuſtinendum expoſcere, ut ſaluberrimo exemplo reliqui Principes incitati cunctis viribus adverſus acerrimum hoſtem pro chriſtiana republica pro Dei Optimi Maximi gloria conſurgerent, ſociaque arma jungerent.* Erat in Pio eximius religionis ardor, ut ceterarum rerum oblitus, ſingulari pietate pro chriſtiana republica excubans, nihil prætermiſſurus videretur, quo immanium hoſtium conatus retunderet, Venetorumque cauſam tueretur. Itaque Suriano reſpondet: *Nihil ſibi antiquius eſſe, quam ut Venetis, quorum præclara in Apoſtolicam Sedem merita nota ſint, difficillimo hoc atque periculoſo bello opituletur: cognoſcere, ſi præpotens atque effera gens quidquam illis detrimenti intuliſſet, ejuſdem mali labem ad reliquos quoque Principes, atque adeo univerſam chriſtianam rempublicam pervaſuram. Verum ut ea, quæ mente agitaret, quemadmodum vellet, perficeret, vereri; cum præcipue quam infauſtos exitus fœdera ſuperioribus annis cum Paulo tertio Summo Pontifice, ac Carolo V. Im-*

Senatus decreto de bello Turcico Chriſtiani Principes certiores facti.

Senatus mandata ad Michaelem Surianum, oratorem ad Pontificem.

Pii Pontificis ad Surianum reſponſum.

Imperatore inita habuiſſent, nemo non ignoraret. Exhauſtas ob graviſſimas impenſas Eccleſiæ opes; Avenionem, ditionis Pontificiæ in Galliis civitatem, dum bello regnum illud univerſum æſtuaret, ſibi tutandam eſſe: quæcumque tamen poſſet, quæ temporum ratio poſtularet, omnia facturum. 1570

Re tandem ad Cardinalium collegium delata, de ope Reipublicæ periculoſo ac difficili bello ferenda verba facit; chriſtianæ rei ſtatum, Turcarum apparatus exponit. *Si Venetis vulnus infligatur; ſi maritimum illorum imperium, vireſque debilitatæ, ac confractæ ſint, verendum eſſe, ne ea tabe univerſum chriſtianæ reipublicæ corpus ſenſim corripiatur: ingenti dolore affici, in eas temporum conditiones hæc incidere, quibus chriſtianorum Principum animi divulſi, ſejunctæ mentes, inteſtina, ac civilia bella intra ampliſſima regna recrudeſcerent; neque is religionis ardor, ac pacis ſtudium vigeret, quo ſuperioribus tempeſtatibus illuſtria pro humani generis Servatoris gloria facinora patrata fuerant: id mortalium errata promerita, quæ in nos Divini numinis iram, atque vindictam provocaſſent. Quid porro tam perditis, deploratiſque temporibus faceret, niſi ut Dei Optimi Maximi, qui medio in iræ æſtu miſericordiæ nunquam obliviſcitur, opem ſupplex imploraret? atque ut Chriſtiani Principes, obliteratis odiis, deterſiſque injuriis, concordiæ vinculo adſtricti, in veri Dei cultus ac religionis infeſtiſſimos hoſtes conſpirarent, ſummas preces effunderet? præſertim vero niteretur, ut Philippum, Catholicum Regem, ac Venetos, qui generoſo auſu arma pro publica ſalute induerant, certo fœderi ſociaret. Iam ſe Regem per literas, ad ineundam cum Republica ſocietatem, invitaſſe; ejus reſponſo ad magnam ſpem erectum: celeritate opus eſſe, ne proſpero aliquo ſucceſſu inflatus hoſtis, majores ſpiritus ſumat: cum eo etenim agendum, qui nullam in Venetos, quibuſcum nuper pacem jurejurando ſanxerat, cauſam nactus, arma intulerit; qui non lege, non promiſſis, non religione impudens, atque provehendi imperii cupiditate exagitatus deterreatur; quin quocumque illum libido dominandi rapiat, eo præceps feratur. Quid igitur? patiemur (inquit) in media chriſtianæ reipublicæ viſcera tamquam ſenſu carentes, ac ſtupore defixi, ferrum adigi? an poſteris querelarum de nobis, deque totius chriſtiani orbis Principibus juſtam anſam relinquemus, quod, adeo*

Pii Pontif. ad Cardinales de ſubſidiis Venetis conferendis ſermo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *eo neceſſaria oblata opportunitate, obtorpuerimus, quod bellum adverſus Chriſti hoſtes laceſſiti, ac impetiti detrectaverimus? An Selymum regio nomine ac faſtu tumidum, otio ac libidini deditum, nulliſque regiis virtutibus ornatum, claſſe, quam modo Helleſponto, neque numero, neque robore ſatis inſtructam emiſit, impune ſpretis Chriſtianorum viribus, per orientis maria graſſari patiemur, jamque ante victoriam de Cypro triumphum canere? Quis enim ignorat, ea inſula amiſſa, omnem ſpem in poſterum ſanctiſſimi Servatoris noſtri ſepulchri recuperandi ſublatum iri? E contra ex facili inde in Syriam tranſitu (niſi prorſus in chriſtianorum Principum pectoribus priſcæ virtutis ſemina extincta ſint) fortaſſis aliquando futurum, ut religioſæ vetuſtatis exempla renoventur. Cunctis itaque nervis enitendum, ut mutuo fœdere Philippus, ac Veneti conjungantur: id ſi, ut ſperandum videtur, ex voto evenerit, Cæſarem, Reges, ac reliquos chriſtianæ reipublicæ dynaſtas invitandos. Neque porro quid multorum ſermonibus circumferatur neſcire, tempus tantis rebus perficiendis nimium maturum eſſe, fœdere etiam inito, nihil eorum, quæ decreta ſint, hoc anno confici poſſe. Haud ſane diffiteri, tantas res, ingentia adeo molimina tempore egere: attamen eos Hiſpanorum, Venetorumque apparatus eſſe, ut cum hoſte pugnare, atque victoria potiri, dummodo expedita conſilia capiantur, haud difficile ſit. Cunctatione igitur remota, alacriter, ac ſtrenue agendum, neque Dei Optimi maximi cauſam, ſi pietas, ſi religio, ſi pudor ingenuos ac pios animos accendit, deſerendam eſſe. Quod ſi ipſemet aliquatenus uſui in graviſſimo hoc bello eſſe poſſet, libenter claſſem conſcenſurum, ac pro Dei gloria, pro chriſtianæ reipublicæ utilitate, ac dignitate mortem quoque ipſam oppetiturum.*

His in hanc ſententiam dictis, cum aliquantiſper ſubſtitiſſet, *Cupere ſe* (inquit) *quæ Patrum ſententia ac voluntas in re graviſſima, ſit, ut nil, niſi communi conſenſu decernatur, intelligere.* Tunc plerique Cardinalium Pium ſummis laudibus extollere; per ſe incenſum magis inflammare, hortari; quidquid virium pontificiæ ditiones obtineant, id totum ad Venetos juvandos promptiſſime conferat; literis, ac nuntiis Chriſtianos Principes, ne Reipublicæ deſint, roget, obteſtetur;

1570 *Granuelani Cardinalis malevolum in Venetos officium.*

tur; adverſus communem hoſtem pro ſuo munere concitet, atque impellat. Unus Granuelanus Cardinalis a Pontifice diſſentiens, de Republica eſt obloquutus: *Venetos per multos annos aliorum ſumma pericula, exantlatos labores, illatas, acceptaſque clades ſedentes inſpexiſſe; tempus adeſſe, quo ceteri quoque eorum calamitates intueantur, quibus ſi quid durius hoc bello accidiſſet, tunc de ope, atque auxilio illis ferendo agendum. E vagina eductis gladiis, cruore reſperſos ſanctius pactiones, ac fœdera ſervaturos.* His aculeatis in Rempublicam Granuelani verbis plerique vehementer commoti ſunt; neque defuere qui Venetos a calumnia vindicarent, ſuperiori bello ab iis geſta jure meritoque facta tuerentur. *Invictos coactoſque ad pacem cum hoſte deſcendiſſe, quod poſt bellum triennio ſuis fere unicum ſumptibus adminiſtratum, ab Hiſpanis promiſſa de frumento ac commeatu urbi & claſſi ſuppeditando, uti fœdere cautum fuerat, non præſtarentur: quod Neocaſtrum ex pactionibus debitum retinuiſſent: priſci annales excuterentur; Reipublicæ geſta ab illius origine evolverentur: Venetos continenter pro chriſtiana religione adverſus barbaras gentes, pro Apoſtolica Sede ornanda atque amplificanda nullis laboribus, nullis ſumptibus, non denique civium ſanguini, non vitæ pepercisſe ſatis conſtabit: labefactari illos non poſſe, quin eodem impulſu reliqui Principes, ac præſertim pontificia dignitas concutiatur. Cur igitur Pius cunctaretur? cur vivido Venetorum ad bellum ſuſcipiendum impetu ad hoſtem opprimendum non uteretur? Quia enim hac conſiliorum hæſitatione ſperandum, niſi ut fervor in Republica conceptus, ſenſim remiſſus evaneſcat, ac quilibet pacis conditiones ab inſolenti, & potentiſſimo hoſte, dum ſe ab aliis deſertam viderit, accipiat; atque inde magnum reipublicæ chriſtianæ detrimentum accedat, indelebilisque ſacro huic Collegio nota a poſteris inuratur, quod oblatam obtundendi hoſtis, atque a noſtris cervicibus depellendi opportunitatem perſocordiam omiſerit.*

A Granuelani maledictis & calumniis Veneti vindicati.

Pontifex igitur, qui antea per Sufianam legatum de fœdere iciendo, deque Hiſpanica claſſe cum nostra conjungenda ſententiam Senatui aperuerat, ſtatim Ludovicum Torretum, Auditorem, in Hiſpaniam ad Philippum mittit: præcipit, omni ſtudio curet, ut quamprimum a Rege triremes quinquaginta, Ve-

Ludovicus Torreus a Pontifice in Hiſpaniam mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 Venetorum ſubſidio, uti pollicitus fuerat, ad Meſſanam cogantur; atque ſi fœdus ineundum exiſtimet, ſuis Romæ mandet, ut quamprimum de conditionibus agatur. Torreus Genuæ Leonardum Donatum, quem Senatus Sigiſmundo Caballio in Hiſpanica legatione ſuffecerat, offendit; eademque triremi ambo Barchinonem delati, cum Rex Madriti non adeſſet, ſtatim in Bæticam profecti, Cordubam ſe conferunt, quo Philippus ad Maurorum opprimendas ſeditiones, tumultuſque ſedandos contenderat. Ibi Torreus ad Regem perductus, Pii mandata expoſuit. *Non citra Dei Optimi Maximi voluntatem, effectum eſſe, ut quæ Selymum ad opem Bæticis ferendam arma in Hiſpaniam comparaſſe percrebuerat, ea in Cyprum convertiſset; inde enim divinitus Pium Sanctiſſimum Pontificem ingens univerſæ reipublicæ chriſtianæ bonum exoriturum vaticinari, ut tandem experrecti chriſtiani Principes, icto adverſus communem hoſtem fœdere, illius faſtum, cunctis exitium minitantis, & ſuperbiam opprimerent. Venetos, quorum res in primis agatur, maritimis viribus, publicis, privatiſque opibus florentes, nihil ad imperium, libertatemque ſuſtinendam prætermiſſuros; eorum exemplo reliquos incitatos Principes ſponte ad commune reſtinguendum incendium convolaturos; ex eo cum aliis, tum vero ſibi in primis ingentem gloriæ cumulum acceſsurum; ad veram laudem nitenti majorem ſtimulum addi non poſse, quam egregiis factis in omnem poſteritatem propagata memoria. Si vero utilitatis tanta in re habenda ratio ſit, majorem hac ne optari quidem poſse, niſi fortaſse id parum videtur, a potentiſſimorum hoſtium Hiſpaniæ imminentium metu, ab immanibus impenſis, quæ in ſinuoſo terrarum, mariſque tractu cuſtodiendo ſuſtinentur, ſe eximere, quod fœderatæ claſſis tantum opinione certo ſperandum ſit, regnum aſſiduo ſumptu, populos gravi onere liberare, demptaque Mauris Turcicorum auxiliorum ſpe, facile motus Hiſpanicos comprimere, de ſceleratis, ac perduellibus juſtas pœnas ſumere. Qua in re quidquid auctoritatis in Pio Summo Pontifice ſit, eam omnem ad Philippi utilitatem, ac decus collaturum, pecuniam ſacram ex opimis Hiſpaniæ ſacerdotiis conceſsurum. Quapropter illius nomine petere, orare, flagitare, alacri animo fœdus amplectatur: pertractandi munus ſuis Romæ man-*

Leonardus Donatus orator in Hiſpaniam proficiſcitur.

Ludovici Torrei cum Philippo Rege officium.

mandet; triremes Meſſanam, quæ Venetis, dum interim de 1570
ſocietate agatur, præſto ſint, mittat; commeatus e Sicilia, & Apulia in claſſis, inſularumque uſus concedat: hoc eximio pietatis, ac religionis argumento ſuum erga Apoſtolicam Sedem obſequium, atque obſervantiam declaraturum, perpetuoque ſibi Venetorum clariſſimam Rempublicam devincturum.

Ad ea breviter Philippus: *Summa ſe veneratione Pium Pontificem Maximum proſequi; magna in exiſtimatione Venetam Rempublicam habere; quantum ſibi oneris chriſtianæ reipublicæ religioniſque tuendæ incumbat, noſſe; rem vero ejus ponderis, ac momenti eſſe, ut mature conſulto opus ſit; itaque negotio expenſo, conſilioque ſuorum adhibito, reſponſurum.* Interea a Leonardo Donato nullum officii genus omittebatur, quo Regem ad claſſem in Siciliam cogendam, ad commeatus exhibendos, mentemque de ſocietate contrahenda declarandam impelleret. Joannes quoque Baptiſta Caſtanea, Pontificis nuntius, ad conſilium expediendum Philippum vehementer urgebat. Cum tandem poſt menſem ita a regiis reſponſum eſt: *In fœdus alacri animo Regem conſenſurum, omnes conatus & nervos in Turcas intenturum, de ſocietate agendi mandata Joanni Zunizæ, apud Pium legato, Antonio Granuelano, ac Pacecco Cardinalibus daturum: quamprimum quinquaginta triremes Meſſanam convenirent, curaturum; frumentum, perſolutis portoriis, permiſſurum. Ceterum, ut bello gerendo ſufficere poſſit, Pium rogare, ut cruciarium vectigal a ſuperioribus Pontificibus ſibi oblatum, triremes olim ad Meningem inſulam amiſsas conceſsum, quod ipſe ſuſtulerat, ex quo ſingulis annis quadringenta aureorum millia exigerentur, denuo concederet; præterea jus in Hiſpania, ac Sicilia decumas ab eo, qui in ſingulis Eccleſiis opulentiora ſacerdotia obtineret (quod vectigalis genus eſcuſatum Hiſpani vocant) tribueret.* Torreus apud Philippum legationis munere perfunctus, ſtatim in Luſitaniam profiſcitur a Sebaſtiano Rege, qui tunc in primo adolescentiæ flore nondum decimum & ſeptimum annum excederat, petit, ut decem triremes, quas in Portugallia ois habebat, in orientem contendere, Hiſpanis, Venetiſque adjungi imperet. Ad ineundam cum reliquis Principibus adverſus communem hoſtem ſocietatem allicere, atque impellere adnitur. Verum Seba-

Philippi Regis ad Torreum reſponſum.

Ludovicus Torreus in Luſitaniâ ad Sebaſtianum Regem contendit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 Sebaſtianus neque triremes, uti maxime optabat, ad Venetorum auxilium mittere poſſe reſpondit, quod ob peſtilentiam, quæ eo anno Ulyſippone ſævierat, multis mortalibus abſumptis, remiges extincti forent; neque, bello in India orientali diſtentum, in quo ſingulis annis immenſam auri vim effunderet, inire fœdus poſſe.

Cum autem maximum ad totius rei ſummam momentum, Maximiliano ſibi adjuncto, acceſſurum Patres exiſtimarent, ut præteritis Turcarum injuriis infenſum animum pertentarent, atque incenderent, per Joannem Michaelium, ordinarium legatum, virum mirabili ingenii dexteritate, atque rerum agendarum uſu præſtantem, Cæſarem hortantur, *ut generoſo impetu virtutem, quam ſæpius præclaris geſtis ſignificaverat, in ſe ipſo ſuſcitaret: oblatam, quam ſæpius concupiverat, occaſionem eſſe, ut, Selymo in Cypria expeditione occupato, atque in maritimos apparatus cunctis Turcarum effuſis viribus, nullo obſiſtente, arma in communes hoſtes converteret, ademptoſque ſibi Pannoniæ fines recuperaret; qua in re non ancipiti conſilio opus eſſe, ſtatim bellum inferendum, neque expectandum, ut acerrimus hoſtis nulla inducia-rum, nulla jurisjurandi habita ratione, acrius inſurgeret, cujus proterendi tempus ſummo Dei Optimi Maximi beneficio nunc objiceretur*. Cæſar ampliſſimis verbis propenſum in Rempublicam ſtudium, egregiam in commune bonum mentem oſtendit; nulla in re ſuo muneri defuturum pollicetur; Senatum ad bellum alacriter ſuſcipiendum, conſtanterque adminiſtrandum hortatur; ejus exemplo reliquos Principes in communem cauſam majori nixu incubituros; quæcumque a ſe expectari poſſent, ea omnia præſtaturum; a ſua ſententia fratres non diſceſſuros: magna quinimmo ſpe adduci, fore ut Sarmatiæ Rex, ac Moſcoviæ Dux ejus incitati auctoritate arma induerent: quæ tamen Philippus Hiſpaniæ Rex, ad quem nuper eam ob cauſam certum hominem miſerat, mente agitaret, quid Principes reliqui meditarentur, prius explorandum eſſe. Sed cum Pontificem auctoritate plurimum apud Cæſarem poſſe conſtaret, inopportune acciderat, ut per id tempus inter Pium, ac Maximilianum diſſidia, ac ſimultates ob *Magni Ducis Hetruriæ* titulum, quo Coſmus nuper a Pio

Veneti Maximiliani Cæſarem in Turcas incendere nituntur.

Pii Pontificis & Cæſaris diſſidia ob Hetruriæ Magni Ducis titulum.

Pio fuerat decoratus, exorirentur, quod ejus legato, ut ipſe ajebat, adverſante, ne dum ſe inſcio, effectum fuerat; qua ex re ſuæ detractum auctoritati, Cæſarei faſtigii decus imminutum eſſe, acerbe admodum conquerebatur; geſtiſque pontificiis, uti juri adverſis, reſciſſis, legatos, qui id illi obnunciarent, Romam miſerat. Senatus vero, ne ex parvis initiis ingens excitaretur incendium, omnem induſtriam, ac ſtudium ad Pii, ac Maximiliani conciliandos animos adhibebat. 1570

Ac ne in communi cauſa Carolus Gallorum Rex prætermiſſus videretur, licet civilibus tempeſtatibus Gallia jactata, illum a vetuſta Ottomanorum amicitia abducere difficile admodum Patres arbitrarentur; attamen Aloyſio Contareno legato imperant, Carolum hortetur, ſuadeat, ne periclitanti chriſtianæ reipublicæ deſit, fœdus adverſus communem hoſtem amplectatur; id Chriſtianiſſimis, quos gerit, titulis convenire; majorum ſuorum præclaris meritis ab ſe deberi; Gallorum virtutis proprium eſſe, qui, immenſis terrarum mariſque ſpatiis peragratis, Chriſti Servatoris vexilla in remotiſſimas regiones intulerant, ac de barbaris, præferocibuſque gentibus triumphum egerant. His Reipublicæ officiis vehementer Pontifex favebat, haud parum conducere ratus, ſi maximum, ac potentiſſimum Regem fœderi adjungeret. Quamvis enim innumeris tunc Galliæ regnum difficultatibus premeretur, minoraque ob id expectari ſubſidia poſſent; attamen auctoritate quamplurimum roboris, atque exiſtimationis ſociis acceſſurum videbatur. Verum Carolus, pietate quamvis ac religione inſignis, ea temporum conditione regnum nactus fuerat, qua ob religionis diſſidia, inveteratque procerum odia, ingentibus fluctibus cuncta exæſtuabant. Quocirca legato Reipublicæ reſpondet: *Cur ſocietatem cum reliquis Principibus inire nequeat, notum eſſe; ſperare, Rempublicam, quæ eximiam illius voluntatem perſpectam, ac cognitam habeat, juſtas excuſationes probaturam. Sed proſpicientem, in quot bellorum anfractus ſeſe demittere, vehementer cavere, ob damna, ac moleſtias, quo aſſidua bellorum comites eſſe ſolent, ne cum Turcis arma conſereret: quapropter ſi quid pro pace confirmanda poſſet, omnem operam cum Rege ſibi*

Venetorum officium cit Carolo Galliæ Regi.

Caroli Regis reſponſum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *ſibi amico adhibiturum, atque ad eam tractandam ſuos homines Byzantium miſſurum.*

Itali Principes ad Venetos juvandos animati.

Verum cum militaribus apparatibus cuncta conſtreperent, atque omne ſtudium ad reliquos Principes inflammandos a Senatu impenderetur, alienum viſum eſt, pertenui atque exili concordiæ ſpe tot magnarum rerum orſus interturbare; Principum animos hebetare; in civibus ſumma ope ad ea, quæ tanto bello adminiſtrando neceſſaria erant, incumbentibus, vividum ardorem extinguere; cum præſertim Pontificis auctoritatem omnes fere Italiæ Principes, Florentiæ nempe, Sabaudiæ, Urbini Duces ſequerentur. Coſmus recenti beneficio devinctus nulla in re ab illius ſententia, conſiliiſque diſcedebat. Carolus Emanuel ſe ſuaque omnia, ac triremes præcipue deferebat. Guidobaldus Urbinas pollicitis nemini concedebat. Unum Alphonſum Ferrariæ Ducem de ſalis vectigalibus, deque per Padum navigatione cum Pontifice contentiones exortæ diſtinebant; qui adeo in ſe illius iracundiam incitaverat, ut ni de ſententia deflecteret, armis illum in ordinem redacturum minaretur: Alphonſus vero, ut jura a majoribus ſuis ſibi relicta tueretur, nihil non tentaturum; omnia extrema ſubiturum; Gallos quoque hæreſeos labe infectos ad ſui tutelam in Italiam, ſi ita res poſceret, evocaturum affirmaret. Ex his diſſidiis cum multa chriſtianæ reipublicæ incommoda evenire, fœderiſque negotium abrumpi facile poſſe Patres animadverterent, Joannem Formentum, a Decemvirum ſecretis, Ferrariam miſere, qui Alphonſi animum ſedare, atque ad controverſias cum Pontifice amice componendas flectere niteretur. Eodemque officii genere Suriani dexteritate Pontifice delinito, ingentis mali ſemina compreſſa ſunt.

Pii Pontificis, Alphonſi Ferrariæ Ducis diſſidia compoſita.

Ne vero quidquam ad Selymi frangendos impetus prætermitteretur, majorum exemplo, qui cum Perſarum Regibus, ſæpius ultro citroque legationibus mittendis, amicitiam aluerant, Vincentio Alexandro, Veneto civi, viro multarum linguarum, ac Turcicæ in primis (utpote qui diu Byzantii vixerat) ſcientiſſimo, atque itinerum peritiſſimo, Senatus præcepit, ut quamprimum in Perſidem profectus, Tamaſum Regem ad bellum Turcis inferendum, ſibique illatas injurias ulciſcendas impelleret. Is terreſtri itinere per Germaniam, Sarmatiam, &

Vincentius Alexander in Perſidē proficiſci juſſus.

Mœ-

Mœſiam ad Euxinum mare cum perveniſſet navigio, e Moncaſtro civitate ad Sinopem delatus, inde Tauriſium contendit; ibique Rege non invento, *Caſbinum* (quam vetuſtam Arſaciam perhibent) proficiſcitur; noctu, more gentis, media licet æſtate, Caidarem Sultanum, tertium Regis natum, illiuſque vices obtinentem, adiens, cauſam tanti emenſi itineris patefecit; de bello a Selymo Venetis illato; de chriſtianorum Principum cum maritimis, tum terreſtribus viribus, quæ adverſus illum parabantur, edocet: ſuadet, ne tam præclaram occaſionem elabi ſinat: Aſia milite nudata, dum omnes Cyprum adoriuntur, impetum in Turcicas ditiones faciat, certam de hoſtibus victoriam relaturus. Hæc cum libenter a Caidare audita eſſent, daturum operam, ut ad patris conſpectum admitteretur, pollicitus eſt. Re in diem dilata, conſilio, & opera Cozæ Alis, Tauriſiani negotiatoris, cui eodem tempore Venetiis diſcedenti negotium hoc commendatum fuerat, cum magno Perſarum ſcriba tranſegit: tandemque ejuſmodi reſponſum tulit. *Tamaſum ſapientiſſimum Regem eſſe; maturius in ſummi momenti re incedendum arbitrari; proinde, quorſum fœderatorum Principum conatus provehantur, expectaturum; ex iis firmiora conſilia capturum.* Vincentius, re infecta, ne viſo quidem Rege, diſceſſit, ſpeſque de Perſa in Turcas commovendo irrito eventu ceſſit, vel Tamaſi ſenecta, qua confectus otium, quam militares curas malebat, vel in compeſcendis inteſtinis Mediæ tumultibus, occupatis armis, Hampſe Regis filio natu maximo, cum decem millium equitum copiis in eam regionem ad rebelles plectendos profecto.

1570

Vincentii Alexandri officium cū Caidare Regis Perſarum filio

Tamaſi Perſarum Regis ad Venetum nuncium reſponſum.

Dum hæc fiunt, cum diutius hoſtilem in Rempublicam animum Turcæ tegere nequirent, Venetos in Illyrici, atque Epiri ditionibus, quæ Selymo obtemperabant, negotiatores, bonaque intercipiunt, naves, exoneratis mercibus, in Byzantii portu detinent, redituque interdicunt. Quibus de rebus Senatus certior factus, Turcas mercatores, atque eorum mercimonia, quæ in urbe erant, cuſtodiæ publicæ tradi juſſit. Mamutem (ex eo hominum genere, quos Turcæ *Zaujis* vocant, a quo legationum munera obeuntur) qui ſuperioribus menſibus Venetias acceſſerat, cuſtodiri præcipit. Hunc Selymus

Turcæ Venetos mercatores detinent.

Veneti Turcas & eorū merces in cuſtodiam tradunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 ad Carolum Galliæ Regem legaverat, Uburgo Gallo comitante; qui Uburgus, ut Regis nomine de navigatione, & mercatorum negotiis ageret, Byzantium se profectum affirmabat. Mamutes per speciem negotii ad privatos mercatores spectantis, cum Venetis tractandi, Arnoldo Ferrerio, Caroli legato, suadente, ut sui Regis mentem de illius in Galliam itinere certius intelligeret, Venetiis substiterat, non absque suspicione, quod ad res Venetorum, bellicosque apparatus explorandos missus esset; Patrumque Collegium adiens, Principe, ac Patribus Selymi, ac Mehemetis Visiri nomine consalutatis, constanter affirmaverat, in Rege, ac Bassa conservandæ amicitiæ, ac pacis studium vigere; eorum, qui secus sermonibus jactarent, voces, uti vulgi commenta, prorsus negligendas esse; Selymique literas ad Senatum dederat, quibus ut nonnulla ab Vschocis Turcis negotiatoribus damna illata sarcirentur, petebat; pauciscque exactis diebus, in Uburgum, a quo se deceptum conquerebatur, acrius invectus, per Insubres itineris in Galliam faciundi facultatem expectaturum, neque Venetiis discessurum, seque omnino in Senatus voluntate futurum, constanter ajebat. At Ferrerius, Regis legatus, ut Mamutes, quem Patres detineri jusserant, dimitteretur, flagitabat; æquum non esse, ut ei, qui legatus ad suum Regem proficiscebatur, iter per Reipublicæ fines impediretur. Ad hæc Princeps, ad Venetos quoque cum literis missum Mamutem esse; hostis legatum detineri belli jure potuisse, respondet. At Carolus, iis, quæ Patres impulerant, intellectis, ob eam rem nihil de sua dignitate detractum voluisse animadvertens, quæ facta fuerant, jure facta esse cognovit. Compertum postea fuit, singulari astu Turcas, speculatoris munere Mamuti delato, pacis spe suspensos animos in perficiendis iis, quæ ad bellum necessaria erant, languidiores efficere studuisse; ex quo non minimum iis utilitatis, nostris vero haud parum detrimenti accessit, cum de rerum statu certiores facti, tempestive triremes sarcire, navales apparatus instruere, ac nonnunquam ab opere cessando nostris illudere potuerint. Mamutes igitur Veronam missus, atque in Divi Felicis arce custodiri jussus est.

Mamutes Turcarum Zaussius Venetiis detinetur.

Mamutes Veronæ in Divi Felicis arce custodiri jubetur.

Dum hæc geruntur, Selymus, ut, ineunte vere, præpotentem classem Hellesponto educeret, summo studio nitebantur: navales fa-

fabros ad opus urgere; novas triremes exædificare; veteres sarcire; tormenta fundere; ipse nonnunquam præsens adesse; fossorum ingentem numerum in Græcia conscribere; in Peloponneso magnam nautici panis vim conficere. Remiges interea Byzantium ad classem confluebant; triremes vigintiquinque ad apparatus bellicos ex Alexandria subvehendos instruebantur. Turcis pertimescentibus, ne, triremium manu primo quoque tempore a Venetis in oras illas immissa, ea navigatione intercluderentur: cœptam insuper in Leuctris Mainæ munitionem urgebant, ut, navigiis aliquot in tuta statione locatis, subsidia, quæ in Cyprum mitterentur, interciperent. Regi (uti vulgo ferebatur) in expeditionem ituro infinitus prope Camelorum numerus, impedimenta, sarcinæ, quæque Ottomanis Principibus ad bellum proficiscentibus ingenti sumptu expediri solent, parabantur, ut jam consilia, quæ mira dissimulatione tegere conati fuerant, licet antea erupissent, diutius premere Turcæ non possent. Itaque Mehemetes Hibraimum ad Marcum Antonium Barbarum mittit, qui Cyprum a Selymo postulari significet. Idem postea ipse quoque Regis nomine a legato petit; causas prætendit, quibus justum Reipublicæ bellum inferri demonstret: *Piratas christianos in Cypro recipi; ea, quibus opus habeant, suppeditari; a magistratibus (uti pacis legibus cavebatur) non coerceri; inde iis locis insidentes, Turcarum navigia, negotiatores ultro, citroque commeantes intercipere, prædas agere.* Addit, *piratas Turcas, qui post prælium initum vivi in Venetorum potestatem venirent, crudeliter jugulari, neque ex pacis præscripto Byzantium mitti; proinde legis interpretes ob fœdus a Republica violatum Selymum jurejurando solutum affirmare; illius conscientiæ religionem injicere, quod Cyprum, quæ Musulmanorum fuerat, aliis parere, ubi eorum templa extitissent, nunc Christianorum ecclesias inspici pateretur. His commotum antequam in Imperio succederet, Cypriam expeditionem decrevisse.*

1570

Turcæ Cypri a Marco Antonio Barbaro legato petit.

His auditis, *minime sibi videri*, Barbarus inquit, *ullam in Venetos arma movendi Selymo justam causam esse; cunctis patere, prædones, qui in Cyprum ad aquationem faciendam, aut commeatus capiendos, accederent, ab equitatu, qui a Republica alebatur, semper rejectos; navigia vero, ac Selymi*

Marci Antonii Barbari ad Turcas responsum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *ſubjectos receptos ; quibus indiguiſsent , ea liberaliter exhibita ; piratas omni ſcelere contaminatos ſæpius Byzantium miſſos , dumque meritas luere pœnas debuiſsent , impune libertati reſtitutos . Cypriis nunquam Turcas imperaſse . An vero ita Reipublicæ in ſervandis pollicitis fidem rependi , quam ab Ottomanorum amicitia , magnis licet propoſitis præmiis , abducere reliqui Principes nequiviſsent ; quippe quæ pacem inviolatam ſervare , nec quidquam contra jus gentium , ac jusjurandum agere conſueviſset* ? His , atque aliis a legato dictis , Mehemetes ne minimum quidem commotus , *Selymo* , inquit , *Cypro omnino potiri conſtitutum eſse ; ſi ſponte id Reſpublica permittat , pacem in reliquis Venetorum finibus ſervari curaturum ; quod ad ſe attineret , ſemper a bello averſum , ut Selymum de ſententia deduceret , omni ſtudio contendiſse* . Barbarus , ſolerti atque acri vir ingenio , cum fixam , atque adeo immotam Selymi ſententiam intelligeret , multa animo volvere , varia mente agitare , ſi forte remorari impetum , & ſiſtere aliquantiſper armorum motus poſſet , ut interea Reſpublica ad tantum bellum ſuſcipiendum accuratius ſe compararet . Cum Hibraimo igitur conqueritur *tabellarios a ſe Venetias miſsos , eo tempore interceptos , quos , ut itineri tutius ſe committerent , citiuſque Selymi poſtulata perferrent , juvari non modo debuerant , verum a Rege certum hominem , qui tanta de re Patres certiores faceret , mitti oportuerat : indignum tanto Rege eſſe , eos improviſo adoriri , quibus jurejurando fidem præſtitiſset . An vero arma illi defutura , quibus , ſi ita occaſio poſceret , uteretur ? cur non prius quam vim experiretur , jure atque amice ageret* ? His ab Hibraimo Mehemeti nunciatis , minime illi difficile fuit , Selymo ſuadere , ad Cyprum petendam ut legatum Venetias mitteret ; cum præſertim , cura omni licet ac ſtudio adhibito , nondum ad inſulam invadendam neceſſaria in promptu , atque expedita haberet ; ingentis Chriſtianorum apparatus fama Byzantium perlata haud parum commoveretur ; pace inter Sarmatas , ac Moſcos Cæſaris auctoritate ſancita , ſolicitaretur ; neque eum minus , quod ſequeſter fuiſſet tum concordiæ quam quod in perſolvendo Pannoniæ vectigali moras necteret , ſuſpectum haberet. Uluzzalis quinetiam, Leptitanus Baſſa , claſſem fla-

flagitabat , qua & Mauris in Hiſpania ſubveniret , & Tunetum ab 1570
ſe captum tutaretur . Arabum præterea ad Gemenum conatus erant comprimendi , cum in dies latius ſuos fines in Turcicos agros protenderent . Perſarum Regis vetus odium , recentes motus ſtimulabant . Anceps quoque de Caroli Galliarum Regis voluntate Selymus erat , quod , Gallico navigio , ut Joanni Michæ ſatisfaceret , Alexandriæ detento , vehementer excanduiſſet . Populi præterea non ea , qua opus erat , alacritate , arma capiebant , inſueto gentis timore acti . In Baſſarum primoribus perplexa conſilia ; ſententias ex die immutabant , ita ut nonnullos jam eorum , quæ acta fuerant , pœniteret . Regis quoque animus variis curis agitatus nonnunquam fluctuaret .

Itaque Mehemetes per Hibraimum a Barbaro flagitat , conſulatne , certum hominem , ut Reipublicæ ſententiam noſcat , Venetias mitti ? Id cum legatus probaſſet , inito denuo inter Baſſam , & Barbarum colloquio ; an ei acceſſus , redituſque tutus foret , Mehemetes petit ; Barbaro ampliſſimis verbis annuente , tandem ſe Zauſium ad Rempublicam miſſurum pollicetur ; enixe legatum rogat , Senatui ſuadeat , Selymo ſatisfaciat : Cypro tradita , ut perpetuo pax ſarta ſervetur , curaturum ſpondet . Cubates ad id munus obeundum deligitur : uſque ad illius reditum ut arma conquieſcant , edicitur . Aloyſium Bonricium , a ſecretis Senatus , virum impigrum , atque rerum uſu præſtantem , Barbarus cum Cubate Venetias mittit , qui de præſenti rerum ſtatu , ac de iis , quæ hactenus acciderant , Senatum doceat : ſimul a Baſſa obtinet , ut Aloyſio filio adoleſcenti in patriam reditum permittat , cujus ea tempeſtate Byzantii mora , ob efferatæ gentis inſolentiam , minime tuta videbatur . Epidaurum quarto nonas Martii cum perveniſſent , ſtatim Bonricius ad Senatum ſcribit , ſe a legato ſocium itineris Cubati , qui ab Selymo ad Rempublicam mittebatur , adjunctum ; Barbari literas , quibus totum negotium continebatur , adnexaſque Selymi , & Mehemetis in Italicum ſermonem verſas mittit .

Cubates Turcarum Zauſius Venetias a Selymo mittitur .

Aloyſius Bonricius Venetias cum Cubate contendit .

Inopinato hoc nuntio commoti Patres , varia animo agitare , legationem averſari ; quæ ante fœderis tractationem conciliandæ pacis pignus extitiſſet , eamdem cauſam interturban-

Senatus hæſitatio ob Cubatis adventum .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 dæ ſocietatis fore, ſubvereri; ambigere, ne, ſuſpicione Hiſpanis injecta, per ſpeciem Venetos de fœdere ineundo agere, re de ſuis cum hoſte componendis rebus pertractare, penitus a ſocietate abducerentur; fœderis abjecto negotio, Selymus majori pervicacia in ſententia perſiſteret, gravioraque ſubire pericula Reſpublica cogeretur. Hinc pacis, cujus fructus uberrimos complures annos perceperant, ſpes; inde difficillimi belli metus ſolicitabant. Inter hos animorum fluctus verſantibus, ſatius, ac tutius viſum, ſe a reliquis Principibus non ſejungere; neque conceptam de jungenda ſocietate ſpem abrumpere, quam cum iis, qui nuper fidem fregerant, agendo, pacis infidæ, ac dubiæ obtentu Rempublicam deſerere. Quis enim ſatis firmum ſponſorem concordiæ illum arbitraretur, qui, vix dum obſignatis jurejurando pacis tabulis, eamdem corrupiſſet? Ut igitur omnem ex Hiſpanorum animis Senatus ſuſpicionem eximeret, Bonricio per literas præcipit, ut, triremi, qua vehebatur, in portus faucibus relicta, nulla ingreſſus, uti adſolet, tormentario bombo ſignificatione edita, illico Collegium adeat. Angelo Suriano, trierarcho, mandat, neminem ad Cubatem colloquii cauſa accedere ſinat. Eodem tempore de Zauſii adventu, deque iis, quæ in mandatis a Selymo habebat, Pontifex, Cæſar, Galliarum, atque Hiſpaniæ Reges edocentur; reſponſum iniquæ petitioni conſentaneum laturum ſignificatur. Zannius imperator quamprimum conſcendere, atque cum iis, quæ jam inſtructæ erant, triremibus Jaderam, reliquas præſtolaturus, proficiſci juſſus. Ut ante Zauſii in urbem ingreſſum Selymi, ac Mehemetis poſtulatis Senatuſconſulto reſponderetur, latum.

Selymi & Mehemetis ad Senatū litera.

Selymi literis, quarum (ut diximus) exemplar Bonricius ad Senatum miſerat, ea continebantur, de quibus cum legato Baſſa conqueſtus fuerat. *Cypro in Reipublicæ poteſtate manente, de pace actum; ſi cum Ottomanis Regibus amicitiam exoptet, inſula ſponte decedendum: ſi abnuant, præmiſſa claſſe, cum terreſtribus copiis in Cyprum trajecturum, omneſque ad eam occupandam conatus adhibiturum.* Ejuſdem fere ſententiæ Mehemetis literæ erant, eo tantum adjecto: *Se Venetorum rebus, legatiſque ſemper faviſſe: Rempublicam vel ſibi nimis fidentem, vel, quam optabilis pax ſit, non reputantem*

tem, aut denique ob congeſtos theſauros atque opes nihil ſibi adverſi pertimeſcentem, leges amicitiæ, ac pacis ſpreviſſe. Selymum ob id terra, marique ingentes copias cogere: ex priſco ſuorum majorum inſtituto Cubatem legatum ad Cyprum petendam, bellumque, ni ſatisfaciat, indicendum mittere: interea, dum reſponſum Senatus expectaretur, armorum motus comprimi juſſiſſe. Non eſſe, cur vel finitimorum Principum auxiliis, vel divitiarum affluentia intumeſceret: cito aupri, atque argenti vim, qua maxime niteretur, aquæ torrentis inſtar dilapſuram. 1570

Bonricio ſtatim in curiam vocato, cum de Turcarum apparatu, de Selymi, ac purpuratorum mente, deque præſenti rerum ſtatu ab eo copioſe atque accurate eſſet dictum, Senatus cogitur; ſummo mane ſequentis diei e triremi delatum Cubatem in curiam perduci; proximum Principi de more aſſidere; at ingredienti Patres non aſſurgere, neque ulla ſalutationis ſigna edere decernitur, atque ut cum hujuſmodi reſponſo ſtatim dimitteretur, latum. *Optime Rempublicam noſſe, nil antiquius fide, ac jurejurando Principibus eſſe oportere: ob id adeo conſtanter cum Ottomanis Regibus amicitiam retinuiſſe, ut nullis ab ea opportunitatibus illecta (licet multa ſummi momenti ſolicitarent) divelli, atque abripi potuerit: receptus, atque ſubſidia piratis, qui continenter de Venetorum navigiis, ac ſubditis prædas agerent, a ſuis exhibita; frequentes in Reipublicæ fines Turcarum excurſiones, agrorum direptiones, atque occupationes factas; de illatis injuriis ſæpius ex pacis conditionibus conqueſtum, ut amice absque armis controverſiæ definirentur petitum: id ipſum Selymum, ſi ulla in re ſe læſum fuiſſe arbitraretur, efflagitare oportuiſſe. Verum poſtquam nullis juſtis de cauſis immerenti Reipublicæ bellum inferre ſtatuerit, Venetos illud non timuere, immo fortiter excipere; in ſe, ſuiſque rebus tuendis omnem operam collaturos: ſperare, Deum immortalem, qui cuncta intueretur, humanaſque mentes permearet, innocuis auxilium, atque opem præſtaturum.*

Senatus decretum, ut & Cubates ſtatim reſponſo dimitteretur.

Cubates poſtridie ejus dei ſummo mane, publica ſtipatus cuſtodia, e triremi in forum cymba devectus, per mediam concurſantem turbam in curiam aſcendit, confluente undique

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 que ad eum videndum civitate, quam curiosa perveſtigandi ſolicitudo, & rei novitas attraxerant. Principe, ac Patribus capite proclinato ſalutatis, Ducis veſtem exoſculatus, cum ſediſſet, Selymi, ac Mehemetis literas exhibuit, quibus Regis ſui mentem, quæque ab eo poſcerentur, contineri edocuit. Illico reſpondetur, verſis in noſtratem ſermonem literis, Patres Selymo, Mehemetique reſcripturos, atque ut reverti ſtatim poſſet, ei ad triremem reſcriptum perferri juſſuros. His auditis, ſtupore defixus Cubates expalluit, Regiſque, ac Baſſæ literas ſermone ſubſecutus, quæ ad Cyprum petendam Selymum impuliſſent, commemoravit. Tum decreto ſuperioris diei perlecto, & per Michaelem Membreum, Reipublicæ interpretem, Turcico idiomate expoſito, an loqui ſibi liceat, Cubates petit. Annuentibus Patribus, ſubdit: *A Mehemete ſibi injunctum, Reipublicæ ſignificet, mille navigiorum claſſem educere Regem Helleſponto poſſe; ſe tamen pro pace inſtauranda ſequeſtrem futurum.* Cum ad ea nihil reſponderetur, adjecit; *In curiam ſibi venienti nullam a plebe, quod ad Principem, ac Patres ventitaret, illatam injuriam fuiſſe; ne ſecus ſibi in reditu accidat, cum ingentem multitudinem frementem, torviſque in ſe converſam oculis circumſpexerit, ut caveatur, poſtulare.* Illum igitur, ut iratæ plebis convicia, ac probra evitaret, per oſtium magis abditum emitti placuit. Literæ, quas Byzantium perferret, ſtatim delatæ, demptis, ex Senatus decreto, titulis, qui Ottomanorum Regum elationi, ac ſuperbiæ haud impares earum fronti præfigebantur, nempe: *Sereniſſimo & Excellentiſſimo Selyn Sach, Maximo, & Invictiſſimo Regi utriuſque continentis Aſiæ, & Europæ, Arabum, Perſarum, Syriæ, atque univerſæ Aegypti,* &c. Tunc enim ea tantum inſcriptione, *Sereniſſimo Selyn Sach, Turcarum Imperatori*, inſignitæ fuere; eademque, qua acceſſerat, triremi, Epidaurum, Senatus juſſu, legatus revertitur. Ex Cubatis legatione univerſos civitatis ordines tanta indignatio cepit, ut nemo eſſet, qui non intimis exardeſcens ſenſibus, arma, bellum, faces in Turcas conclamaret; atque inter cetera id prope incredibile accidit, ut tam difficile, atroxque cum potentiſſimo hoſte bellum, cunctis Patrum ſuffragiis, quatuor tantum ex ducentis in alia euntibus,

Senatus titulos Selymo de more literis appoſitos demit.

Venetorum mira in Turcas indignatio.

bus, decerneretur; quodque inſuetum, ac prope inauditum videtur, ante Cubatis legationem reſponſum decretum fuerit, cunctis alacre Venetorum in bellum adverſus Turcas ſtudium, generoſos ad præteritas infidæ gentis vindicandas injurias, atque ad Rempublicam chriſtianam provehendam, impetus, ad ſidera uſque extollentibus. Cum pauci contra, quot, quantaſque difficultates, ac pericula ſubitura Reſpublica eſſet, præteritarum rerum ſucceſſibus edocti, jam tum animo proſpicerent. 1570

Selymi legatione dimiſſa, de ſuſcepto bello, de Senatus reſponſo Principes certiores facti, ad auxilia exhibenda, fœduſque ineundum ſolicitantur. A Pio ſummo Pontifice, præter ea, quæ ex redditibus eccleſiaſticis centum aureorum millia conceſſerat, nova ſubſidia petuntur; quamprimum expedire triremes rogatur. Maximilianus ad arma in Pannoniam convertenda, Sarmatam, ac Moſcum in ſocietatem alliciendos, legatum, quem Byzantium cum Pannonico vectigali miſerat, revocandum, omni ſtudio incitatur. *Quo enim magis reliquos Principes a fœdere deterreri, Turcis acriores ſpiritus addi poſſe, quam ſi in tanta totius Europæ commotione a Chriſtianorum Imperatore cum penſione, ac donis ſupplicem mitti ad Selymum legatum cernerent?* Sed plerumque accidit, ut humanis conſiliis, in quibus mens alternis cogitationibus defatigata, diu multumque capiendis inſudavit, impares votis exitus reſpondeant. Nam poſt ſuſceptum cum præpotente hoſte bellum, quo inflammari, atque adverſus Turcas acrius incendi Principes debuiſſent, poſt cunctorum laudibus concelebratam Veneti Senatus magnanimitatem, atque conſtantiam, tepor quidam obrepere, atque fervor ille animorum reſidere viſus eſt. In Pontifice nihil promptum, nihil expeditum, omnia differre, pleraque abnuere; atque, recrudeſcentibus cum Cæſare ob Coſmi Florentiæ Ducis titulos diſſidiis, neque pecunias concedere, neque ſuæ ditionis milites, ac commeatus aſportari ſinere, neque triremes inſtruere. In Cæſare cuncta hæſitationis, atque ambiguitatis plena: ex aliorum ſententiis pendere; ſenſa animi tegere; reſponſa obſcuris verbis involvere; ſtudium, operamque, qua adverſus communem hoſtem, uti debuerat, ad ſuimet vindicandam auctoritatem, quam a Pon-

Veneti Cæſarem & alios Principes in Turcas cõcitant.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 Pontifice indigne læſam pati nequiverant, conferre; rem ad communem Germaniæ convetum delaturum; ac ni Pius de ſententia decederet, armis acturum, minari.

Inde ſummis curis Patrum animi torquebantur, cum graviſſimi ac difficillimi belli imminentem molem, incerta atque ambigua auxilia animadverterent; fœderis ineundi ſpem ob inteſtina diſſidia elangueſcere; Rempublicam imparem tanto ſuſtinendo oneri, ni reliquos ſibi Principes adjungeret, futuram; immenſa namque auri vi ad tot, tantaſque res conficiendas opus eſſe; ex Venetis ditionibus frumenta atque annonam ad claſſem, & copias cum maritimas, tum terreſtres alendas non ſuppetere: quocirca jam in nonnullis æſtus ille, quo ad certamen cum acerrimo hoſte ſubeundum abrepti fuerant, ſenſim remitti; præſenti metu ſpes, qua nihil arduum, nihil inacceſſum fore ſibi perſuaſerant, nutare cœperat. Ad hæc poſt Cubatis diſceſſum, in Illyrico armorum motus ejus adventu compreſſi, denuo ſuborti, finitimis Turcis undique in Reipublicæ fines irruentibus, cunctaque depopulantibus. *Petri Lauretani Principis obitus.* Sub id quoque tempus Petri Lauretani Principis obitus quarto nonas maji inopportune acciderat: ac ne a belli ſtudiis novi Principis electione cives avocarentur, majoribus comitiis latum, ut Senatus præconſultores, navalium armorumque præfecti, eorum quæ decernebantur curatores, triremium inſuper gubernatores ac præfecti a Principe eligendo arcerentur. Vetus conſuetudo ex primariis civibus quinque, Ducis formulæ legibuſque corrigendis creandi, omiſſa; Triumvirum, quibus in defuncti Principis geſta inquirendi munus tribuitur, electio in aliud tempus dilata eſt. Lauretano Aloyſius Mocenicus, Eques, & marcius Procurator, eſt ſuffectus, qui ea tempeſtate rerum domi, foriſque geſtarum uſu ſolidæque virtutis opinione, & quadam altitudine animi, ac gravitate, quibus plurimum excelluit, par tanto oneri ſuſtinendo turbulentis iis temporibus habebatur. *Aloyſius Mocenicus Princeps eligitur.*

Ceterum eo rerum ſtatu, quo magis omnia difficilia ſeſe animis objiciebant, eo magis Patres eniti, inſudare, ſi qua ratione diſſidentes Principes conciliare, Pontificis iracundiam compeſcere, Cæſaris animum flectere, ipſis quoque ob eam rem ſubiratum delinire poſſent. Cum enim Coſmus, perlatis de

de bello Turcico rumoribus, Roma ad Senatum plenis humanitatis atque officii literis, opem quibuſcumque rebus poſſet, Reipublicæ detuliſſet; Patres, qui ante Angelum Guiciardinum, delatum illi a Pontifice *Magni Hetruriæ Ducis* titulum nunciantem, torque aureo donaverant, ſed a perſcribendis literis abſtinuerant; recenti benevolentiæ argumento permoti, atque ut Pio gratificarentur, literas, quibus *Magni Hetruriæ Ducis* titulus præponebatur, ad Coſmum perferendas Romam miſerant. Id cum Cæſar perſenſiſſet, parum ſuæ exiſtimationi proſpectum, Coſmum ipſius rationibus haud parum acceſſiſſe, ſibi ſuaſurum, acerbe conquerebatur. Cum magnum vel ad ſocietatem, vel ad bellum momentum in Cæſare ſitum eſſe intelligerent, nihil, quod ad eum ſibi conciliandum ſpectaret, prætermittendum rati, literas Romam delatas remitti juſſere. Inde perfuſus ſumma voluptate Cæſar, maximas Senatui gratias egit. Verum ea res ita illius animo hæſerat, ut priori obnunciatione non contentus, legatos, qui denuo idem Pontifici denunciarent, Romam mitteret. Pontifex contra, ut ab ſe acta legitime tueretur, rationes, quibus adductus novis Coſmum titulis ornaverat, ſcriptis vulgari, ac Regibus, & Principibus ſignificari mandavit, eorum auxilia, atque opem enixe admodum flagitans. Cum igitur in dies ingentis incendii ſemina alerentur, brevi in reipublicæ chriſtianæ perniciem eruptura, Senatus Pium hortabatur, ni ſtirpitus tanti mali radices excindi poſſent, cunctatione ſaltem adhibita, præſentibus rebus proſpiceret, negotium in aliud tempus differet, ne præclara fœderis ineundi jacta initia everterentur; ne hoſtes non tam propria virtute, ac viribus, quam noſtris contentionibus aucti, audacius inſurgerent, divulſamque chriſtianam rempublicam peſſumdarent. Tandem Senatus rationibus permotus, precibuſque defatigatus, pristino animi ardore paulatim reſtincto, Pontifex mitius agere cœpit, legatorumque obnunciationi, qua nihil de Cæſaris in Summos Pontifices obſervantia imminutum ſuiſſe ſignificaverant, placate admodum, ac benigne reſpondit; neque acerbius perpenſa, ne ſcripto quidquam enunciaretur, cavit. Diſcedentibuſque legatis, ſenſim irarum motu compreſſo, eadem utrinque pro juribus ſuis tuendis conſilia, eadem ſtudia permanſere. *Veneti diſſidia inter Pontificem & Cæſarē componere nituntur.*

Dum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 Dum hæc geruntur, omneſque nervi cum ad bellum adminiſtrandum, tum ad fœdus ſanciendum intenduntur, Hieronymo Zannio, claſſis imperatori, in aurea divi Marci baſilica, divino ſacrificio peracto, incredibili frequentia ac plauſu, perſonantibus circumquaque lætitiæ vocibus, de more Reipublicæ vexillum a Principe traditur, qui per forum, Senatu comitante, deductus, prætoriam conſcendens, concrepantium timpanorum, ac tubarum ſonitu, nec non tormentorum boatu, quadraginta circiter ſtipatus triremibus, pulcherrimum civitati ſpectaculum exhibuit; quæ palatium, circumjectaſque publicas ſubſtructiones, nec non ſinuatum ejus regionis tractum, qui a foro uſque ad divi Blaſii templum protenditur, e quo in mare proſpectus patet, compleverat. Inde e litore ſolvens, in Illyricum Senatus decreto, ut reliquis triremibus, quæ Jaderæ ſubſtiterant, ſe conjungeret, navigavit. Ab Jadera ne diſcederet, juſſus, donec quinquaginta, quas ſubſidio Philippum miſſurum Patres ſperabant, vela in orientem dediſſent. Neque enim tutum exiſtimabant, claſſem nondum numero (adhuc enim complures in Creta detinebantur) hoſtili parem, in diſcrimen adducere; ne, ſi forte in Turcicam incidiſſet, vel dubio marte dimicare, vel turpiter ſeſe recipere cogeretur; quorum illud periculi, hoc ignominiæ plenum erat; nilque adverſum magis contingere poſſe videbatur, quam, male belli initiis auſpicatis, militum impetus obtundere, corporumque & animorum fortitudinem, torpore quodam injecto, prorſus reſtinguere.

Hieronymo Zannio claſſis imperatori vexillum a Principe traditur.

Zannius ad Jaderæ conſiſtere juſſus.

Neque vero deerant, qui, ne copiæ otio marceſcerent, aliquid in Illyrico tentandum arbitrabantur. At huic ſententiæ id maxime obſtabat, quod eo armorum motu verendum erat, ne ingenti hoſtium finitimorum numero laceſſito, in ea provincia belli ſedes conſtitueretur, quod, vel ob nimiam urbi propinquitatem, vel ob Cypri diſtantiam maxime cavendum erat; cum præſertim in oppidis, atque urbibus, magna militum, atque equitum manu relicta, quod maxime Senatus exoptaverat, ut Philippi claſſe noſtræ adjuncta, vel prælio decerneretur, vel ab invadenda Cypro hoſtes deterrerentur, profici non poſſet. Multa quoque cum in Senatu de bello adminiſtrando diſceptarentur, Patres in diverſas ſententias ſinde-

debantur. Nonnullis, ne quæ in Cretam, & Cyprum ſubſi- 1570
dia ſubmittebantur, ab hoſte interciperentur, validam triremium manum in Peloponneſum, ubi majus imminebat periculum, mitti placebat; cum præcipue rumores increbuiſſent, triremes complures ad auxilia noſtrorum diſturbanda ex Helleſponto Turcas emiſſuros. Sed cum Baſſis diſſentientibus, claſſem adhuc Byzantii detineri allatum eſſet, ſatius viſum, Marcum Quirinum, Adriatici ſinus præfectum, cum ſelectis triremibus vigintiquinque in Cretam mittere, ut, ad reliquam claſſem Creticis perductis, Hiſpaniciſque adjunctis ſubſidiis, tutius in orientem contenderetur. Verumtamen, ut magnis in rebus accidit, dum ob varia impedimenta mora res trahitur, triremeſque diutius, quam par erat, Jaderæ detinentur, remiges otio torpere, milites deſidia diffluere, multiſque incommodis conferta multitudo conflictari cœpit: inde morbi graſſari, funera quotidie cumulari, militariſque ille juventutis flos, qui ingenti ardore in hoſtem rapiebatur, deperire, atque abſumi; ut jam deperdito remige, minus aptæ ad navigandum triremes redderentur, recenſque militiæ robur elangueſceret.

Claſſis Veneta morbis vexata.

Ac dum inutili otio tempus teritur, hoſtes, in Illyricum impetu facto, agros populantur; multos mortales captivos faciunt; pecora, ac jumenta abigunt, Retbilizam & Daslenam, Sicenſis ditionis oppida, ex quibus, veluti ex ſpeculis, deſpectus in circumjectos agros patebat, capiunt. His permoti Zannius claſſis imperator, ac Joannes Legius legatus, una cum Sfortia Pallavicino, ac Julio Saorniano, de oppidis minoribus tutandis conſilia ineunt. Novigradum ducentorum, Vermonicum in Jadertino agro quinquaginta peditum ſubſidiis firmant; Vercenum, Remanicum, aliaque caſtella communiunt; Enonam, Pollizzanorumque loca, ne in hoſtium poteſtatem perveniant, ſolo æquari jubent. At nullo magis Turcas arceri, ac depelli rebantur poſſe, quam ſi quatuor peditum millia opportuna ſtatione diſpoſita ad Sici, Spalati, & Tragurii civitates, agroſque defendendos & tutandos momento fere reciperentur; cum Jadera egregie munita, ad quolibet impetus excipiendos prævalida haberetur. Verum cum præcipua Senatui cura eſſet, ut claſſis, in qua felices belli eventus repoſuerat,

Sicenſium oppida a Turcis capiuntur.

no-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 novis adjectis ſubſidiis, inſtructior fieret, ut ea tantum, quæ vel ſitu, vel natura excellerent, loca munirentur, ne nimio ſumptu Reſpublica conficeretur, cenſuit. Super has, aliæ quoque ſolicitudines ſuccreverant, quas ſuperiorum temporum funeſta memoria ſubjecerat. Nam, primo belli impetu in Illyrium facto, variis nuntiis perferebatur, Iſtriæ, ac Carnis Turcas minitari; præteritarumque cladium recordatio magnam trepidationem ac metum earum regionum incolis injecerat, vel eo maxime, quod a Græciæ Beglierbego ingentes copiæ (incertum, quo tenderent) parabantur. Senatus ad eas provincias ab hoſtium incurſibus protegendas, cataphractos equites in Carnorum fines mittere ſtatuit. Utinenſium magiſtratui præcepit, beneficiarios, qui equo, aut pedibus ſtipendia facere tenebantur, in promptu haberet; in iis trecenti circiter equites, ſeptuaginta pedites adnumerabantur: omnes inſuper in Carnos aditus diligentiſſime explorari juſſit; atque id munus Mario Saorniano delatum, qui, accurate omnibus inſpectis, haud parum, ſi occaſio adfuiſſet, adjumenti erat allaturus. Sed cum neque aliquid extra Illyricum hoſtes moliri, neque copias Beglierbegum in occidentem flectere, ſed in Ciliciam tranſmittere nuntiaretur, Iſtrorum, & Carnorum ſuſpiciones depulſæ ſunt. Zannius imperator, junio menſe fere elapſo, quatuor triremibus ad ſinus Adriatici cuſtodiam relictis, cum reliqua claſſe Corcyram proficiſci; ibi de Hiſpanicarum triremium adventu certior factus, ſtatim Meſſanam contendere; ſociatiſque viribus, quæ res & occaſio objicerent, conſilia capere; ac, ſi id abſque Reipublicæ detrimento effici poſſet, Turcicam adoriri claſſem, prælio decernere jubetur.

Carnorum fines præſidiis muniuntur.

Zannius imperator Corcyram proficiſci jubetur.

Venetorum præfectorum in Illyrico diſſidia.

Ejus diſceſſu haud parum in Illyrico detrimenti Reipublicæ acceſſit, ſubortis inter legatum, ac provinciæ magiſtratus, Julium Saornianum, Fabiumque Canalium equitum præfectum diſſidiis; qua ex re neque commeatus oppidis, prout opus erat, ſuppeditari, neque ad bellum neceſſaria expediri poterant. Literis ſe invicem apud Senatum carpebant; Legius neque viribus, neque pecunia, quæ Saornianus moneret, perficiebat; contra Saornianus una cum magiſtratibus, ac Fabio Canalio Legium, eorum minime perquiſitis ſententiis, cuncta ſuo arbitratu adminiſtrare ajebat. Ita ex noſtrorum contentio-

tionibus hoſtes in dies audaciores facti, Xemonicum, Jadertini agri Veneriæ gentis oppidum, ducentis peditibus aggreſſi, cum verberare cœpiſſent, a Hieronymo Contareno, Simonis filio notho, turpiter pretio deditione facta, recepere; qui, mox chriſtiana ejurata religione, brevi meritas proditionis ac perfidiæ pœnas, a Turcis capite plexus, luit. Improſpero Xemonici eventu non tam perculſi Patres, quam inter Legium, ac Saornianum diſſenſionibus, ex quibus haud parum Illyrici rebus incommodi acceſſurum verebantur, permoti, Senatuſconſulto, ut conſilia cum Saorniano, reliquis magiſtratibus, ac Canali equitum præfecto, antequam quidquam decernat, communicet, Legio præcipiunt. Ex eo in primis oppidorum, atque urbium Illyrici propugnationem ſperandam, ſi illorum, quibus Reſpublica commiſſa ſit, ſimultatibus amputatis, conſtans in commune bonum ſtudium coaleſcat, In eamdem ſententiam ad reliquos magiſtratus datæ literæ, in quibus ad mutuam concordiam cohortationes, ac ſtimuli addebantur. Verum Legio, exeunte æſtate, a Senatu reditu in patriam conceſſo, magiſtratu ſe abdicanti, Jacobus Foſcarenus ſuffectus eſt, qui ineunte vere in provinciam eſt profectus.

1570

Jacobus Foſcarenus in Illyricō Legatus.

Xemonico capto, hoſtes Novigradum adorti, cum natura, & arte, militumque præſidio munitum inveniſſent, re infecta, diſceſſere. Eodem fere tempore fero, atque agreſti prædonum genere (quos *Martelloſſos vocant*) ſibi adjuncto, univerſi mille ſummam confecerant; nullo certo duce, Sicenſem agrum ingreſſi, innumeris accolas incommodis affecere; pecora, jumenta, ac ſupellectilem abripuere. Ex iis centum cum haud procul Rogoſniza pago in ſummo ſcopulo medio maris ſinu faſtigiato, ſe abdidiſſent, ex viminibus compactis lembis, boumque contectis coriis, noctu trajecto freto, & Caracozæ noti piratæ nomen, quo incolas perterrefacerent, inclamantes, in pagum impetum fecere. Sed cum veſpere cuncti fere incolæ in continentem prædas ex hoſte acturi, feminis, ſenibus, ac pueris tantum relictis, ſe ejeciſſent: feminæ (eſt id genus natura, & aſſuetudine ad vela, remoſque tractandos mirifice inſtructum) inopinato hoſtium adventu nequaquam perterritæ, extemplo, domibus relictis, navi-

Sicenſium mulierum pulcherrimum facinus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 navigia conſcendunt, ſinuſque fauces nondum ab hoſtibus obſeſſas conſpicatæ, ex iis, quæ audacia, & robore præſtarent, nonnullas expedita celoce, ad opem a Petro Piſano, Sebaſtiani filio, petendam, qui Ceſtæ promontorii cuſtodiæ præerat, mittunt. Is inalbeſcente die triremi ad pagum delatus, Turcas incolarum domus abſque ulla metus ſuſpicione diripientes offendit; quorum nonnulli, præda pauciſque captivis relictis, dum ad ſuos, qui in inſidiis erant, ſeſe recipere contendunt, a feminis intercluſo itinere, fugientes ſaxis, piliſque conficiuntur. Navales ſocii reliquos, qui in pago remanſerant, partim cæde, partim captivitate mulctavere.

Alexander Donatus Antibaris prætor Turcarum fines diripit.

Inter hæc Alexander quoque Donatus, Antibaris prætor, reſtinctis inter plebem, ac cives vetuſtis odiis, & in hoſtem verſis, militum, & incolarum contracta manu, Dobrovodam, Marcovicorum oppidum, qui natura Antibaritis infenſi, jam copias ad eorum fines invadendos cogebant, improviſo adortus, ducentis cæſis, compluribus captis, quinque ex ſuis tantum deſideratis, diripuit, ac incendit. Mox in Volvizam, regionem olim Venetis ſubjectam, armaque parantem, invectus, univerſam flammis abſumpſit. Inde finitimos populos, atque eos præcipue, qui placidum Venetorum imperium experti fuerant, ingens cupido inceſſit, præduro Turcarum jugo, ac tyrannide excuſſa, noſtris ſe adjungere. Jamque in ſpem maximam erecti; pars adverſus Turcas inſurgere, magiſtratibuſque obtemperare cœperant; pars cautius agendo primores e ſuis ad præfectos Reipublicæ deſtinabant, qui ſecreto fidem pollicerentur, arma, ac milites peterent: quorum propenſum in Rempublicam ſtudium alere Bernardus Contarenus, Aſcrivii prætor nitebatur, idque in primis curabat, ut Epiri, atque illæ quæ Montem nigrum incolunt gentes, eodem momento inſurgentes, inopinantes Turcas opprimerent. Ad id conficiendum, tria ſcloppettariorum millia, præfectum ſcientia militari clarum, atque arma a Senatu flagitabat, ut, claſſe in Rhizonicum ſinum delata, hoſtes aggrederentur, populorum præſertim votis, atque egregia voluntate fretus, quos certatim ad arma capienda concurſuros affirmabat. Verum de claſſis ad Jaderam mora, lethalique lue Turcæ certiores facti, metu abjecto, cum neque mari quidquam, neque terra adverſum pertime-

Epirotarum in Venetos ſtudium. Bernardus Contarenus Aſcrivii præfectus.

timeſcerent, denuo noſtris infenſi, gravia damna inferre; captivos abducere; cuncta depopulari; mox Olchinium tribus peditum millibus tentare auſi, tormentariis machinis in fugam acti, agros incendio, ac rapinis fœdavere. Sed cum, ſupplemento remigum, ac militum Venetiis emiſſo, inſtructa claſſis Jadera (ut antea diximus) ſolviſſet, illius adventus fama hoſtes perterriti, quod exſcenſionem noſtros facturos rumor erat, litoribus relictis, in oppida, atque arces ſe recepere, citatoquæ itinere Byzantium, qui nuntiarent, miſere; Venetos, copiis expoſitis, Neocaſtrum, Apollonium, atque alia illius regionis oppida brevi recepturos. Itaque Janizzerorum manu in eas regiones immiſſa, Græciæ Beglierbegus ſuppetias ſuis copiis ferre juſſus eſt. At qui in Epiro, & circumjectis locis Selymo parebant, alacres noſtrorum adventum præſtolabantur, ut, Pallavicino cum milite egreſſo, tumultu excitato, Turcas oppidis extruderent. Enimvero ut ab eo conſilio Veneti abſtinerent, multa in cauſa fuere, tum quod, triremium manu inibi relicta, imminutaque claſſe, de Cypro defendenda ſtudium irrito eventu ceſſurum videretur, differrique in autumnum, claſſe in ſinum Adriaticum reverſa, Epiri expeditionem poſſe cenſerent: tum quod, parvis immiſſis ſubſidiis, uti Contarenus petebat, vererentur, ne laceſſiti hoſtes, cum univerſis Græciæ copiis in Reipublicæ regiones illati, ſuas non modo res tuerentur, ac deficientes opprimerent; verum etiam urbium obſidione vires ab aliis orientis inſulis tutandis averterent: demum quod, cum triremibus Corcyram, uti ferebatur, contendentibus Hiſpanis, ne ibi claſſe non inventa, curſum rurſus in occidentem flecterent, omniſque bene rei gerendæ ſpes præcideretur, pertimeſcerent.

Cubates interea cum Byzantium perveniſſet, Senatuſque literas attuliſſet, incredibile dictu eſt, quanta reſponſi novitate Turcas admiratio ceperit; Venetos, qui antea amicitiam cum Ottomanis Regibus magni feciſſent, alacri adeo ac conſtanti mente bellum ſuſcepiſſe, & ne reſponſo quidem legationem dignatos eſſe. Selymus, elato ac ſuperbo ſupra gentis morem animo, ingenti iracundia æſtuabat; legatum conſuetis honoribus non exceptum; neglectam legationem; non ſibi, qui de Senatus ſententia certiorem faceret, hominem remiſſum; ampliſſi-

Selymi indignatio in Cubatis reditu.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 mos titulos ademptos; Aloysium Bonricium adversus Barbari pollicita Venetiis detentum; nihil non in se hostile a Venetis actum. Neque minus acres stimulos irato Cubates ad eum a Mehemete perductus subjecerat, quem de itinere, de Venetias adventu, de Senatus responso, bellique apparatibus cum esset percunctatus, ab eoque singillatim de cunctis edoctus, inconstans animi adeo in diversa rapiebatur, ut nonnunquam Venetorum maritimis viribus, christianorumque Principum auxiliis territum, susceptæ sententiæ pœniteret; aliquando majori ira, ac rabie concitatum, ac ferveſcentem, tumidi spiritus inflarent, atque assentatorum turba ad omnia prospero eventu speranda, ac perficienda eveheret. Quocirca, Barbaro legato custodiis adhibitis, domo egredi, & Reipublicæ negotia procurare interdicit. Memphis, atque Aleppi Bassis, ut idem adversus Alexandriæ, & Assyriæ consules, qui in eas regiones Venetis juri dicundo a Senatu mitti solent, efficiant, præcipit; qui jampridem detenti, datis vadibus, se ex Turcicis ditionibus non abituros, neque bona asportaturos, libertati restituti fuerant.

Marcus Antonius Barbarus, legatus a Turcis in custodiam traditur.

Interea in vulgus de Venetorum, aliorumque Principum apparatu fama in dies glisceute, ingens perplexitas, metusque suboriebatur; quonam christiana classis se se verteret, ambigere; ne ad Cypriam expeditionem avertendam Hellespontum ingressa, Byzantium improviso adoriretur, vereri. Ob id arces, quæ olim Sestus, & Abidus, nunc *Dardanelli* vocantur, communiri, atque severiori custodia tueri Selymus jubet. Græciæ Beglierbego in Peloponnesum cum Græcorum copiis misso, classis discessum urget. Cum antea Amurathes quinque ac viginti stipatus triremibus ad subsidia Cipri intercipienda se contulisset; Pialim cum quinque ac septuaginta Rhodum proficisci, ibi Mustapham cum reliqua classe opperiri, atque ex nostrorum successibus consilia capere præcipit. In Cyprum ne statim universis viribus Turcæ contenderent, an pars, uti antea decreverant, in Adriaticum sinum, pars in Cilicum mare vela darent, incertum erat.

Amurathes cum triremibus ad subsidia Cypri intercipienda profectus.

At dum hac in consiliorum ambiguitate versarentur, Zannius imperator ad Pharum devectus, sex majoribus triremibus, atque aliquot navigiis auctus, ad Rhizonici inde

inde sinus fauces delatus, tandem Corcyram pervenit; præ- 1570
teritique temporis moram diligentia ac virtute sarcire conatus, ubi amici Regis triremes sibi adjunxisset, egregium aliquod in hostes facinus meditabatur. Verum repente ingens mutatio præter omnium vota consecuta, universam consiliorum rationem perturbavit: non ejusmodi ab Philippo mandata se habere Andrea Auria dicente, ut suas Venetæ classi triremes consociaret. Qua re Senatus vehementer commotus, ac justo dolore percitus, conquerebatur: *ingentes apparatus, militum florem, triremium robur inutili ad Jaderam cunctatione, una tantum Hispanici auxilii spe absumpta; adulta jam æstate nihil actum; quæ summa adseveratione polliciti fuerant, minime præstitisse. Quam igitur spem de fœdere reliquam? quid in sociis firmamenti esse, dum bello difficillimo communi cum hoste implicita Republica, quæ nulla impensa summa cum facilitate, utpote quæ in promptu, atque expedita essent, exhiberi auxilia possent, vel pernegarentur, vel exitiali mora protraherentur?* Pontifex quoque eam ob rem anxius regios compellere, querelas fundere, ad Auriam literas dare non cessabat: moras abrumperet; optimi Regis menti, ac fidei turpem derelictorum sociorum notam non inureret; turbulenta tempestate Reipublicæ non deesset. At regii varias excusationes nectere. Aurias, se quidem Pio satisfacere paratum esse, affirmabat; mandata ad ea, quæ cuperet, perficienda non sufficere; certiorem de conjungenda cum Venetis classe Regis sententiam expectari oportere, contendebat. His permoti Patres Zannio injungunt, Auria non expectato, consilia, quæ e dignitate, atque utilitate Reipublicæ sibi videantur, quæve rei opportunitas objecerit, capiat; ne diutius classem inutili otio torpere sinat.

Andreas Auria negat consociandæ classis mandata se habere.

Pristinus interim ille in Pio ardor animi, quo unitio Venetorum causam amplexus fuerat, assurgebat; reliquis cæteris curis, ac solicitudinibus, totus in christianam rem incumbebat; in fœdere procurando, auxiliis parandis, Principibus in communem hostem incitandis versabatur. Duodecim Venetæ triremes pontificio ære Anconæ armantur, earum imperio Marco Antonio Columnæ, Paliani Duci, tradito, qui statim ad Senatum plenas officii literas dedit, quibus egregium in Rempublicam studium testatus, eximia in se patrem, familiamque

Senatus ad Zannium mandata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 ſuam collata beneficia memorabat; tum illud in primis, quod ampliſſimum ſibi ad gloriam iter ſternebatur; ut eodem tempore & Apoſtolicæ Sedi, & Venetæ Reipublicæ, qua Italiæ ſplendor, ac decus niteretur, inſervire poſſet. Suſcepto itaque in percelebri divi Petri baſilica de Pontificis manu imperatorio vexillo, Anconam ad bellicos apparatus urgendos profectus; inde Venetias acceſſit, omnemque operam, ſtudium, diligentiam in iis, quæ Reipublicæ dignitati, atque utilitati forent, Patribus detulit; deque tota belli ratione ita diſſeruit, ut ſummam de ſe prudentiæ, militariſque virtutis opinionem non modo apud omnes concitarit, ſed ingenii dexteritate, atque inſita quadam modeſtia ſingulorum ſibi benevolentiam conciliarit. Anconam inde reverſus, intento in orientem curſu, quam primum, ut Zannio ſe ſe conjungeret, nihil prætermiſit.

Marcus Antonius Columna Venetias profectus ſuam operã Senatui defert.

Dum hæc geruntur, Sebaſtianus Venerius, qui ſummum Corcyræ imperium obtinebat, vir impiger, ingens animi, cui nihil ſenecta de corporis robore ac firmitate detraxerat, otii quietiſque impatiens, nonnihil moliebatur, quo & eas, quæ Corcyræ erant, copias ſocordia hebeſcere non ſineret, & qua poſſet, Corcyræorum rebus conſuleret. Erat in Cahonia, regione Epiri, quadraginta a Corcyra paſſuum millibus in ſummo montis jugo ſitum Soppotum oppidum, quod prædones, Turcæ, atque Epirotæ incolebant: inde circumjecta loca depopulantes, Corcyræos haud exiguis incommodis afficiebant; eo namque ſeſe recipientes tuto prædas convehebant: tunc inſolentiores facti, quod paucis ante diebus Jacobum Celſum, claſſis legatum, nullo militari ordine, nullo conſilio, parva militum manu oppidum aggredi conantem, repulerant; complureſque navales ſocios, nullo duce in litus egreſſos, ad diripiendas in molis truſatilibus farinas convolantes, partim interfecerant, partim captivos abduxerant. Illud adoriri Venerius decrevit; idque ut facilius aſſequeretur, conciliandos ſibi circumjectæ regionis populorum animos ratus, Emanuelem Murmurum, equitum præfectum, in Acroceraunios miſit, qui Epirotas donis, ac pollicitis ad mite Venetorum imperium ſubeundum ſolicitaret. Hi Turcici dominatus pertæſi in voluntate ſe præfecti futuros ſpondent. Venerius duabus triremibus Acroceraunium petit, obſides imperat, ſacramento incolas adigit; Corcyram reverſus cives, ne ſibi, ne patriæ deſint, hortatur. Illi ſtatim, ex juventutis flore delectu habito, milites cogunt. Iis, quos ex arce eduxerant, adjunctis, recta ad litus Venerius tendit, ibi Celſum legatum cum ſeptem triremibus, ac externo milite, Emanuelem Murmurum, cum Epirotarum millibus ſe præſtolantes offendit; quos militari ſigno donatos, Murmuro duce, collem Ceſtriæ adverſum, aliquanto oppido editiorem ad ſubſidia hoſtium impedienda occupare jubet. Natalem Cremenſem, Corcyrææ militiæ præfectum, cujus virtuti ea expeditio commiſſa fuerat, Marium Bonellum, Horatium Sorium, Scipionem Turrium, Candidum Canalium cum peditatu præmittit. Catharino Maripetro, freti anguſtias in extrema litoris parte, meridiem verſus, qua ex Delvino auxilia inferri poterant, triremi ut inſideat, præcipit. Ipſe cum ſexaginta ſelectis Græcis agrum excurrit, atque ad montium radices, quæ ſeptentrionem reſpiciunt, Epirotas ex iis, qui nuper ad illum acceſſerant, ſupra mille ad Ceſtriam aditus obſidentes invenit. Quibus ita compoſitis, tormenta per ardua ac confragoſa itinera ſubducta arci admoveri jubet. Mœnia dubio eventu verberari cœpta, cum incerto, atque plerumque fallaci ictu ex inferiori loco in prælatum oppidum diſploderentur. Itaque Venerius propius accedere, ſcaliſque moliri ingreſſum ſtatuit. Ejus rei rumor cum ad hoſtes perveniſſet, noctu muros tranſgreſſi, per cautes, ac rupes, arce relicta, evaſere. Noſtri nocte intempeſta digreſſi, ſub auroram mœnia cum ſcalis ſubeunt, apertaſque portas conſpicati, nullo obſiſtente, oppidum ingrediuntur. Epirotæ ſumma cum pernicitate (qua ea gens pollet maxime) Turcas fugientes inſecuti, complures cepere, multos cecidere. Summam ea die militaris virtutis Emanuel Murmur laudem tulit, quod Scanderum Vaivodam in arcem cum ſubſidiis aditum parantem bis inito certamine pulſum fregiſſet. Quocirca Soppoti, totiuſque Cahoniæ regionis, quæ ultro Venetis ſe adjunxerat, præfectura ei ab Venerio tradita eſt. Qui eodem felicitatis curſu ſuorum militum opera, atque Epirotarum auxiliis Nivizzani & Cardinium, mediterranea oppida, cepit. Venerius ob rem fortiter ac feliciter adminiſtratam, ſumma omnium prædicatione concelebratus, rerum proſpere gerendarum ſpem noſtrorum animis injecit. Cui

Sebaſtianus Venerius Acroceraunios Veneto imperio adjungit.

Soppotum & alia oppida a Venerio capta.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 assidue hæc meditanti atque agenti, nuntius Venetiis supervenit, Aloysio Mocenico Lauretano Principi suffecto, sibi procuratoriam dignitatem majoribus comitiis delatam esse, quæ civibus iis, qui in Republica domi forisque naviter administranda vitam exegere, tribui solet.

Interea a Zannio imperatore (qui, ut diximus, Corcyram cum classe pervenerat) consilia de bello administrando habebantur. Moras abrumpendi, ac se se protinus in orientem inferendi, incredibilis ardor in cunctis erat. Verum multa remorabantur; nihil de hostium classe exploratum; nondum Marcum Quirinum cum Creticis triremibus adventasse; cum hoste, nisi cum universis viribus, dimicari non oportere. His accesserat, quod tabifica lues, quæ Jaderæ commorantem classem corripuerat, adhuc sæviret, attactuque sese diffundens, virus ad proximos quosque transmitteret, quod atrociter adeo in miseros debacchabatur, ut nonnullos phrenitide correptos ad eam insaniam ac furorem adigeret, ut se se in mare præcipites darent; ægrotorumque multitudini neque medicamenta, neque necessariarum rerum usus suppeteret. Ejus morbi vi viginti circiter mortalium millia ex Veneta classe absumpta sunt, atque in iis egregii complures ac nobilitate insignes viri, quos gloriæ cupiditas, ac religionis ardor ad pia in communem hostem induenda arma incitaverat. Idcirco ad classem sarciendam conversa studia: Zacynthi, Cephaleniæ magistratibus mandatum, ut quotquot possent remiges, ac milites in classis supplementum cogerent. Dum autem Auriæ expectantur auxilia, ut militum virtus ad aliquid egregii capessendum promoveretur, tentare nonnihil placuit. Sfortia Pallavicinus una cum Paulo Ursino ad Leucadem, & Nicopolim explorandam cum quatuor triremibus proficiscuntur; longioriſque operis re cognita, Margarittini, in Almenæ montibus prope Cibotam insulam oppidi, e regione Leuchimi, Corcyræi promontorii, oppugnatio decreta est. Sebastianus Venerius cum Sfortia Pallavicino, triremibus quinquaginta, in quibus quinque peditum millia, ac muralia tormenta inerant, Nistæ portu occupato, copias, machinasque exponi jubent. Verum cum a mari, secus atque ex incolis didicerant, difficitum oppidum comperissent, iterque per arduas, angustasque montium semitas, tormentis impervias, perturbata acie, haben-

Morbi vis complures in Veneta classe absumit.

bendum esset, Pallavicinus inutili cunctatione tempus terendum (cum præsertim ab hostibus ex Tessalia, ac Nicopoli subsidia obsessis mitti possent) minime censuit. Quapropter, Ruberto Moricone qui satis valida militum manu jam suburbia ceperat, ad castra revocato, nostri, agris vastatis, frumentis incensis, Corcyram revertuntur, frustra Venerio contradicente, repentinaque hac consiliorum mutatione, aut timoris, aut ignaviæ notam subeundam esse prædicante. At Sfortia cœptum potius opus deserere, quam inani conatu infirmiores classis vires efficere satius duxit. Redeuntes non militari plausu, ut adsolet, sed mœstitia obductis vultibus excepti, præteritoque otio, ac præsenti labore fessi, inedia, siti, ac sudore pene enecti, majora ingravescentibus morbis alimenta ministrarunt. 1570

Turcarum consilia de bello administrando.

Dum hæc fiunt, Hispanicorumque auxiliornm spe nostri detinentur, multa de bello administrando ab hostibus agitabantur. Nonnullis placebat, ut a Cypro nostrorum vires averterent, Pialim cum duabus ac octoginta triremibus in Adriaticum sinum tendere: aliis in Cretam insulam navigare, direptionibus, atque incendiis eas oras deformare, Amphimaleum portum occupare, ibi reliquam classem operiri, & ex nostrorum eventu, quæ expedirent, decernere. Selymus vero in dies majori Cypri potiundæ cupidine incensus, statim classem Cyprum petere; exponi milites; munitionem erigi; ibique triremes reliquas cogendas censebat. Pialis igitur Chium proficiscitur, ibi Mustapham expectare, atque conjunctis viribus Cyprum adoriri jubetur. Marcus autem Quirinus, qui reluctante vento, ac ne parva triremium manu in hostilem classem incideret, intra Cydonis portum diutius se continuerat, cum Creticis triremibus supervenit. Is in itinere in Peloponnesum ad Tænarium portum delatus, munitionem nuper a Turcis substructam oppugnare statuit. Tertio kalendas Julii ante solis exortum, scloppettariis quibusdam expositis, collem prope arcem situm occupare præcepit. Ipse cum triremibus propius accessit. Terra marique oppidum oppugnari cœptum: tormentorum displosione defensiones propugnatoribus adimuntur; globulis plumbeis e colle jactis, e mœnibus deturbantur: desperata salute, in interiorem turrim se se recipiunt;

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 piunt: noſtri munitionem ingreſſi, tormentis, quæ in oppido invenerant, turrim quatiunt; illi incolumitatem pacti, deditionem fecere. Arx, quod difficulter defendi poſſet, ſuffoſſis cuniculis ſulphureoque pulvere oppletis, igne admoto, disjecta, ac ſolo æquata eſt.

Marcus Quirinus Turcarum munitionē ad Tanarium portū capit.

Quirini adventu noſtrorum confirmatis animis, Zannius imperator a Cretæ magiſtratibus certior factus, hoſtes cum trecentis navigiis, inter quæ biremes quoque ſpeculatoriæ, celoces, atque alia ejuſdem generis cenſebantur, Rhodum applicuiſſe, atque in Cyprum iter moliri; Corcyra digreſſus, in itinere nongentis ex Cephalenia, quingentis ex Zacyntho, præter ſeptingentos, quos e Corcyræis abduxerat, remigibus ad claſſem farciendam delectis, pridie nonas auguſti in Cretam pervenit. Amphimaleum portum ingreſſus, ſtatim inſulæ magiſtratibus mandat, ut quotquot poſſint, remiges cogant, magna ſpe ductus, fore ut exhauſtæ funeribus claſſi uſu, ac peritia Cretenſium, quos ad omnia navalia munera obeunda natura finxit, opportune ſubveniretur; cum præſertim multa de ingenti in Republica defendenda ſtudio, de acerrimo eorum in Turcas odio fama pertuliſſet. Verum vel hoſtium metu, vel teterrima lue, quæ paſſim ſæviendo infinitum prope remigum, ac militum numerum abſumpſerat, deterritis, priſtinus animorum ardor deferbuerat; plerique ne inviti ad tranſtra adigerentur, intra præruptas montium latebras, receſſuſque ſe ſe abdiderant. Ob id Sebaſtianus Venerius, qui in Cyprum cum ſummo imperio legatus proficiſcebatur, cum tutum ſibi in provinciam iter, ab hoſtibus intercluſo mari, minime futurum animadverteret, in Aegæum cum tribus triremibus ſe proripuerat, ut ex Turcarum inſulis quam maximam remigum poſſet copiam abduceret. Idem Zannius Marco Quirino, Adriatici ſinus præfecto, efficiendum mandaverat. At ea quoque res parum proſpere ceſſit. Nam Venerii adventu incolæ perculſi, cum intimiora loca petentes a noſtrorum ſe ſe aſpectu ſubduxiſſent, Quirinus ſeptingentos tantum, pauciores Venerius ad claſſem perduxit.

Marcus Quirinus cum Cretēſibus triremibus Zannio ſe adjungit.

Zannius in Creta claſſem reficere nititur.

Sebaſtianus Venerius legatus cum imperio in Cypro deſignatus.

Zannius ne intentatum quidquam relinqueret, cum viginti triremibus Candidæ portum, ut qua poſſet labentibus rebus ſuccurreret, ingreditur; majoribus etenim incrementis peſtiferum

rum virus, militibus æque ac remigibus eadem tabifica labe 1570
proſtratis, atque extinctis, quotidie augebatur, ut jam numero ac virtute præſtans, tum conſcriptorum, tum voluntariorum militum robur vix quatuor millium numerum excederet. E veſtigio concilium nobilium Venetorum, qui priſcis temporibus a Senatu in eam coloniam miſſi fuerant, indicit; claſſiarios mille petit; totidem magiſtratibus imperat. Inde Rhithimnam delatus a Reipublicæ beneficiariis, ut idem efficiant, poſtulat: detrectantes, quod ſuos homines intra ardua, atque anguſta montium ſe recepiſſe dicerent, increpat; interminatur, ni pareant, iis, quæ Principis liberalitate obtineant, donis exuturum: *Arcondopulis*, qui gladiis, ac contis pugnant, ni ſtatim conſcendant, privilegia ſe adempturum denuntiat. Idem in duobus legatis, quos in Amphimaleo portu una cum Pallavicino reliquerat, farciendæ claſſis ſtudium. Qua in re egregiam operam Lucas Michaelius, Cydonis legatus, navavit, qui auctoritate, ac gratia, quam apud Græcos ingenii dexteritate ac ſuavitate ſibi conciliaverat, adhortando, ſuadendo, ut complures ſponte atque alacres ad triremes confluerent, effecit.

Lucæ Michaelis opera ad claſſi ſubveniendum.

Rebus utcumque compoſitis, remige, ac milite denuo inſtructa claſſe, propediem pontificias, atque Hiſpanicas triremes venturas nuntiabatur; cum Philippus Andreæ Auriæ mandaſſet, ut, nulla interjecta mora, ſe ſe noſtris adiungeret. Inde imperatori Senatus injunxit; in id potiſſimum ſua omnes cogitationes, ſtudiaque conferret, ut navali prælio cum hoſte decerneretur; unicam recte adminiſtrandi, ac conficiendi belli rationem eſſe exiſtimans, ſi univerſis viribus Turca invaderetur, quem neque maritimarum rerum peritia, neque militum virtute, ac robore noſtris parem, timore inſuper inſueto correptum, ac vanæ cujuſdam ſuperſtitionis ambage irretitum, intelligeretur, claſſe quin etiam morbis, confecta, & imminuta. Igitur duodecim pontificiæ ac novem & quadraginta Hiſpanæ triremes in Siciliam deductæ, una navigationis curſum in orientem intendere, & kal. ſeptembris appulere. Zannius earum de adventu certior factus, Marco Quirino cum triremium manu ſociis obviam ire juſſo, ipſe cum reliquis Amphimaleo portu egreſſus, nihil quod ad ſummam

Senatus mandata de prælio cum Turcis committēde.

Pontificiæ & Hiſpanæ triremes Venetis ſe adjungunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 mam ex ipsorum adventu lætitiam significandam attineat, prætermittit. A nostra classe, quæ in binas deducta partes ingentium alarum speciem præbebat, inter sclopporum, ac tormentorum (quorum horribili fragore propinqui montes, ac maria resultabant) salutationes, militaresque plausus excepti, in portum deducuntur; nullumque officii genus, quo testata in eos publica existimatio, ac benevolentia innotesceret, nostri reliquere. Nam Zannio imperatori Senatus præceperat, Columnæ, uti Pontificis præfecto, loco cederet; Auriam, si velle sibi sumere id animadverteret, ne magnos rerum orsus leviſſima ex causa interturbaret ac perverteret, anteferret. Ceterum, quod ad consilia capienda spectaret, eorum sententiis perquisitis, quidquid e Republica videretur, ipse decerneret. Verum Columna, ut Zannio præiret, vix adduci potuit; Auria ne tentavit quidem.

Dum hæc fiunt, meliore anni parte ad res militares pertractandas bellico apparatu, classe sarcienda, sociorum auxiliis expectandis insumpta, hostibus tantum temporis relictum est, quantum ad res eorum componendas, expeditaque consilia capienda suffecit. Selymus, qui, Mehemete ac Mustapha suadentibus, de sua in Cyprum profectione sententiam mutaverat, Mustapham cum summo totius belli imperio terrestribus expeditionibus præfecerat: maritimarum rerum curam Piali, qui secundum a Mustapha dignitatis locum obtinebat, tribuerat: Hali ductandæ classis munus injunxerat. Erat is e Janizzerorum præfecto, quem *Agam* Turcæ vocant, ad maris præfecturam, Mehemete suffragante, sublatus; qui Piali infensus, ut ei honos ille a Selymo adimeretur, auctor fuerat, quod tantam in uno viro auctoritatem, ut inter purpuratos esset, & præfectus maritimus haberetur, minime tutam diceret. Haud multis interjectis diebus Mustaphas cum triremibus quinquagintaquinque, ac imperatoria quinqueremi, quam superbe adornatam, regioque apparatu instructam discedenti perhonorificæ significationis ergo Selymus detulerat, Pialim est subsecutus. Euboeam delati, Rhodum inde petiere. Ibi per speculatores de Venetæ classis statu, quæ acerba lue afflicta Jaderæ detinebatur, deque Hispanorum cunctatione edocti, nihil ultra timendum rati, cum

Mustaphas terrestribus copiis a Selymo præficitur. Piali maritimarum rerum, Hali ductandæ classis cura mandatur.

cum universa classe in Cyprum contendere decrevere. 1570

Dumque ab Eubœa Rhodum proficiscerentur, Andri incolis poscentibus, Tenum, ex Cycladibus insulis unam, in extremo Aegæo sitam, adoriri Mustaphas statuit. Ac post solis occasum a Castro Rubro digressus, sexaginta passuum millibus emensis, summo mane in conspectum se Teni dedit. Octo circiter peditum millia in litus exposita, recta ad oppidum, quinque tantum passuum millibus a mari distans, proficisci, atque in illud impetum facere jubet. Tenensibus Hieronymus Paruta Venetorum nomine præerat, vir prudens, atque industrius, qui ne imparatus ab hostibus inveniretur, omnia ad insulam propugnandam necessaria summo studio, ac diligentia comparaverat: sarciri mœnia; objectas oppido domos demoliri; delectum militum haberi curaverat. Is hostium eminus conspecta classe, signo machinarum bombis edito, incolas intra oppidum cogit; ad Turcarum impetum excipiendum cuncta disponit, quem eo facilius sustinere posse sperabat, quod arx editiore loco sita, reliquis partibus præruptis, atque inaccessis rupibus protectis, ea tantum, qua orientem, & austrum interjacet, tutanda foret. Hostes magno impetu oppidum aggressi, fortiter repelluntur; pulsi sese recipiunt, acriter adeo tormentorum ejaculationibus fracti, ut nocte in Divi Nicolai litore commorari cogerentur. Postridie ejus diei, majoribus muralibus tormentis subductis, cum quatere muros instituissent, situ deterriti ad obsidionem versi, nostros pollicitationibus ac minis ad deditionem solicitantes, cum nihil proficerent, re infecta discessere, immanibus crudelitatis vestigiis in pagis incendendis, templis diruendis, insula vastanda relictis.

Tenos a Turcis invaditur.

Hieronymi Parutæ virtus in Teno protegenda.

Turcæ Teni oppugnationem deserunt.

Rhodo solventes in Ciliciam appulere, ubi a procurrente in pelagus tellure statio prope Attalicum unum navigiis excipiendis opportuna conficitur: eo copiæ omnes convenerant, quod commodissimum ex eo loco in Cyprum trajectum esse constabat. In recensenda classe ducenta rostrata navigia adnumerabantur, in quibus biremes, ac myoparones complures: ad hæc majora navigia, *maone* appellatæ, non absimili Venetarum quinqueremium forma: naves sex: magnus onerario-

rum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 rum navigiorum numerus, quos *Caramuſsolinos* Turcæ vocant: his quinquaginta ad equitatum tranſportandum hippagogæ adjiciebantur, haud multum a noſtris triremibus forma diverſæ, puppibus tamen latioribus, erectioribuſque lateribus, quo commodius & onerari, & jumenta continere poſſent. Omnibus itaque comparatis, e Ciliciæ portu in Cyprum contendere, atque eam inſulæ partem, qua optimum egreſſum eſſe, ab exploratoribus cognoverat, Muſtaphas capere ſtatuit.

Magiſtratus interea Reipublicæ cum immenſam belli molem jam imminere intelligerent, ſummo ſtudio, atque animorum contentione ad bellum neceſſaria curabant. Commeatus in oppida, arceſque munitas convehere, incolas militiæ adſcribere, oppida munitiora reddere. Heſtor Baleonius, qui in Italia præfecturam leviorum equitum obtinebat, poſt Laurentii Bembi legati obitum copiis omnibus cum ſummo imperio præerat, atque Leucoſiæ, quæ præcipua regni ſitu, & munitione civitas habebatur, conſidebat. Nicolaus Dandulus ſupremum magiſtratum (quem *Locotenentem* vocant) Venerio abſente, legato, gerebat. Marcus Antonius Bragadenus, præfectus, Tamaſſum adminiſtrabat. Baleonius cum ad hoſtium ſuſtinendos impetus Leucoſiam ſatis munitam animadverteret, Tamaſſum profectus, una cum Bragadeno, quæ ad perficiendas munitiones ſpectarent, ſedulo curabat, quod ibi exſcenſionem Turcas facturos rumor erat. Eodem Dandulus, de iis, quæ in re præſenti neceſſaria erant, cum Bragadeno colloquuturus, acceſſit; in Aſchiæ pago de bello adminiſtrando concilium indicitur, in quo, præter Venetorum magiſtratus, Baleonius, ſummus militiæ præfectus; Eugenius Singliticus, Rochaſii Comes; Jacobus Nores, Lepti Comes; præcipui peditum ductores, Leucoſienſium rebus procurandis præfecti interfuere: ut quacumque ratione egreſſu hoſtes averterentur, decretum; intra Leucoſiæ urbem ſeptuaginta quinque; intra Tamaſſum viginti quinque incolarum millia cogi; reliquos mortales cum jumentis, arduis, atque inacceſſis montium receſſibus recipi ſtatutum; circumjecta Leucoſiæ loca, ne hoſtibus tutus inſidiis aditus pateret, ſed liber undequaque proſpectus eſſet, ut demoliantur, decernitur. Hieronymo vero Mar-

Heſtor Baleonius ſummus in Cypro militiæ præfectus.

Nicolaus Dandulus ſupremus in Cypro præſes.

M. Antonius Bragadenus Thamaſſi præfectus.

Hieronymi Martinengii obitus.

Martinengio, qui ſubſidia Tamaſſum importabat, in itinere extincto, Baleonius de primo in eam Turcarum impetu, rumoribus in dies percrebreſcentibus, permotus, cum minime inde diſcedendum cenſeret, Dandulus Rochaſium Baleonii loco Leucoſiæ copiis eadem cum auctoritate præfecit; Leptitano Comiti tormentorum, Joanni Singlitico equitum Cypriorum, Joanni Sozomeno foſſorum, Scipioni Caraffæ, ac Petro Paulo Singlitico agreſtium præfecturam attribuit; Leonardo vero Ronconio imperium Italorum militum detulit; quorum ſane virtuti cum in primis Cypri tuendæ ſpes niteretur, inopportune acciderat, ut, pleriſque vario morborum genere conflictatis, aliis extinctis, impar ad belli impetum ſuſtinendum eorum numerus haberetur. Cui malo domeſtica incolarum militia in ſupplementum adhibita occurrere Dandulus ſtatuit. In Tamaſſo idem militum defectus; nam ex duobus, qui cum Martinengio conſcenderant, millibus, mille ac trecenti tantum incolumes pervenerant, quorum major fere pars labore, ærumniſque itineris confecta, tractandis armis parum idonea cenſebatur; duo millia ſeptingenti ac triginta externi tantum milites adnumerabantur; iis Bragadenus ex ordinibus mille ac quingentos addiderat.

Muſtaphas, qui Phœniciam, ut copias in Cyprum aſportaret, appulerat, cum per exploratores adhuc Corcyræ detineri Venetorum claſſem cognoviſſet, Pialim ad exercitum e Cilicia in Cyprum traducendum miſit. Kalendis vero julii e Papho primum Turcica claſſis inſpecta inter Curium promontorium, ac Limiſsum in anchoris ſtetit. Emiſſi, qui circumjectam regionem popularentur, Divi Nicolai cœnobium, tres propinquos pagos, ac Limiſsum ipſum diripiunt. Quinquaginta Epirotæ equites, Turcarum confertæ multitudini impares, in penitiora loca leviori pugna certantes ſe ſe recipiunt. Interea Petrus Rondacius, Epirotarum dux, qui a Pappo prætervectam claſſem Turcicam legendo litus inſequutus fuerat, cum centum equitibus ſupervenit, ubique quinquaginta, de quibus diximus, conjunctis, in hoſtem impetum facit, pleroſque cædit, tribus captis, reliquos ſeſe recipere compellit. Hoſtes ad claſſem reverſi, noctu ad Salinas iter dirigunt, ac quinto nonas julii litus tenent; equites centum, peditumque ma-

Turcica claſſis in Cyprum appellit.

Turcæ ad Salinas in Cyprum exſcendunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 iis ſex Janizzerorum recenſita feruntur; duo millia ac quingenti ad bellandum expediti equites; vectorii totidem; foſſores ad tria millia; bellica tormenta triginta, quæ partim quinquaginta, partim librarum centum pondus excuterent; duæ inſuper ingentes machinæ, quæ *mortaria* vocantur; falcones quinquaginta. Tot copiis in Cyprum delatis, quam ex duabus præcipuis regni urbibus potiſſimum oppugnandam ſuſciperent, Baſſæ conſulunt. Pialis erat ſententia, ut Tamaſſus primum invaderetur, paucorum dierum ſpatio capi urbem poſſe affirmans: ea occupata, brevi Leucoſiam quoque caſuram, quæ patentibus aſſurgens campis, undique ingentibus circumfuſa copiis, longe a mari ſita, inutili turba preſſa, diu abſque recentibus ſubſidiis defendi non poſſet. Muſtaphas contra, ad Tamaſſum tempus minime terendum eſſe, cenſebat; neque ingentes coactas tanto labore copias, quarum fama univerſam Europam repleverat, inani cunctatione diſtinendas eſſe: primum regni caput, Leucoſiam, invadendum, in qua nobilitatis flos, incolarum ex tota inſula infinitus prope numerus, divitiæ diuturna pace congeſtæ, haud ignobile victoriæ præmium oſtentarent: ea capta, quid, victoria militum ſublatis animis, impedimento futurum, quo minus ſtatim Cypro univerſa potirentur? An vero in eam inſulæ partem, ubi Tamaſſus jacet, traducendum exercitum, quæ telluris humilitate, ſcaturientibus aquis inſalubris, atque ob immenſum ſolis ardorem, fœdis, exitioſiſque vaporibus obnoxia, momento graviſſimis ægritudinibus copias omnes afficeret? Muſtaphæ rationibus & auctoritati illud quoque acceſſerat, quod a captivis, & exploratoribus nunciabatur, copiarum, atque ducum robur in Tamaſſo eſſe. Leucoſiæ itaque oppugnatione decreta, cum univerſis copiis eo Turcæ contendunt. Eodem tempore peditum quatuor millia, equitum vero mille Tamaſſo appropinquare juſſi, ut Baleonium eggreſſum forte parantem, atque infeſta itinera reddere conantem reprimerent: ſeptimo kal. auguſti equitatus ſe in conſpectum Leucoſiæ dedit.

Turcarum ſententiæ de Tamaſſo aut Leucoſia oppugnanda.

Muſtaphas Leucoſiam aggredi decernit.

Interea Eugenius Singliticus, Rochaſii Comes, qui Baleonii loco belli pondus ſuſtinebat, ſummo ſtudio ad urbem tuendam neceſsaria curabat; modo Italicos milites propoſitis præmiis allicere, modo Cyprios, otio ac deliciis molles, inſueto belli terrore commotos, ſpe erigere, cunctoſque ad patriam ab immani

Eugenius Singliticus militum Leucoſiæ præſidii præfectus.

ni hoſte tutandam ſuaſionibus, adhortationibus incitare. Erant 1570
intra Leucoſiæ mœnia mille ac trecenti Itali pedites; ordinum tria millia; incolarum duo, quibus ære publico ſtipendia perſolvebantur: ſexcenti haſtis, ac fiſtulis ferreis abſque gladiis armati; ab Cypria nobilitate ex domeſticis ſervis proprio ære adſcripti mille; Epirotarum equites quingenti, pedites ducenti; tormentorum magiſtri e Cypro ducenti, ex Italia ducenti ac ſexaginta; agreſtium hominum octo, foſſorum quatuor millia; reliqua iners, atque inutilis turba, ut eorum, qui Leucoſia continebantur, numerus quinquaginta millium ſummam conficeret; qui impares licet ad hoſtes repellendos, atque ad urbem diutius tutandam cenſerentur, Italico præſertim peditatu, in quo ſumma belli ſita erat, imminuto, ac prope exhauſto; attamen imperatoris virtute errata hominum, ac fortunæ aliqua ex parte corrigi potuiſſent, ſi eum virum nacta Cyprus eſſet, qui prudentia, conſilio, fortitudine periclitanti egregiam opem tuliſſet. Verum, Laurentio Bembo, legato, defuncto, Nicolaus Dandulus ſucceſſerat, cujus ad tantum onus ſuſtinendum neque par animus, neque virtus erat; inani quadam prudentiæ, atque indefeſſi roboris opinione ad eam dignitatem ſublatus, ceterum obtuſo ingenio, nullo fere rerum uſu ad magna obeunda munera aſſuetus, in quo optima ſæpe conſilia iracundia, familiari ejus vitio, pervertebantur. Is igitur appulſu Turcicæ claſſis perculſus, neque expediti quidpiam conſilii capere, neque ubi opus erat ſuppetias ferre, neque quidquam, ut in ſummis periculis conſtitutos cordatos viros decet, prudenter adminiſtrare noverat: nondum ex foſſis, uti oportuerat, egeſta humus; nondum militibus impertita tuendæ urbis munia; nondum incolarum copiæ evocatæ; civitas commeatu parum inſtructa. Cum igitur tot incommodis exemplo obviam eundum eſset, publico edicto cautum, ut quæ quiſque in agris frumenta caperet, in urbes convehendo ſuis efficeret, at illorum magna pars in pagis agriſque relicta, hoſtibus preda fuit. Copiarum delectus magna cum celeritate habitus, qui prius ex legionariis dimiſſi fuerant, regredi juſſi.

Nicolaus Dandulus ſummus in Cypro præfectus, & ejus deſidia.

Dum hæc a noſtris geruntur, atque de urbe defendenda, de hoſtium conatibus impediendis conſulitur, Turcæ, propius admoto exercitu, tentoria explicant, tormenta diſponunt, caſtra,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 nullo obſiſtente, communiunt: inutili tantum ex mœnibus tormentorum diſploſione præpediti, fruſtra Epirotis, ac quandoque Italis erumpentibus, levioraque certamina committentibus, cum ob paucitatem extra tormentorum jactum cum hoſte congredi, ac manus conſerere prohiberentur. Andreas tantum Corteſius, Epirotarum equitum præfectus, cum propius, ſuis relictis, ſe ſe in hoſtes intuliſſet, eorum multitudine circumſeptus, ingentibus virtutis ac fortitudinis, acriter dimicando, ſignis editis, eſt interfectus. Omni eo tractu, qui a Divæ Marinæ uſque in Aglangiam protenditur, caſtrametatione occupato, quatuor objecta propugnacula Turcæ ambiunt: qua copiæ pertingere nequibant, centum equites, pedites totidem ad commeatus, & ſubſidia intercipienda ſubmittunt. Oppugnatione inſtituta, per aliquot dies mœnia continuato, verum inutili opere quatiebantur; nam globi in aggeres, qui ex ceſpitibus conflati erant, impacti, nullo noſtrorum detrimento, molliter impreſſo tantum veſtigio, excipiebantur. Inde hoſtes vineas agere, cuniculos ſuffodere, quo tecti noſtrorum tormentorum ictus eluderent, propugnaculiſque tuto ſuccederent, nunquam die aut noctu intermiſſo opere, moliebantur.

Corteſius Epirotarum equitum præfectus a Turcis interficitur.

Dandulus, qui vana ſpe deceptus tot aggeribus communitæ urbi nihil adverſi contingere poſſe arbitrabatur, ingentes operas, immenſumque foſſorum numerum conſpicatus, trepidare, excidium præſagire, ſibi animo cuncta in pejus ſubjicere cœperat. Baleonio abſente, neminem eſſe, qui vel militari diſciplina, vel tuendorum oppidorum experientia tantum impetum ſuſtinere poſſet; complures primis eruptionibus Italos pedites abſumptos: quid igitur reliquum, niſi ut alio ſpectans, ſi qua poſſet, labentibus rebus opem imploraret? Quarto igitur kal. ſeptembris ſpeculatoria biremi in Cretam miſsa, magiſtratibus, quo loco res Leucoſiæ ſint, ſignificat; rogat, obteſtatur, ſi Veneta claſſis adhuc in Cretam non applicuerit, Zannio imperatori perſcribant: iter urgeat; ſi obſeſſis opportune ſubvenire cupiat, moras abrumpat; jam enim dirui propugnacula, ruinas edi, hoſtes cito in urbem irrupturos, omnem cunctationem exitioſam fore. Miſſi præterea Tamaſsum, qui a Baleonio peterent, ut ſtatim ad præſentem opem Leucoſiæ ferendam, ſubſidio militum traducto, ſe conferret. Verum nequicquam a Zannio, qui Cretæ detinebatur,

Dandulus a Cretæ Magiſtratibus ſubſidia poſtulat.

Dandulus Baleonium ad Leucoſiam propugnandam fruſtra evocat.

tur, auxilia, ut mox dicemus, petita; neque a Bragadeno 1570
quidquam impetratum: cum ad urbis tutelam, quæ ſuæ cuſtodiæ a Senatu concredita fuerat, Italico peditatu egere ſe affirmaret; Baleonioque licet cupienti diſceſsum minime permiſit, ne (ut dicebat) itineribus omnibus inſeſſis, certo egregium ducem periculo objectaret. Sed acrius inſtante Dandulo, ut ei profectio permitteretur, cum Baleonius in præfecti voluntate ſe futurum diceret, eique poteſtatem abeundi Bragadenus faceret, quid conſilii caperet, Baleonius anceps, in re ſummi momenti nihil decernere auſus, Tamaſſi ſubſtitit: qua ex re magna in Dandulo animi conſternatio eſt conſecuta. Nam præter Italicum peditatum, reliquæ fere omnes (ut diximus) copiæ ex incolis partim delectis, partim ſtipendia publica vel privata merentibus conſtabant, qui neque uſu (quod plerique tirones eſſent) neque armis cum hoſtibus conferendi videbantur, cum multis haſtæ, aut fiſtulæ ferreæ non ſuppeterent, quarum loco contis, atque alabardis utebantur. Machinis vero bellicis, atque omni tormentorum genere quamvis apprime inſtructa civitate, neque tormentarii magiſtri fortes ac ſtrenui, ejuſque artis peritiſſimi deeſſent; foſſorum quoque ingens numerus ad quæcumque conficienda opera idoneus; terra quoque ad retractos aggeres extruendos, quibus tuto noſtri ſe reciperent, ſuppeditaretur: attamen vel præfectorum diſſidentium altercatione, vel Danduli deſidia ac torpore, vel fatali quadam lege, qua florentiſſimæ civitati interitus deſtinabatur, nihil imminenti periculo vel avertendo, vel ſuperando opportunum, nihil ex militari præſcripto agebatur; cœptum quoque de interioribus aggeribus ducendis opus, quo maxime oppidorum propugnatores niti ſolent, ob diſſentientes ſententias aliquando intermittebatur.

Præfectorū Leucoſiæ diſſidia.

Uſu profecto non ſemel cognitum, & comperium eſt quantum in bello adminiſtrando unius imperatoris ſpectata prudentia, ac virtus valeat; nullam fere adeo ingentem atque arctam rem eſſe, quam unius viri ſolido virtutis fundamento ſubnixus animus, ad exitum perducere nequeat: contra in magnis rebus gerendis non ſecus atque in ægrorum ſanandis corporibus accidere, quos medicorum turba ad interitum perducit: ac veluti diſſentientibus nautis, ſi nemo adſit, qui auctoritate, & conſilio ſingulis imperando, univerſos in officio contineat, certum turbato ven-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 tis mari naufragium imminet; ita in bello, ni ſummum imperium præſtanti viro committatur, cujus dicto inferiores præfecti obtemperent, infauſtus, atque infelix plerumque exitus manet. Prout nobili huic urbi contigiſſe exploratum eſt, cum ea, quæ noſtris deerant, hoſtibus abunde adeſſent: ſummum in duces obſequium, mira obedientia, ingens ſolicitudo, ſingulare in imperatis faciendis ſtudium; milites incommoda duroſque militiæ labores perferre aſſueti, quos nec ſolis ardores, æſtate media, fervidiſſima regione, neque die, noctuque aſſidua opera deterrere poterant. Muſtaphas vero ſtimulos cunctis addebat; nunc pœnæ metu, nunc præmiorum ſpe ſingulos ad ſua ſtrenue obeunda munera incitabat: cumque jam tranſverſis aggeribus tecti prope ad urbis foſſas perveniſſent, Muſtaphas cum Piali munera partitus, duo propugnacula, quorum alterum Podacatarum, Conſtantium alterum vocabatur, oppugnanda ſumpſit. Muſaferro Baſſæ Davila, Tripolitanus Draviſio contigere.

Supplicationes a Leucoſienſibus indictæ.

Noſtri cum acrius in dies urgerentur, atque prope portas ingenti circumfuſo exercitu ſtare hoſtem animadverterent, neque ſatis in humano conatu, ac viribus præſidii ſitum eſse intelligerent; ad Divinam opem obnixe implorandam confugiunt; in preces effuſi, publicis indictis ſupplicationibus, templa adeunt; ante ſanctiſſimam Euchariſtiam genibus provoluti, ex immo petitis corde precibus, Deum Optimum Maximum exorant, ne extremo urbis periculo, quæ ſemper ſanctiſſimam ejus religionem coluerat, pro ſua in humanum genus immenſa pietate deeſse velit; pro patria, pro libertate, pro religione pugnantibus præſens adſiſtat; omnipotenti vi nominis ſui hoſtes perdat, ac diſſipet. Pia hæc populi ſtudia Franciſci Contareni, Paphi Epiſcopi, religio atque chriſtianis virtutibus imbutus animus mirifice adjuvabat, a quo, Philippo Mocenico, Leucoſiæ Archiepiſcopo, abſente, nullum officii genus, quod in ſummis periculis ab egregio Antiſtite expectari poſſet, omittebatur, adhortationibus, exemplo, obteſtationibus ſingulos monendo, veræ pietatis admotis facibus, in hoſtem incendebat, cunctos licet tot periculorum mole ſeptos ad meliorem ſpem erigebat. Inde erectioribus animis ad urbem tuendam inflammati alacrius opera militaria obibant; intenſiori

Franciſci Contareni, Paphi Epiſcopi, pietas & virtus.

cura

cura ac vigiliis propugnacula cuſtodiebant; qua ab hoſtibus magis timendum erat, aggeres, quibus protegerentur, ſummo ſtudio communiebant. 1570

Interim Turcæ frequenti ſclopporum diſploſione eos, qui in mœnibus erant, ita affligebant, ut vix ex aggere conſpectum ſuſtinere poſſent, ac majoribus quibuſdam tormentis ad eam urbis regionem, quæ Sanctæ Marinæ dicitur, erectis, ingentium pilarum horribili fragore privatas domos disjiciendo, inaudito tremore cives, plebemque complebant. Eorum ſtupenda opera non abſque magna noſtrorum admiratione ſumma celeritate, atque artificio confecta conſpiciebantur. Munitiones urbi adverſæ ad id faſtigium perductæ, ut ex iis tuto pugnare, tormenta contorquere, ſagittas, atque arte elaboratos ignes in urbis mœnia ejaculari poſſent, quorum attactu goſſipia, quibus ad globos excipiendos noſtri uti conſueverant, incendebantur. His difficultatibus propugnatores preſſi cum in dies abſumerentur, nec peramplæ cuſtodiendæ urbi ſufficere, nec eruptionibus adoriri, aut turbare hoſtem poſſent: reliqua in tormentis ſpes eſse videbatur, quibus & hoſtium conatus impediri, & opera diſturbari poſſe confiderent: qua in re Antonii Berettini ingenium, in machiniſque bellicis tractandis peritia eluxit. At cum perpetua glandium verberatione libratores proſternerentur, brevi eorum quoque numerus valde eſt imminutus. Interim ad labrum foſsæ mœnibus oppoſitum Turcæ ſucceſserant, atque, eo perforato, foſſas ſubjerant, & egeſta humo, cum a noſtrorum tormentorum ictibus tutos ſe reddidiſsent, ligonibus propugnaculorum fundamenta ſuffodere cœpere, ac quibuſdam veluti gradibus faciliorem ſibi adſcenſum ad propugnacula invadenda reddidere. Inde Conſtantium, ac Podacatarum, veluti propugnatorum virtutis facturi periculum, aggrediuntur. At inopinato, repentinoque conatu Conſtantii milites perculſi adeo mollite eorum impetum excepere, ut ex Turcis complures audacius progreſſi, ultra protectorios aggeres ſe ſe inferrent. Verum ſupervenientibus cum ſuis cohortibus Paulo Guſtinio, atque Andrea Spellenſi, non abſque ingenti jactura fortiter pulſi ſunt, e noſtris aliquot deſideratis, inter quos Andreas ipſe, inter primos acriter dimicando, confoſſus occubuit.

Antonii Berettini machinarū tractandarum peritia. Turcæ mutationes Leucoſienſium adorti repelluntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 Exin Turcæ quatuor propugnaculorum frontes exſcindere aggreſſi, neque tormentorum ejaculationibus, neque ulla vi depelli poterant, ut jam cominus pro civitate tuenda in propugnaculorum ruinis certandum foret. Itaque cum nullius certi auxilii ſpes oſtenderetur, erumpendi in hoſtes conſilium ſeſe objiciebat, quod hucuſque conſtanter abjectum fuerat, tum ob Italorum militum paucitatem, tum quod in plebe plerumque imbelli, neque militaribus functionibus aſſueta, atque in agreſti turba parum præſidii ſitum videretur. Italis namque compluribus ob ægritudines, quæ ea æſtate ſævierant, extinctis, multi inſuper ex iis, quorum cuſtodiæ quatuor propugnacula concredita fuerant, ab hoſtibus quotidie interficiebantur, ut ad ſexcentos tantum bello idoneos redacti eſſent. His fiebat ut eruptiones Dandulus, ac reliqui duces non permitterent. Rebus tamen urgentibus, & periculorum propinquitate permoti, præfectorum, militum, civiumque precibus defatigati, animos flexere. Decernitur itaque, ut elatis ſignis Italorum peditum pars, popularium, atque agreſtium manus ad millia circiter, Cæſare Plovenio duce, qui vices Rochaſii gerebat, Alberto Scoto, Joanne Baptiſta Ariminenſi præfectis, in Turcicas ſtationes erumpant, opera disjicere, tormenta, adactis in ſpiramenta clavis, configere conentur. Equitatus, qui opem peditatui ferat, inſtruitur. Quingenti Epirotæ equites, ducenti ac quinquaginta Leucoſienſes ad Salinarum portam conſiſtere jubentur, ut peditatui in eorum munitionibus, ac vineis Turcas adorituro præſto ſint, atque a lateribus invadant. Decimo octavo kal. ſeptemb. Deiparæ Virginis aſſumptioni ſacro die, meridiano tempore, ſolis æſtu torrente, Turcis nil hujuſmodi opinantibus, cum negligentius cuſtodias habentes, alius alio diſceſſiſſet, quidam diutino labore feſſi, ac curis ſoluti ſomno corpora reficerent, noſtri urbe egreſſi, ſeſe uſque in hoſtium aggeres intulere; magnam illorum ſtragem, pleroſque gladiis, atque alabardis confodiendo, edidere; reliquos metu perculſos fuga ſalutem quærere: adnixius inſequuti, duabus munitionibus potiuntur; quinque tormenta configunt; ingentique clamore, ac ſtrepitu in caſtra perlato, tumultus ac conſternatio exorta, fere omnes in fugam egerat, ita ut nonnulli tentoria quoque relinquerent. Conſtans multorum opinio fuit, ea die tormenta adimi, occupari ag-

Leucoſienſes ex urbe erumpunt, hoſtes proſternuntur.

aggeres, urbemque ex hoſtium faucibus eripi potuiſſe, ſi equitatus, uti ſtatutum fuerat, affuiſſet. Verum Dandulus optime inſtituta conſilia evertit, equiteſque egreſſu prohibuit, ac juniores nonnullos, quos ætatis fervor, generoſuſque animi impetus in hoſtem ferebat, erumpere conantes, propria manu avertit; mirumque in modum exardeſcens, nulli neque ex Cypria nobilitate, neque ex Epirotis equitibus e mœnibus exitum permiſit. Inde hoſtibus, coacto equitum agmine, haud difficile fuit, noſtros diuturna pugna, atque ingenti calore feſſos aggredi, cunctiſque ſubſidiis deſtitutos ingenti cæde afficere. Nam etſi Plovenius una cum Alberto Scoto, & Joanne Baptiſta Ariminenſi, globo ſuorum facto, munitionem captam fortiter tutati diu, acriter ingruentibus Turcis obſtitiſſent, eorum multitudine potius, quam virtute victi, non ſine ingentis fortitudinis laude cecidere: ex militibus ſeptuaginta, centurionibuſque aliquot deſideratis, reliqui fere omnes ſaucii intra urbis mœnia cum Turcarum exuviis ſe recepere.

1570 *Dandulus ſubſidia ſuis impedit.*

Plovenius & alii ſtrenue dimicantes occumbunt.

Hoc eventu & Turcæ, ne quid in poſterum a repentinis eruptionibus timerent, ad firmiora præſidia munitionibus adhibenda incitati, & propugnatores ab omni ſpe extra mœnia quidquam tentandi depulſi ſunt. Itaque nullo repugnante, propugnacula diruere, aggeres a noſtris confectos, ſubducta humo, demoliri, quidquid indefeſſo opere nocte ſarcire conabantur, die proſternere, cum & a tormentorum jactu tuti eſſent; noſtri neque in muris conſiſtere, neque ex aggeribus caput exerere poſſent, quin ſtatim glandium procellis dejicerentur. Verum ne penitus afflictis, ac prope perditis rebus deeſſent, Palatio Fanenſi præfecto ſuadente, bini retracti aggeres in Podacataro, & Conſtantio propugnaculis inſtituuntur. Joannes Sozomenus in Davila, & Tripolitano receptus, nullo hoſti ſpatio relicto, ſibi delineandos ſumpſit, qui confici nequaquam potuere. Turcæ ex ruinis tutos ſibi gradus, quibus ſcanderent explicata acie, atque impetum in urbem facerent, confecerant: inde modo levioribus, modo gravioribus aggreſſionibus, ſi qua irrumpere poſſent, tentare: nunc unum, bina modo, quatuor quandoque propugnacula eodem tempore adoriri. Sed a propugnatoribus acriter dimicantibus ſemper repellebantur; ſubire conantes vario armorum genere,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 re, globis, ignibus fabrefactis, saxorum ac stipitum libramentis, ingenti strage edita, dejiciebantur. Hac propugnandi ratione ex nostris quamvis pauci caderent, eo tamen majore detrimento id fiebat, quod in dies militum numerus absumeretur, pauci, iidemque assiduis laboribus, vigiliis, ærumnisque afflicti & confecti supereſſent.

Tot difficultatibus circumsepti, cum literis secretioribus exaratis notis certum hominem Tamassum mittunt, auxilium cadenti civitati implorant: ad extremum ventum; ni opem ferant, jam de Leucosia actum esse. Responsi mora, interceptum ab hostibus hominem fuisse, uti contigerat, cum suspicarentur, captivum ante mœnia Turcæ objiciunt, ut subsidii spe omni amissa, nostri deditionem faciant. Rursus Joannem Baptistam e Sancto Columbano, militum præfectum, virum prudentem atque impigrum, Tamassum proficisci jubent. Is, cum incolumis eo perveniſſet, mandata exequutus, Cerinium reversus, paucosque ibi, ne in hostium manus incideret, dies moratus, tandem noctu itinere confecto, spe subsidii penitus præcisa, urbe excipitur. Hoc frustrati effugio, literis ac nuntiis agrestes, qui intra juga montium sese abdiderant, ad auxilia ferenda, magnis propositis præmiis, solicitant. Missi, ab hostibus, qui omnes semitas militaribus præsidiis obsepserant, capti, in nostrorum conspectum obtruncantur. Verum nulla re Italorum mentes commovebantur; in Cypria nobilitate incredibilis ardor, atque ad extremum usque spiritum in patria tuenda constans atque infractus animus, qui nulla alia re magis, quam Venetæ classis spe sustentabatur; in ea & hostium cladem, & ipsorum salutem sitam esse rati.

Joannes Baptista a Sancto Columbano ad auxilium petendum Tamassum mittitur.

Turcæ contra, ne subsidia in Cyprum tandem submitterentur, veriti, nostros assiduis laboribus fessos, ac prope confectos, si qua possent ad deditionem pellicere, atque incitare conabantur: crebras literas sagittis alligatas in urbem ejaculabantur, quibus Mustaphas modo magistratus, cives nonnunquam, sæpe plebem, nunc clementia ac præmiorum spe, nunc terrore acerbissimorumque cruciatuum minis ad deditionem solicitabat. Cum nihil neque pollicendo, neque terrendo hostes proficerent, milites, qui Constantii munitioni præerant, in colloquium adcersunt. Thomas Cyprius, ordinum cohortis

tis præfectus (fide utrinque interposita, ut unius horæ spatio ab injuriis supersederetur) quæ afferre velint, auditurum, atque ad magistratus delaturum, inquit. Extemplo complures e caveis se in fossam ejiciunt; ex iis unus Mustaphæ nomine, ita loquutus fertur: *Vehementer mirari Bassam, ne responso quidem tot missas in urbem literas dignatos nostros fuisse. An non satis hucusque summo eorum damno immensas præpotentis imperatoris vires expertos? Quid præsidii reliquum? An in classe, quæ sævis conflictata morbis e stationibus egredi nequiret? An in militum numero, ac robore, qui exhausti, ac prope exanimes vix pedibus insistere possint? Videant, ne temeritatis potius pœnas, quam constantiæ laudem ferant, ac pro victoris humanitate & clementia, iram furoremque experiantur: si se dedant, pacem a Rege potentissimo inviolatam, sanctissimi jurisjurandi fide roboratam habituros; Græcis, bonis, dignitatibus, civitate relicta, annua tantum sibi tributi nomine pensione servata, contentum fore; Italis pecuniam, commeatus, arma, tutamque in Cretam itineris facultutem præbiturum.* 1570

Turcarum ad Leucosienses obsessos verba.

Iis ad magistratus perlatis, lapso, quod pepigerant, intervallo, tormenta in hostem excuti jubent; idem & horarii spatii finis, atque ex Constantio, & Davila globorum ingentium in Turcas ejaculationis initium fuit, ex qua plerique, qui aperto cælo in vinearum aggeribus constiterant, sunt interfecti. Eo eventu per deditionem Leucosiæ obtinendæ spe penitus hostes dejecti sunt. Nostris summa quæque experiri, mortem oppetere potius, quam turpiter cedere obfirmatus est animus. Fovere egregios hosce impetus, ardorem alere, propinqua subsidiorum spe magistratus adnixi, transfugæ cujusdam per eos dies in urbem excepti opportunitate in vulgus proferunt literas Tamasso delatas, quibus christianæ classis adventus nuntiabatur: atque ut cunctorum mentibus altius ea spes insideret, præfectis, qui incolas in montium angustiis tutabantur, ut ignibus adventantis classis signa darent, imperatum. Ex quo tantum roboris, atque animorum incolis accessit, ut non defuerint, qui inani gaudio perfusi (ea est imaginandi præditæ facultatis vis) asportari tormenta, avehi ex castris tentoria constanter affirmarent. Turcæ interim, nunquam verberatio-

Leucosienses in Turcas invehuntur & complures interficiunt.

Leucosiensium lætitia ab falsum subsidii nuntium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 tione intermissa, diversis ex locis propugnacula aggressi, nullum quietis, nullum remissionis locum defensoribus relinquere. Hieronymus a Calice, Joannes Dolionius, militum præfecti, glande icti in Podacatara munitione cecidere; in Constantia Gualterius Bergomas, præfectus, est interfectus: in Davila Jacobus Nores, Leptitanus Comes, sagitta in capite ictus, post tres dies occubuit: ejus obitum ingenti mœrore ac lachrimis omnes sunt prosequuti, illum potissimum eo tempore ereptum fuisse, qui virtute, ac fortitudine periclitanti patriæ opitularetur: in custodiis habendis solertem, plebis acerrimum adhortatorem, quacumque se hostes inferrent, & impetum facerent, fortissime dimicantem. Francisco Mariæ ejus fratri propugnaculi cura tributa est.

Hieronymi a Calice & Joannis Dolionii cædes.

Gualterius Bergomas, & Jacobus Nores occubunt.

Minutis hisce præliis & nostrorum numerus in dies imminuebatur, & hosti vires, atque audacia succreverat, nihilque jam obstabat, quin totis viribus in quatuor propugnacula invaderent. Mustaphas igitur cuncta ad urbis oppugnationem necessaria, atque opportuna parat: ut animi impetum in militibus augeat, qui primi, secundi, aut tertii mœnia conscendissent, iis edicto publico præmia Sangiacatus decernit: qui vero primus captam urbem ingressus fuisset, huic Bassæ honos proponitur. Tum universis viribus exercitum mœnia subire imperat, ad pugnam adhortatur, animorum impetum acuit, præsentem victoriam, Leucosiensium opes, divitias oculis subjicit: cum iis pugnandum, qui numero pauci, vix ægris, atque tabidis membris arma sustinerent, qui toties victi, ac fracti justo prælio nunquam decertare ausi sint. *An hi* (inquit) *præferoces vestros conatus excipere poterunt? an vestrum in urbem impetum remorari, quin aggerum munimentis perruptis, inudantes hostili sanguine fossas cernere, has viles animas prosternere, atque per stragis acervos vobis aditum non facere nequeatis? Ille ante alios egregius animi ex me debita virtuti præmia referet, qui primus hostium munimenta subire, victricia Ottomanorum Regum signa extollere, ac figere in munimentis audebit.* Militum accensis animis, quinto idus septembris, duabus ante solis exortum horis, eodem tempore totis viribus quatuor propugnaculorum oppugnationem aggreditur; Caramano Bassæ Podacatarum, Musaferro Constantium obti-

Mustaphæ ad suos adhortatio.

obtigere; Mustaphas Davilam sibi sumpsit, eoque prætorianorum militum robur contulit; Ali Tripolitanum assignavit. 1570

Turcæ per ruinas adscensum moliuntur, cominus sagittis, acinace, saxorum atque ignium fabrefactorum missilibus rem agunt: scloppettarii, ad id pugnæ genus armorum gravitate inutiles, in vineis consistunt. Qui Constantium, Davilam, ac Tripolitanum tutabantur, ingruentium impetum fortiter excipiunt, acriter repellunt, nemini ex aggere descensum permittunt; si qui tentare ausint, morte pœnas luunt. Pugnatur utrinque acerrime; nostri pro aris ac focis, pro religione; illi pro præda, pro dominatu. Tantumque vivida propugnatorum virtus potuit, ut si in iis, qui Podacatarum tutabantur, par virtus extitisset, ea die servata civitas foret. Verum cum milites somno consopitos, custodiasque negligentius obeuntes Turcæ offendissent, magno impetu aggeres adorti, nullo obsistente, occupavere. Qui Constantio præerant, ex faucibus, quibus recta in Podacatari frontem prospectus erat, corruscante tormentorum igne, ordinatam aciem, explicatis vexillis, in propugnaculi aggere consistere conspicati, initio nostros, qui Turcas repulissent, arbitrabantur. Sed cum, nondum inalbescente die, incerta luce ægre res internosci posset, quid ea in parte agatur, speculatum mittunt. Propugnaculum a militibus relictum, hostes in aggere consistere, sed descensum adhuc in urbem non moliri cognoscunt, ea fortasse de causa, quod cuniculis suffossis repente opprimi vererentur. Ea re cognita, statim quatuor muralia tormenta in Constantii propugnaculi faucibus disponunt; bina catenis, bina globulis ferreis infarciunt, quæ eodem momento in hostes contorta ingentem stragem edidere; ut nonnulli etiam ex iis, qui superarant, exanimatorum corporum fragminibus humi prosternerentur.

Turcæ, Podacataro propugnaculo occupato, Leucosiam capiunt.

Ceterum cuniculorum timore soluti, refecti animis, viribusque aucti munitionem ingressi, Podacataro occupato, per urbis mœnia discursantes, Constantii, Davilæ, ac Tripolitani interiora latera intercipiunt; atque a tergo Italos, & Epirotas frontibus propugnaculorum intentis hostes adoriuntur. Eo strepitu, ac clamore excitus Leonardus Rontonus, qui crure saucius domi detinebatur, illico devehi se ad Constantium jubet, atque in itinere ab hostibus interficitur. Eodem fato

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 fato Rochaſius Comes abripitur, qui ſuorum militum manu redintegrare pugnam connixus, glande plumbea percuſſus, occubuit. Eo amiſſo, reliqui alius alio dilapſi, fuga ſalutem quæſivere. Verum in Conſtantii, Davilæ, ac Tripolitani munitionibus acriter adeo pugnabatur, ut tribus poſt ſolis exortum elapſis horis, adhuc Turcæ ex aggere dimicantes nihil proficerent; cum tandem, multitudine exundante, circumfuſi, frontes deſerere, atque adverſi cum hoſte a tergo invadente, confligere coacti, undique circumventi, profligantur, cæduntur, ac crudeliter obtruncantur. Pauci ex Italico peditatu, per medios hoſtes contis aditu patefacto, in anguſtas urbis ſemitas fortiter dimicando, Turcarumque impetum repellendo, ſeſe recepere. Agreſtium copiæ ſubſidio miſſæ, ingentem noſtrorum internecionem ac ſtragem, hoſtemque civitatem ingreſſum cernentes, nullis adhortationibus, nulla vi, aut auctoritate ſiſti potuere, quin, paſſim abjectis armis, ſupplices ſe hoſtibus dederent, a quibus ſtatim confoſſi deperibant. Neque Petri Piſani conſiliarii, aut Bernardini Polani Salinarum præfecti auctoritas, aut virtus labentes erigere potuit. Nam Polanus inter confertam multitudinem dum retrahere ad pugnam quotquot poteſt, contendit, eodem lethi genere extinctus eſt. Jamque nullo ordine, nullis imperiis per vicos, ac ſemitas pugnabatur; oppidanorum ejulatus Turcarum acclamationibus, civium gemitus hoſtium ululatibus permixti exaudiebantur.

Qui e noſtris ſupererant milites, forum occupant; magiſtratus eodem conveniunt; ac licet caſu urbis perculſi, equis alius alias vecti, viarum oſtia obſtruere, hoſtibuſque aditum intercludere conantur. Acerrime per duas horas dimicatum; ingruentes hoſtes pulſi; donec Aleppi Baſſa cum equitatu ſuperveniens, ſtatim duos viarum exitus intercepit. Eo cum res deducta eſſet, jamque ſuprema clades inſtaret, Dandulus ſummus præfectus, Paphi Epiſcopus, aliique ex civium primoribus intra regias ædes ſeſe recipiunt. Baſſa, tribus ex mœnibus tormentis in forum convehi juſſis, eos, qui adhuc ſtrenue pugnabant, perterrefactos, turbatis ordinibus, locum relinquere coegit. Quorum plerique in ædium publicarum atrium conferti ſeſe intulere, reliqui per vicos palantes, ac diſperſi, aut

aut obtruncati, aut capti fuere. Itali pedites, qui adhuc circiter octoginta ſupererant, nunquam intermiſſo certamine, ad Bembam uſque portam, hoſte inſiſtente, perveniunt, ibique denſata acie, multitudinis impetum egregie ſuſtinent. 1570

Interea Muſtaphas captam urbem ingreſſus, undantes ſanguine vias, jacentia humi corpora, oppletos cadaveribus vicos inſpiciens, ab armis ceſſare jubet; noſtriſque, qui publicis ædibus detinebantur, concordiæ ſigno dato, Cyprium quemdam, cui paulo ante in deditionem accepto fidem obſtrinxerat, ad Dandulum mittit. Is Muſtaphæ nomine cunctis vitæ incolumitatem pollicitus, una cum Tutio Conſtantio, ut deditionem magiſtratus nomine faceret, ad Baſſam remittitur; ſtatimque Dandulo jubente, arma abjiciuntur. E palatio exeuntibus Turcæ, qui illud circumquaque obſepſerant, conglobati, in fores impetu facto, nemine (quod arma ſinguli exuerant) repugnante, in atrium irrumpentes, cunctos abſque ullo diſcrimine memorando barbaræ crudelitatis exemplo contrucidavere. Nicolaus Dandulus, Franciſcus Contarenus Paphi Pontifex, reliqui magiſtratus, alii vel dignitate, vel nobilitate inſignes, eumdem caſum ſubiere. Eo facinore perpetrato, hoſtes nullo ordine, nullo præeunte ſigno, per urbem paſſim diſcurſare, irruere, circumfundi; in reliquias ſævire, domos diripere, templa demoliri; non matronarum, non ſacrarum virginum pudori, non ætati, non ſexui parcitum, quin omnes aut lethali ferro confoſſi interirent, aut in miſerrimam ſervitutem pertracti reliquum vitæ tempus omnium mnarum genere conflictati tranſigerent. Auri, argenti, gemmarum, pretioſæ ſupellectilis ingens copia, ſed ad ſatiatum libidinem, atque avaritiam exſaturandam inferior, qui ſervorum vel indiciis, vel exquiſitis tormentis, a pleriſque opulentioribus, defoſſa terra, conditas divitias ſcrutati, nihil ad auri, atque argenti ſitim explendam intactum reliquere. Hic ſupremus labor; hæc poſtrema Leucoſiæ dies fuit, quæ nobilitate, opibus, viribus inſignis, per multos annos extra fortunæ aleam nullis obnoxia cladibus, aut calamitatibus floruerat. Viginti ea die hominum millia gladio cecidiſſe conſtat; viginti tantum ex Cypria nobilitate ſuperfuere. In capta urbe per novem dies hoſtes cum exercitu commorati, accenſis in quatuor

Muſtaphas Leucoſienſibus vitæ incolumitatē pollicetur.

Danduli præcepto Leucoſienſes arma abjiciunt.

Dandulo & aliis proceribus crudeliter necatis urbs a Turcis diripitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 tuor propugnaculorum ruinis ignibus, defunctorum cadavera, quæ publica non modo loca, verum privatas quoque domos compleverant, concremavere.

Ceterum ut insigni aliquo partæ victoriæ fructu Selymus potiretur, pulcherrimis matronis, selectis virginibus, puerorum atque adolescentium flore, egregia supellectile, tria navigia referta Byzantium mittere Mustaphas statuit. Magna vero Mahumetis Bassæ navi, una ex majoribus triremibus, ac myoparone oneratis, dum opportunus navigationi ventus expectatur, ignis repente in navi obortus, in proximamque triremem, ac myoparonem horribili fragore diffusus, momento viros, mulieres, ac prædam omnem absumpsit, navis magistro, ratiocinatore, ac sex Turcis tantum exceptis, qui natando ad litus appulere. Ex iis cognitum est, Cypriam matronam infandæ servitutis jugum perosam, patriæ excidium, civium, ac cognatorum ingentes calamitates, atque ærumnas lamentantem, generoso ausu in tormentarium pulverem igne injecto, memorandum facinus edidisse; tyranno victoriæ exuvias eripuisse: mulieris, quæ priscarum invictum robur, ac fortitudinem æquavit, nomen interiit.

Mustaphæ præcepto Danduli caput Tamassum defertur.

Eadem, qua Leucosia cecidit, die Mustaphas æreæ lanci Danduli præfecti capite imposito, per agricolam quemdam Tamassum ad Marcum Antonium Bragadenum, præfectum, deferri jubet: ni se dedat, eumdem illi manere exitum minatur. Is trecentis equitibus usque ad civitatis portas comitatus ejusmodi responsum tulit; Mustaphæ diceret, *ad extremum usque spiritum urbem tutari sibi constitutum esse; vires exereret; periculum faceret; propugnatorum robur, ac constantia quid posset, experturum.* Decimonono kal. octobris motis castris, Mustaphas Tamassum versus proficiscitur, victoriaque insolens, literis ac nuntiis præfecti animum rursus pertentat, si forte periculorum metu, atque adventantis exercitus terrore ad deditionem flecteret; sartas tectas vitam, fortunas, tutumque, quo sibi libuerit, iter pollicetur. Iisdem artibus Joannem Mariam Mutatium, Cerinii præfectum, Alphonsumque Palatium, qui militibus eo in oppido imperabat, aggreditur. Bragadenus una cum Baleonio infracti, atque imperterriti, si quis cum Turcarum mandatis, literisve ad urbem ac-

Marci Antonii Bragadeni ad Turcas responsum.

Joannes Maria Mutatius, Cerinii præfectus, turpiter Turcis civitate tradita, perpetuo carceri damnatur.

accedere ausit, pro hostibus habiturum minantur. Qui Cerinio 1570
præerant, licet initio oppidum intrepide se defensuros dictitassent, nec dum acie hostili inspecta, turpiter se dedidere, commeatumque in Cretam obtinuere. Mutatius, ac Palatius Venetias delati, perpetuo carceri addicti Decemvirum decreto, deserti per ignaviam oppidi pœnas dedere. Ii quoque qui montium latebris tecti hostium impetum evaserant, Mustaphæ imperium subiere; brevique insula universa, præter Tamassum potitus, undecimo kal. octobris eodem cum copiis pervenit, atque in hortis ad vicum, quem *Adami pomum* vocant, tribus a Tamasso passuum millibus consedit. Classis quoque in eas oras contendit, ut instantis oppugnationis metu nostros ad deditionem compelleret.

Mustaphas ad Tamassi oppugnationem copias duxit.

Bragadenus præfectus, vir acer atque impiger, strenui imperatoris munera obeundo, milites, cives, plebem ad urbem tuendam adhortatur: atque a divinis, uti decebat, exorsus, in foro summa totius civitatis frequentia missarum solemnia celebrari jubet. His peractis, cunctos jurejurando adigit, usque ad extremum spiritum Tamassum defensuros; quodlibet tormenti genus, mortem quoque ipsam, prius quam Reipublicæ semel datam fidem fallant, oppetituros. Eadem die nonnullæ emissæ cohortes, levioribus certaminibus prospere depugnarunt. Hostes, in Bovis rupe portui adversa dispositis tormentis, tres in anchoris consistentes naves deprimere frustra connixi, e regione, quæ Constantia appellatur, centum atque octoginta ab urbe passibus, quatuor erectis munitionibus, machinas ad mœnia verberanda attraxere: aggeres insuper, qua navalium turris inspicitur, ad Limissanam usque portam perduxere, quibus scloppettarii tecti ingentem glandium procellam continenter die noctuque effundebant, verberatione ad navalium munitionem cœpta. Nostri gravioribus excussis tormentis, duarum horarum spatio quatuor Turcarum ingentes machinas disjiciunt, ac prosternunt. Ex reliquis tribus partibus inani eventu hostibus res cessit, cum diurna opera nocturnis eruptionibus nostri everterent, tormentorum orificia obstruerent, munimentaque diruerent. Qua ex re cum nihil proficere, jamque annum in hyemem vergentem, complures suorum cædes Mustaphas animadverteret, castra a Tamasso movit. Baleonius discedere hostes conspicatus, in duas eorum munitiones impetum facit; harum

Marci Antonii Bragadeni virtus in Tamasso propugnanda.

Mustaphas exercitum a Tamassi oppugnatione abduxit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 harum alteram relictam jnvenit, ad alteram cum gladiis cominus dimicatum: hostibus turpiter fusis, in eorum conspectu munimenta, atque aggeres diruta, ac solo æquata sunt.

Christianorum ducum consilia de bello administrando & auxiliis in Cyprum importandis.

Dum hæc gererentur, de ratione belli administrandi, deque auxiliis in Cyprum importandis diversis sententiis in Creta disceptabatur. Aurias a profectione in Cyprum abhorrebat: *Neque anni tempus, neque in Veneta classe imminutum Epirotarum, ac militum numerum permittere, ut tuto in hostem iri posset, qui, exercitu e Cilicia in Cyprum traducto, de nostrorum adventu solicitus, nihil, quod ad firmandam classem spectaret, prætermissurus videretur: tutos receptus habere, remige abundare, copiis terrestribus subnixam, ab omni periculo immunem fore. Contra magnum a nostris classibus iter per hostium maria emetiendum; complures triremes claudicantes, ac parum instructas, adversis ventis ac fluctibus exponendas; infidas stationes, anni tempus in hyemem præceps, sævientia tempestatibus maria: tot tantasque vires, quibus christiana respublica in primis niteretur, incertis rerum casibus minime objiciendas: neque Venetis ipsis conducere, ut nulla rei egregie gerendæ spe, amici Regis classis adeo a Neapoli, atque Sicilia abduceretur, ut Numidarum prædonum incursibus paterent ea regna. Hæc ita se habere, arbitrantem, nequaquam tamen a Marci Antonii Columnæ sententia recessurum.* Columna, qui initio, nulla mora interposita, statim in Cyprum iter maturandum censuerat, cadavera, quæ Amphimaleo portui circumjecta litora oppleverant, intuitus, ob idque Venetam classem fere exarmatam ratus, plurimum pristini ardoris remittere videbatur, veritus, ne, suscepto frustra itinere, neque tuto cum hoste confligi, neque obsessis subveniri opportune posset. In eamdem sententiam Sfortia Pallavicinus, ac Jacobus Celsius, classis legatus, rapti, Cypri liberandæ, hostiumque immanes conatus avertendi unicam rationem rebantur fore, si vel recta in Hellespontum contenderetur, aut Eubœa universis viribus invaderetur: propinqui periculi metu perculsos hostes, ut suis rebus succurrerent, classem, copiasque a Cypro amoturos; ac si celerrime res conficeretur, haud difficile esse, ut quæ Cypriis damna illata fuerant, præclara aliqua urbium, aut oppidorum accessione penderentur.

Zan-

Zannius nutantibus hisce consiliis haud parum commovebatur, quod inutili cunctatione tempus elabi, Cyprios in dies majoribus periculis conflictari, nihil tot apparatibus, nihil concepta omnium opinione dignum fieri animadverteret. Itaque omni vi animique contentione, ut in hostem iretur, prælioque cum classe Turcica decerneretur, suadebat: *In eam sententiam ab Senatu mandata habere: nihil perfici præclarius posse, quam egregio hoc facto, & hostis insolentiam obtundere, & Leucosienses obsidione liberare. Nam quod Venetorum classem militum, ac remigum defectu parum navigationi, ac certamini aptam nonnulli affirment, inficias ire non posse, cælesti quodam impulsu morbis confectos complures in ea mortales occubuisse; attamen novo Italorum delectu militare robur auctum, remige ex Corcyra, Zacyntho, Cephalenia, Creta subventum: Græcos sclopettarios, sagittariosque non defuturos. Totis igitur viribus adversus hostes proficiscendum, neque indefensos Cyprios barbarorum avaritiæ, ac libidini relinquendos. Quibus enim* (inquit) *urbium, oppidorumve oppugnationibus imminens nobilissimo regno clades averti potest? Atque, ut omnia, quod pro difficillimo habetur, prospere eveniant, quis urbem, aut oppidum occupandum Cypro amissæ antetulerit? An non, Leucosia expugnata, perfacile hostes universa insula potituros, quo quid christianæ reipublicæ gravius, aut acerbius accidat? Ac ni belli ratio, ni publica utilitas adhortetur, an non tot mortalium Christi Servatoris cruore redemptorum ab acerrimo, ac potentissimo hoste obsessi voces, preces, ac lachrymæ animos flectent, quibus nisi vestra auxilia præsto adsint, indigne ac crudeliter pereundum sit? Cur igitur cunctamur? cur flantibus adhuc prospere ventis non omnes ad iter accingimur? Adventus profecto nostri fama perculsi hostes vel obsidionem solvent; vel in oppugnatione occupati, classem milite vacuam nobis relinquent; aut si cum ea integra dimicandum erit, triremium numero, militum robore, ducum virtus haud dubiam de hostibus victoriam referent, quos inopinato hoc adventu perturbatos & perterritos, aut turpiter discessuros, aut certam, si confligere audent, vestris armis, ac virtute perniciem subituros sperandum est.* Cum Zannio Antonius Canalis, classis legatus, adstipularetur, Marcus

Zannii sententia de prælio cum classe Turcica committendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 Antonius quoque Columna consentiens, in eamdem sententiam Joannem Andream Auriam pertraxit.

Christiani duces in Cyprum proficisci decernunt.

Profectione in Cyprum decreta, ad Sitiam, olim Heracleam vocatam, classes convenere, ubi de maturando itinere cum a ducibus agitaretur, eadem in Auriæ animo aversio assurgebat: *Anni tempore, Venetarum triremium imbecillitate, exili rerum prospere gerendarum spe se deterreri: omnino ante octobris initium in occidentem vela daturum, neque regiam classem, cui propriæ quoque ipsius divitiæ, decusque niterentur, ingruentibus tempestatibus objecturum.* Zannius omnes moras discutere, adhortari, flagitareque pergebat, ne consiliorum perplexitate rerum adhuc præclare conficiendarum occasiones corrumperentur. Zannio adhærens Columna, Auriæ suadebat, *ne difficillimo tempore Venetis deesset, ne egregiam, & christianæ reipublicæ operam navandi, & sui nominis gloriam propagandi opportunitatem elabi sineret; nihil, eo abeunte, vel ad Cypri regnum obsidione levandum, vel ad hostis audaciam contundendam confici posse. Quid porro pertimesceret? an navigandi pericula? At, prospero vento flante, octo aut decem dierum spacio confici iter posse. An hostium potentiam? terra, marique distractas eorum vires? Porro id non suæ virtutis, non illius disciplinæ esse, qua ab incunabulis fere imbutus fuerat: magis præstare, suique Regis amplitudinem decere, fortiter cum hoste confligendo classem fortunæ, periculisque objectare, quam pugnam detrectando incolumem, sed ingloriam in occidentem abducere.* His permotus, ea demum conditione in aliorum sententiam Auria descendit, ut a nostris nautici panis copia sibi affatim præberetur, atque in singulis Venetis triremibus centeni milites essent; quod, ipso classem lustrante, præstitutum est.

Marcus Quirinus ad explomadum in Cyprum missus ad classem regreditur.

Marcus interea Quirinus, qui ad Turcarum res explorandas missus fuerat, decimo octavo kal. octobris regressus, e speculatoria hostium biremi cognovisse pertulit, adhuc Leucosiam stare, quotidie a nostris ingentem Turcarum numerum confici, qui, navibus, ac myoparonibus in triremium supplementum exarmatis, illisque ad centum ac quinquaginta redactis, christianorum adventu vehementer solicitabantur. Hoc nuntio confirmatis animis, cunctis ad iter habendum ex-

expeditis, e Creta secundo vento solvere, Aloysio Bembo, Angelo Suriano, Vincentio Maria Priolo, trierarchis, speculatum præmissis. Classis socialis universa triremibus centum atque octoginta, duodecim galeatiis, onerariis Venetis quatuordecim, præter minoris formæ navigia, quæ commeatu, ac bellico apparatu referta subsequebantur, constabat. Centum ac vigintiquatuor triremes Respublica; duodecim Venetas suo ære armatas Pontifex; quinque & quadraginta Philippus Rex contulerant. Milites, qui conscenderant, quindecim circiter millium numerum explebant. Horum mille in ponticia; quatuor in Hispanica; reliqui in Veneta classe censebantur. Ad hæc eorum, qui sponte in militiam nomina dederant, ingens numerus, quos vel gloriæ cupido, vel religionis ardor, vel in Rempublicam Venetam studium ex Italia, atque omnibus pene Europæ regionibus ad hoc bellum attraxerant. Classis igitur Carpathum devecta, triduo trecentis passuum millibus emensis, ad Chelidonium promontorium, *Castrum Ruzum* hodie dictum, e regione Ciliciæ, centum ac quinquaginta passuum millibus a Cypro distans, pervenit. Oborta tempestate, pontificiæ, ac Venetæ triremes portum, quem *Vathin* incolæ appellant, inter Chelidonias & continentem cepere. Eumdem occupare quoque Auriam potuisse fertur, nisi aperto mari detineri ea nocte maluisset, non absque periculo, ut intensiore vento in occidentem abstractus, nostros deserere cogeretur. Verumtamen summo mane in conspectum se sociorum dedit, quo tempore Bembus, Surianus ac Priolus cum captivis supervenerant, ex quibus Leucosiæ excidium, Mustapham cum exercitu, Pialim cum classe Tamassum petiisse cognitum est.

1570

Christiana classis tempestate jactata.

Tristi nuntio vulgato, cuncti ingenti mœrore & lachrymis attoniti, ac veluti stupore defixi fatum nobilissimæ urbis conqueruntur: *ambiguis ducum consiliis præreptam illius defendendæ opportunitatem; hostes victoria elatos, reliquo insulæ potitos: Tamassum supereſſe: terra marique obsessum cito subveniatur, actum jam de regno Cypri esse.* At Zannius suis præcordiis curas, perceptamque molestiam premens, ore adspectu magnitudinem infractumque animi robur præferens, cunctos humanissimis verbis solabatur, *ne spem abjicerent,*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *ne demitterent animos ; varios eventus bellorum eſse ; modo huc, modo illuc fortunam adſpirare : tantum ne quidquam in ipſis priſtinæ virtutis, ac conſtantiæ deperiret, ſperandum, integris viribus, ac claſse, non diu hoſtes præſenti hoc victoriæ fructu lætos fore.* Inde Sfortia Pallavicino, Celſio, ac Canalio in concilium vocatis, eorum ſententias exquirit : multa de Auriæ voluntate, de exitiali lue, quæ adhuc per Venetam claſſem graſſabatur, de hoſtium viribus, de maritimis tempeſtatibus, de infidis ſtationibus, animis obverſabantur; ex quibus progredi non abſque periculo poſſe videbantur. Sed hæc tanti non erant, ut Zannium a ſuſcepta de profectione in hoſtes ſententia dejicerent; quinimo Franciſci Duodi quinqueremium, Marci Quirini ſinus Adriatici, Franciſci Throni damnatorum triremium præfecti ſententias poſcit; qui, *ſociatis claſſibus, audendum, inque hoſtem vadendum; abnuentibus ducibus, revertendum*, cenſent.

Zannius ob Leucoſiæ amiſſæ nuntium duces in conſilium advocat.

Sebaſtiani Veneriiſententia de Turcis aggrediendis

At Sebaſtianus Venerius, qui legatus in Cyprum deſignatus, claſſem in Tamaſſum trajecturus conſcenderat, *non ambiguis ſententiis exiguum hoc quidquid erat temporis conterendum, ſed omni amota contentione, progrediendum*, acerrime contendebat : *Leucoſiæ amiſſione priſtinæ virtutis incitamenta minime deprimi, aut obtundi oportere; in victoriæ curſu præda ac divitiis delinitos, molles oſcitanteſque victores a victis ſæpe oppreſſos fuiſſe? Cur idem Turcis quoque evenire non poſſe arbitrentur, quos vino, epuliſque obrutos, ac demerſos ingluvies, ac cupido a militaribus excubiis ad ſocordiam traduxerit? Neque vero expectandum, ut, inſequenti anno claſſe aucta, audaciores effecti, cito aut facile vinci ac ſuperari nequeant. Non ſatis eſse, ſubſidia militum in Tamaſſum inferre, quæ & navibus tuto importare haud liceat, & invecta oneri potius obſeſsæ urbi ſint futura: impavido animo itineri inſiſtendum : quidquid fortuna vel ad Cyprios ſublevandos, vel ad prælium cum Turcica claſse committendum objecerit, id fortiter obeundum.* His ſumma contentione atque impetu a Venerio, ſtrenuo atque acerrimo viro, dictis, Zannius ſtatim ad Marci Antonii Columnæ triremem, tribus præconſultoribus ſtipatus, accedit? Aderant Columna ipſe, Joannes Andreas Auria, Neapolis, ac Siciliæ triremium præfecti:

fecti : quid præſenti hoc rerum ſtatu agendum ſit conſulitur. *Ut quamprimum, Ciliciæ oris relictis, vela in occidentem panderentur*, omnium ſententia fuit, Zannio excepto, quippe qui tot immanes ſumptus, tot ſummo labore, ac ſtudio coactas vires, tantum triremium, ac militum robur, nulla re præclare geſta, turpiter concidere, æquo animo ferre non poſſet; attamen reliquorum ſententiis abreptus diſceſſum & ipſe meditari coactus eſt.

1570 *Chriſtiani duces reditum in occidentem decernunt.*

Ne annus tot bellicis apparatibus inſignis, nullo conatu, nullo fructu inglorius elaberetur, alicujus urbis, aut oppidi in hoſtili ſolo oppugnationem inſtituendam eſſe proponebat. Et erant qui Eubœam, vel Rhodum invadendam, aut recta Byzantium contendendum, ſuaderent. At Auria, longiori ad hæc conficienda tempore opus eſſe, neque periculis vacare, ajebat; atque ut id maxime cuperet, claſſem diutius ob itineris longinquitatem iis in locis detinere non poſſe. Ceterum ſi ita e re communi videatur, Aulonem, Epidamnum, aut Neocaſtrum, regiis ditionibus propinqua oppida, oppugnanda cenſere. Verum qui aliis quoque in rebus anceps fuerat, Zannio licet, ac Columna ſuadentibus, ne amplius ea perplexitate omnium mentes diſtineret, nihil certi, aut expediti conſilii cepit. Zannius igitur magno doloris æſtu jactatus, cum a reliquis ſejunctus nihil aggredi poſſet, actuaria biremi literas ad Bragadenum, Tamaſſi præfectum, mittit : claſſium diſceſſum, ſubſidia decreta, fœderis negotia, quæque in annum ſequentem comparabantur, ſignificat, ad urbemque fortiter tuendam hortatur. Poſtridie ejus diei denuo concilio habito, de ratione itineris habendi diſceptatur. *Poſtquam regredi*, Zannius inquit, *ſtatutum eſt, ut omnes una ſe itineri committant, ac Zacynthum contendant, ſibi videri: id in primis & Venetæ funeribus exhauſtæ claſſi, & pontificiæ neceſſarium eſſe, ibi nautico pane, ac ſi qua alia re opus ſit, claſſi regiæ liberaliter ſubventurum.* Ad hæc Auria, *antequam ad regios portus appellat, multum ſibi equoris emetiendum ſupereſſe*, inquit; *quocirca ſtatim Meſſanam verſus dare vela decreviſſe.* Tum Zannius, *quod ſibi libeat, id efficere penes ipſum eſse. Enimvero & ibi honorificum, & ſui Regis dignitati conſentaneum magis fore, ut qui una in*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *Ciliciam uſque provecti ſint , conjuncti quoque revertantur , ne , Reipublicæ claſſe deſerta , hoſtes ad poſtremum illius agmen carpendum alliciantur ; cum præſertim ex iis , qui ſupererant , militibus , ſupplementa in Creta eſſent relinquenda* . His , atque aliis in eamdem ſententiam dictis , neque Sfortiæ Pallavicini adjectis ſuaſionibus , neque Columnæ adhortationibus permotus Auria , Turcicam claſſem , non modo Venetam non inſecuturam , ſed a Cypro non diſceſſuram , pluribus perſuadere nititur . Rurſus Columna inſtante , *optime ſe* , Auria inquit , *quæ a Rege mandata habuerit , noſſe : itaque quod magis Hiſpanicæ claſſi expediat , effecturum* . His auditis , Columna , ne ſibi tributa a Philippo auctoritas maligne præriperetur ab Auria , ſubveritus , *a Rege ſibi delatum imperium* reſpondet , *qui ſi ſecus mandaſſet , Auriæ obtemperaturum fuiſſe* . Inde incaleſcentibus animis , ad altercationes , ac fere ad jurgia deventum , Auria Columnæ imperia detrectante , Columna imperatorium jus a Rege acceptum tuente : *Suum eſſe præcipere ; in Auriæ poteſtate mandata exequi ſitum : in ordinem redigere , atque cogere reluctantem non poſſe* . Cum nihil ab Auria impetraretur , a Veneta claſſe minime diſceſſurum affirmante Columna , concilium exulceratis utrinque animis dimittitur .

Inde retro curſum claſſes flexere , biduumque disjunctis agminibus , ita tamen , ut in alterutras proſpectus eſſet , navigantes , Carpathum delatæ , Triſtanum portum tenuere . Mox iter inſecutæ , ſupra Cretam relictis ſociis , Auria in occidentem contendit . Noſtri una cum Columna in Cretam flectentes , ſæva oborta tempeſtate , cum ob propinqua litora ſeptentrionale inſulæ latus emetiri , atque in Amphimaleum , a quo longe aberant , portum ſe condere non poſſent , triremes nonnullæ Spinæ leonis ſinum prætervectæ , jactis anchoris , conſiſtere nituntur ; aliæ in Candidæ urbis conſpectum , quædam non procul a Rhythimna eodem ſe tutari præſidio conantur . Verum magis magiſque luctantibus ventis , ac intumeſcente fluctibus mari , qui in adverſos ab Argolico quoque ſinu propellebantur , quæ minus inſtructæ armamentis , atque anchoris erant , vel ob vetuſtatem ingruenti procellæ reſiſtere nequibant , laxatis late-

Auria cum claſſe Hiſpanica in occidentem contendit . Claſſis Veneta ad Cretæ litora tempeſtate jactata.

laterum compagibus , rimis fatiſcentes , aqua oppletæ , litoribus illiſæ naufragium fecere . In iis tres pontificiæ , tredecim Venetæ fuere . Minor tamen ea jactura viſa eſt , quod fortunæ malignitas ad homines non pervaſerit , qui omnes incolumes evaſere , tormentaque , ac triremium nonnullarum exarmata buſta non inutili noſtrorum diligentia recepta ſunt ; ac tandem deſæviente mari , in Amphimaleum portum claſſis tota pervenit . 1570

Pialis , ſocialium claſſium diſceſſu cognito , cum ſelectarum triremium manu ſe ſe uſque in Aſtypaleam inſulam intulit , in omnem occaſionem expeditus , ut vel noſtros inopinantes adoriretur , vel in Cretam uſque , prædæ cupidine , ac ſpe inflammatus , procurreret . Verum borea inſurgente abſtractus , ab inſtituto curſu deflectere coactus eſt . Noſtri ex Amphimaleo portu , tutiori ut loco conſiſterent , Cydoniam ſe contulere . Pialis vero in penitiora Aegæi maris devectus , cum iis in locis hyberna non ſatis tuta animadverteret , Byzantium cum claſſe repetere ſtatuit . Interea ut de noſtris rebus , ac conſiliis certior fieret , triremes quinque ſpeculatum miſerat : binas eodem tempore ad explorandos hoſtium ſucceſſus , quos jam Aſtypaleam appuliſſe cognoverat , Zannius proficiſci juſſerat ; alteri Angelus Surianus , alteri Vincentius Maria Priolus præerat . Hæ cum aliquamdiu mari deerraſſent , ſupra Parum inſulam roſtratas quinque obvias habuere , quas licet hoſtium , non tamen armis inſtructas eſſe arbitrati , fortunam experiri , atque invadere ſtatuunt . Sed propius illati egregie ad prælium paratas conſpicati , Surianus Priolum , qui magno auſu in hoſtem ferebatur , ſigno edito , avocare nixus , proram obtorquet . Idem efficere Priolum conantem , Cortuglus præfectus ſua triremi adoritur . Priolus cum opportune flectere navigium nequiret , pugnam capeſcere cogitur . Minorum , ac majorum ſclopporum (quæ *moſchetta* vocantur) diplonione , glandium imbre hoſtes offunduntur . Cum e Cortugli prora excuſſum gravius in noſtros tormentum ictu irrito fuiſſet , conſerta manu , proſpere a Priolo dimicatur , ſuperatiſ-

Pialis cum claſſe Turcica Byzantium revertitur .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 tisque hostibus, triremi potitur. Interim a latere Præcojus, Neopatræ custodiæ præfectus, supervenit; prælium redintegratur, Priolus constanter atque intrepide hostium impetum sustinet, suos prece præmio hortatur, incitat, impellit: acriter pugnanti Matamoras, Turcicæ rostratæ præfectus, magno impetu in ejus triremem invectus, victoriam e manibus eripuit. Nam undique in lacerum, ac diffractum navigium irrumpentes Turcæ, ad unum nostros, qui certamini supererant, contrucidavere. Priolus ad extremum usque spiritum decertans, in postremo conatu glande ictus animam effudit. Cadaver a Matamora Chium delatum, ab insulæ sacerdotibus una cum triginta ex suis, qui in prælio occubuerant, humili tumulo, at gloriæ titulis excelso conditum est. Surianus cum celerrime pulsu remorum ex hostium se conspectu eripuisset, incolumis ad classis imperatorem infelici cum nuntio pervenit.

Vincentius Maria Priolus, Turcica triremi capta, strenue dimicando interficitur.

Iisdem ferme diebus Melitensium quinque triremes, quæ Petri Justiniani, e patricia Venetorum familia, Messanæ, uti vocant, *Prioris*, ac Hierosolymitanæ classis præfecti, qui bello Melitensi ob egregie, fortiterque gesta inclaruerat, imperio parebant, cum in hostes incidissent, eumdem fere casum subiere. Cum enim Proregis rogatu Hispana quædam navigia maritimam usque ad Senarum oram, ubi novis operibus arx muniebatur, prosecutæ fuissent, in reditu ad Gaulum (quod Junonis Sacrum olim dictum volunt) Uluzzalius Calaber insecutus, vigintiquinque triremium agmine circumsepsit. Melitenses, ingenti licet animi corporisque robore præditi, pauci a pluribus circumventi, diu resistere nequeuntes, complures fortissime dimicantes cecidere; binæ in hostium potestatem triremes relictæ; reliquæ, fuga arrepta, vix incolumes in Amphimaleum portum sese recepere.

Melitenses triremes ab Uluzzali captæ.

Dum hæc fiunt, non una in parte, vario eventu, ad summam tamen totius belli impari pugnabatur. Zannius cum e Corcyra in orientem vela daret, sex rostratas, incolis armatas triremes reliquerat, quæ haud exigua Turcis damna inferentes, ad Pargam, Epiri Reipublicæ oppidum, e Corcyræ regione situm, tutos receptus habebant. Qua re Græciæ Beglerbegus permotus, peditum atque equitum ad quindecim millia

millia coactis, tribus a Soppoto passuum millibus castra locat, necessaria ad oppugnationem instituit, specie Soppotum, re Pargam adoriturus; ut nostros, qui Soppotum tuebantur, ad deditionem compelleret. Ejus consilia cum Emanuel Murmurus, qui oppidum commeatu, belliciisque machinis instructum trecentorum militum præsidio tenebat, elusisset, paucos dies Beglerbegus commoratus, ne ab Epirotis, qui recens imperium Venetorum subierant, clausis itineribus reditu intercluderetur, jam enim summa montium, ut Soppoto ferrent opem, insederant; discessum molitur, seque, cum primum Delvinum perveniisset, copias tumultuarie collectas dimissurum, simulatis rumoribus, dissipat. Astu Beglerbegi cognito, Franciscus Cornelius, Corcyræ legatus, Pargam communiri, commeatus, ceteraque in usus belli necessaria importari jubet, nisi machinæ admoverentur tutari oppidum posse ratus. Sed cum ad illud quatiendum ex Nicopoli adversus omnium opinionem per confragrosas montium semitas convehi a Turcis tormenta comperisset, Natalem Cremensem, Corcyræ militiæ præfectum, Pargam proficisci, Beglerbego appropinquante, oppidanorum saluti consulere, tormenta asportare jubet. Eadem die, qua Pargam perducta hostilia tormenta sunt, Beglerbegus quoque cum copiis supervenit. Natalis licet tormentorum ictus oppidi mœnia sustinere non posse intelligeret; attamen cum per subsidialem maritimam portam cito cum incolis in rostratas triremes, ac lintres se ejicere posse sibi suaderet, primum impetum experiri voluit. Tormentorum vi mœnium magna parte strata, cum imparem se ruendo oppido animadverteret, intendentibus tenebris, conscendere statuit. Ea re ab hostibus animadversa, per murorum ruinas irrupere, ac pedites aliquot, qui nondum in triremes sese recipere potuerant, ad unum contrucidavere. Natalis Corcyram devectus, insani ausus nota laboravit, cum ejus culpa tormenta, commeatus, jumentorumque haud exiguus numerus prædæ hostibus cessissent: qui efferata rabie incensi, domos flammis absumpsere; mœnia solo æquavere; in saxa quoque ipsa, tectaque, quæ nostros exceperant, saviere, nequicquam Francisco Cornelio ab Auria, qui biduo post cum classe rediens, Corcyram appulerat, auxilia flagitante; cum

Parga a Turcis occupatur.

is

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 is Meſſanam, nulla injecta mora, proficiſci, neque medio autumno iis ſe ſe in locis detineri diutius velle, regiaſque triremes vel incerto pugnæ eventui objectare, vel procelloſo mari credere nolle affirmaret.

Catharinus Maripetrus a Zannio Venetias cum literis mittitur.

Zannius interim imperator Catharinum Maripetrum, qui de iis, quæ acciderant, Senatum doceret, cum ſua triremi Venetias miſit. Tum mille ſelectis peditibus, quatuor actuariis navibus, quibus Petrus Tronus imperabat, impoſitis, Aloyſii Martinengii, Cidoniæ militiæ præfecti, auſpiciis una cum commeatibus, ac bellico apparatu Tamaſſum miſit. Cretenſes triremes, damnatorumque decem, ſub Marci Quirini, Sanctique Troni imperio, cum exarmatis tribus ac viginti Cretæ reliquit, ut ineunte vere Cretenſi remige inſtructæ, ad militares obeundas functiones idoneæ eſſent. His ita conſtitutis, Zannius Corcyram contendit, Sfortia Pallavicino cum quatuor triremibus in Creta relicto, ut, quæ ad præſidia in Cyprum inferenda neceſſaria erant, comparatis, ipſe quoque Corcyram ſe conferret.

Pontificiæ triremes tempeſtate jactatæ.

Columna cum triremibus quinis, quæ naufragio, ac morbis ſuperfuerant, Corcyra ſolvit, triremibus ſenis, quæ illum Anconam uſque Zannii juſſu deducerent, comitantibus. Is cum per multos dies Caſſiope turbato mari ſubſtitiſſet; tandem arrepto itinere, tempeſtate recrudeſcente, in Rhizonicum ſinum eſt delatus. Ibi rurſus mari ac ventis, qui e præruptis circumjectis montibus magno cum murmure frementes una cum denſo imbre, tonitru, ac fulmine ruebant, jactatus, Aſcrivium uſque penetravit. Eorum turbine (quod a pleriſque prodigii loco habitum eſt) prætoriæ triremis vexillum in aera abreptum, nec amplius inventum eſt; eo in loco fulmine cælo excuſſo ſummum mali tactum, qui medius uſque ad ima diſſiluit; igniſque in triremem delatus, cadis nonnullis ſulphure oppletis incenſis, triremis tegumentum corripuit; verituſque Columna, ne extemplo eadem flamma in pulverem tormentarium ſe diffunderet, cum ſuis in litus deſcendit; pro tempore quidquid ſupellectilis potuit, avehi juſſit. Nec mora, pulvere accenſo, diſtrahi momento tremem, tigna, ac tabulata terribili fragore per aera ferri, diſplodi tormenta, ex quibus, obtortis ad litora proris, ingentes

Marci Antonii Columnæ triremis igne abſumpta.

tes globi in adverſos montes ejaculati, terrificum ſtrepitum edidere. Columna neque maris tempeſtate, neque cæli inclementia territus, Franciſci Troni triremem conſcendit; necdum miteſcentibus fluctibus, Epidaurum veterem devehitur; magnoque ventorum impetu reflante, cum neque portum capere, neque obſiſtere tempeſtati poſſet, quibus anchoræ illigabantur, funibus perruptis, undis abrepta triremis, nautis nequicquam ſummo labore, remigio contranitentibus, prope frumentarias molas in litus impacta diſſiliit; viri tamen, cum tormentis incolumes evaſere. Inde altera conſcenſa triremi, poſt cæli, fluctuum, ignis, mariſque injurias, Anconam, inde Romam pervenit, a Pio Pontifice ſumma honoris ſignificatione exceptus. Iiſdem fere caſibus Sfortia Pallavicinus e Creta rediens eſt actus. Nam Corcyra ad Epidauri ſcopulum tempeſtate delatus eſt. A furente borea duo ingentia navigia, quæ in euripo detinebantur, impulſa, catenis ferreis, quibus fauces, obſtruebantur, magno impetu perfractis, in ſcopuli prærupta ſaxa impegere; atque eadem fere ruina, Pallavicini triremem involvere, qui mox Pharum profectus, ibique gravi morbo correptus, recuperata valetudine, Venetias rediit. Zannius e Corcyra per literas a Senatu petiit, ut ſi quid ei de hyemanda claſſe libuiſſet, ſignificaret; ac propterea, quod infirma valetudine uteretur, ſubrogari ſibi imperatorem flagitavit. In Corcyra, aut Creta, donec illi publica mandata perferrentur, Senatus commorari juſſit. 1570

M. Antonius Columna Romæ a Pontifice exceptus.

Improſperis rerum hujus anni ſucceſſibus perculſa civitas, haud parum commovebatur: ingentem mortalium numerum in claſſe extinctum; ſtrenuos, ac fortes milites, ducesque amiſſos; Leucoſiam, nullis immiſſis ſubſidiis, captam; nihil præclare geſtum; immenſam auri vim inani conatu profuſam. Inde complurium concitati animi, præfectos traducere, Sfortiam, Zannium, legatos, ac reliquos inferiores duces criminari, cæli injurias, peſtiferæ luis cauſas in eorum congere re, atque ex eventu ſuſcepta conſilia metiri. Ex quo tandem eo deventum eſt, ut Zannius imperator Venetias vocatus, inter reos referretur; novi claſſis legati crearentur; militum quibuſdam præfectis alii ſufficerentur. Sebaſtiano Venerio claſ-

Venetici cives in bellum concitati.

Zannius in jus vocatur.

Sebaſtianus Venerius claſſis imperator.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 classis imperium majoribus comitiis cum Senatus prærogativa delatum est, qui tunc, Zannio e Creta discedente, trajectum in Cyprum præstolabatur. Classis legati Marcus Quirinus, Petrus Tronus designati. Sed jam Tronus, vir fortis atque acer, a pueritia maritimis in rebus enutritus, in Creta excesserat. Sancto Trono, damnatorum triremium præfecto, Adriatici maris custodia tributa. Et quia, ne ante acceptum de suprema sibi delata dignitate nuntium Venerius in Cyprum trajecisset, Senatus verebatur, classis legatum cum imperatoris auctoritate Augustinum Barbadicum elegit, virum eximia prudentia, ac virtute præditum; qui licet maritima nunquam munera obiisset, attamen magistratibus domi, forisque magna cum laude gestis, atque apud summos Reges legationibus ingentem adeo nominis famam, ac expectationem apud cives sibi comparaverat, ut ab eo omnia fausta, at felicia sibi pollicerentur; nullumque illius humeris onus impar esse existimarent. Is cum primum Corcyram attigisset, Zannius ad urbem venit, cum interim in classe adhuc funera funeribus cumularentur, neque caloris, vel frigorum vi teterrimæ pestis virus, quo quadraginta hominum millia absumpta fuerant, vinci posset. His cæli inclementia, fœdæque tempestates maritimæ accesserant; quibus navigatione impedita, ea, quæ difficillima tempora exposcere videbantur, expediri non poterant. Navigia quin etiam complura undis absorpta, vel impacta litoribus miserrime deperiere; nam præter triremes, quæ in Creta naufragium perpessæ fuerant, Quirina navis ad Prodonum fluctibus jactata, depressa est. Neque Venetis tantum, verum omni fere Europa sæviens procella annum memorandum ac funestum reddidit. In Neapolitano euripo complures Hispanicæ triremes notho in litus ejectæ, ac discerptæ sunt. Tyberis præter morem auctus magnum Romæ timorem incussit. Rhodanus in Gallia Narbonensi, Rhenus in Belgio intumescentes, magno impetu limites egressi, circumjectas regiones inundavere. Ferraria quoque horribili concussa terræ motu contremuit; templa, publicæ, ac privatæ ædes prostratæ; mœnia solo æquata; incolæ in agros effusi, intra tentoria, vel sub dio degere coacti.

M. Quirinus, & Petrus Tronus classis legati.

Augustinus Barbadicus classis cum imperio legatus.

Venetorum adversi casus.

Europa aquarum illuvie multis in locis vexata.

Ferraria terræmotu concussa.

His efficiebatur, ut tot adversis exagitatæ mortalium mentes

tes, de difficillimi belli exitu solicitæ, anxiis curis premerentur; cum præsertim quæ spes initio de christianorum Principum fœdere in communem hostem sanciendo illuxerat, sensim debilitata elangueſceret. Nam etsi per multos jam menses negotium Romæ agitaretur, inanibus altercationibus æstatem autumnus, Autumnum hyems exceperat. In Venetis ingens societatis ineundæ desiderium; par in Pio Pontifice Maximo studium: at Hispani Regis ministri sententiarum perplexitate cuncta involvere; complura, quæ ut Regi opportuna forent, ita Venetorum rationibus minime conducerent, flagitare pergebant; nonnunquam quæ de re proposita Philippus sentiret, ut ex Hispaniis perferrentur, poscere. Ac sane si in alia unquam, hac in re certe tunc maxime compertum fuit, privatas rationes publicis rebus officere, neque quidquam adeo in commune utile esse, quod minime propriis commodis prævertatur. Venetis nihil erat antiquius, quam ut celerrime fœdus, quo & hostes deprimi, & socii defendi possent, conficeretur; quapropter initio illius percutiendi Michaeli Suriano Senatus mandata dederat, ut iis legibus, quibus anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo inita societas fuerat, majoribus tamen adjectis opibus, præsens quoque sanciretur. Legato injunctum, Pontifici significaret, tertiam impensarum partem, qua superiori fœdere obstringebatur, Senatui æquam non videri; tum quod Venetorum proventus, ac ditiones cum regiis minime essent conferendæ; tum quod Reipublicæ maritima loca in Turcarum faucibus sita magnas copias, bellicosque apparatus, quibus ægre sufficere posset, expoſcerent: itaque curaret, ut aliqua tot onerum portione levaretur: quod vero ad imperium attineret, quæ a tribus classis imperatoribus pro majori parte decernerentur rata esse, atque ab eo, cui Pontifex mandasset, perfici oportere, Senatum existimare: ex pontificiis, ac regiis ditionibus frumenta, & commeatus absque portoriis ad classem convehi ut liceret, caveretur: quæ hostium in nostrorum manus perveniſſent, ea ex superioris fœderis præscripto dividerentur.

1570

Venetorum mandata ad Surianum oratorem de fœdere mandata.

Kalen. igitur julii Regis ministros, Reipublicæque legatum Pius ad se vocat; de rerum præsentium statu admonet; quæ

Pius Pontif. Hispanos & Venetos ad fœdus ineundum hortatur.

ad

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 ad christianos Principes, præcipue vero Hispaniarum Regem, Venetamque Rempublicam stabili fœdere conjungendos egerit, commemorat; *ut, privati commodi ratione semota, in commune bonum incumbant, suadet; tantæ opportunitati ne desint; conjunctis animis firmissima sese quamprimum societate devinciant; ut insolescentes, atque efferos Turcas comprimant, pestemque diu christianæ reipublicæ imminentem avertant: ne Cypro barbari potiantur, enitendum; unicum ex ea insula in Syriæ continentem trajectum supereſſe, quo & Hierosolymitanum regnum ex hostium manibus eripi, & sanctissima loca, Servatoris humani generis impressa vestigiis, vendicari aliquando in libertatem possint: nil ambigere Cæsarem, Sarmatiæ Regem, ac reliquos christianos Principes ab ea illustri gloriæ communione se nunquam sejungi, passuros.* His, atque aliis a Pontifice in hanc ferme sententiam dictis, petiit Surianus, ut quemadmodum anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo, primo congressu, ictum fœdus fuisset pronunciatum, postea de conditionibus actum fuerat, ita idem nunc quoque efficeretur. Objiciente vero Antonio Perenotto, Granuelano Cardinali, tunc de conditionibus primo inter legatos disceptatum, nunc quoque quæ proponantur, exponi prius oportere. Concilium dimittitur; postridie ejus diei iterum coacto; fœderis leges scripto exaratas legatis examinandas Pontifex exhibet. Earum capita hæc erant.

Fœderis conditiones a Pontifice propositæ.

I. *Inter Pontificem Maximum, Philippum Hispaniarum Regem, ac Venetam Rempublicam fœdus sanciatur; cum justa expensarum ratio eo anno haberi, & augere Philippus classem non posset, Veneti triremium subsidio, quæ in Sicilia erant, contenti essent.*

II. *Ducentæ in universum triremes a fœderatis armarentur; in iis duodecim pontificiæ censerentur, reliquas inter se partiti Hispani, ac Veneti instruerent.*

III. *Insignis auctoritate vir a Pontifice eligeretur, vel concilium prudentium, atque assiduo rerum usu præstantium virorum ex Philippi, ac Venetorum auctoritate institueretur, a quo, classis præfectorum prius exquisitis sententiis, quid e re communi magis esset, decerneretur: decretum imperator exequi juberet.*

IIII.

IIII. *Naves ad excipiendos, ac traducendos milites Rex ac Respublica compararent.* 1570

V. *E regiis ditionibus frumenta, ac commeatus libere exportarentur, nautici apparatus cum ex Hispanico, tum ex Veneto imperio libere aveherentur.*

VI. *Singulis annis appetente vere socia classis in hostium finibus consisteret.*

VII. *Hyeme expeditus triremium numerus in promptu esset, ut, Christianis res novas in Turcico imperio miscentibus, Turcicæque servitutis jugum excutere nitentibus, subvenire, atque aliquid egregii moliri posset.*

VIII. *In Græcia, Epiro, nec non aliis in locis solertes, atque industrii homines, qui præmiis, ac pollicitationibus Græcorum, & Epirotarum animos solicitarent, mitterentur.*

VIIII. *Ne quisquam sociorum de pace, aut induciis cum hoste paciscendis absque aliorum consensu ageret.*

X. *Fœdus in annos duodecim percuteretur.*

XI. *Si quid ante ictum fœdus hostilis soli occuparetur, id Venetorum esset.*

XII. *Quæ postea in nostrorum potestatem pervenirent, ex superioris Fœderis legibus dividerentur.*

XIII. *Gallorum, Lusitaniæque Regibus perhonorificus sese ad societatem adscribendi locus relinqueretur.*

XIIII. *Curarent socii, ut Cæsar societati adjungeretur, eodemque impulsore, reliqui etiam christiani Principes accederent; ut maritimis viribus terrestri exercitu auctis, majori cum natu terra, marique hostes invaderentur.*

XV. *Si quæ inter classium, atque terrestrium copiarum præfectos controversiæ suborirentur, Pontificis judicio dirimerentur.*

XVI. *Prout belli occasio tulisset, sibi invicem socii opem ferrent.*

XVII. *Neque ullis inter duces, præfectosque dissidiis inita societas interturbaretur.*

Hoc exhibito a Pontifice scripto, lento concilium indicitur. Joannes Moronus Cardinalis præsens, hoc veluti exemplar firmandi fœderis a Pio propositum fuisse inquit; quid quisque sentiat, ut libere proloquatur, flagitat. Tum Granvelanus, *satius esse perpetuum inire fœdus ait, non adversus Turcas*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *cas tantum, ſed in eorum etiam beneficiarios, quique auctoritati, ac viribus illorum nitantur; Mauros nempe, Numidas, ac Seriffum, a quibus ingentia Chriſtianis damna continenter inferrentur.* Hiſce auditis, Surianus, *de fœdere in Turcas* (inquit) *hucuſque actum; ejus tantum ſubſcribendi a Senatu mandata habere.* Tum Gravelanus, *ampliora ni ſatis data ſint mandata, poſtulanda eſſe: æquum non eſse*, inquit, *ut in oriente tantum Venetorum commodo, Philippi in occidente relictis ditionibus, dimicetur.* Tum ſcripto petit, *in Selymum, atque in eos, qui ex illius nutu, & auctoritate pendeant, Juliam nempe Cæſaream, Tunetum, Leptim, eaſque regiones, quæ in mediterranei maris litoribus a Seriffo poſſidentur, arma converti: ad auxilia, uti hoc anno acceperant a Rege, eidem, cum ad tuenda Hiſpanorum loca, tum ad invadendos hoſtes præſtanda, eſse Venetos obſtrictos; modo magnas vires, ac copias eodem tempore in orientem Turcæ non emitterent. Regem contra, aliquid in Adriatico ſinu iiſdem tentantibus, viciſſim Reipublicæ ſuppetias laturum. Abſque his conditionibus fœdus amplecti minime poſse.* Ex propoſitis a Granvelano haud difficile fuit, quorſum Hiſpanorum conſilia tenderent, animadvertere; cum publicas chriſtianæ reipublicæ rationes ad privata commoda traherent; non in Turcicas ditiones impetum, quo maxime Veneti egere ea tempeſtate videbantur, urgerent, cunctatione rem differre: perpetuum fœdus mallent, cujus fama, atque metu propinquis Hiſpaniæ hoſtibus perterritis, ex inita ſocietate, quem maxime exoptabant, fructum perciperent, nempe ut eorum ditiones fœderatis tectæ præſidiis, tutiores redderentur, ingentique impenſarum mole, & aſſiduis Turcicarum claſſium moleſtiis levarentur.

Hæc a Suriano cum Senatui ſignificarentur, mirum dictu, quanta Patrum animos moleſtia inceſſerit. *Certane hæc ineundi fœderis fundamenta eſse? ita Reipublicæ conſultum iri, ut, diſtractis viribus, dum impari pugna in oriente cum acerrimo hoſte dimicaretur, in Numidiam Hiſpani bellum transferrent?* Pius quoque Pontifex ſummis curis anxius modo Regis miniſtros monere, ut, iis, quæ ad proprium commodum ſpectarent, neglectis, commune bonum curarent; modo Vene-

Venetos hortari, ne ſuſceptum ſemel negotium deſererent, 1570
ne deſponderent animos: multa, quæ modo duriora viderentur, in melius caſura: ſe neque ope, neque auxilio defuturum, ſua a Republica conſilia nunquam ſejuncturum. Sed quæ temporum ratio Venetos graviſſimo bello implicitos ad ſocietatem celerrime amplectendam hortabatur, eadem Hiſpanos, quo privatim ſuis rebus conſulerent, ut cunctando Rempublicam diſtinerent, permovebat, ut neque purpuratorum, quos tantæ rei Pontifex præfecerat, officiis, nec rationibus flecterentur; neque Joannis Moroni graviſſimi viri, qui principem eo in conventu locum obtinebat, auctoritas quidquam poſſet. *Joannes Moronus Card. Hiſpanos ad fœdus percutiendum hortatur.*
Is enim cum plerumque Suriano adhæreret, regiis ſuadere nitebatur: *hoſte in oriente devicto, reliqua ad vota ceſſura, Juliam Cæſaream, Tunetum, Leptim, omneſque maritimas Africæ oras nullo labore, nullis periculis in Regis poteſtatem perventuras: contra, ſecundis in oriente Turcarum rebus, & incolumi claſſe, difficulter expugnari, ac ſi expugnentur, diutius defendi ea loca non poſſe; recentes adhuc in mortalium memoria Caroli Imperatoris eſſe irritos conatus; maris tempeſtatibus claſsem jactatam; diſjectas depreſsaſque triremes; ingentem remigum ac militum numerum amiſsum: quocirca omnes vires ad Cyprum defendendam conferendas; tempus affore, quo Africæ ora Philippi Regis imperio accederet, ſi, modo ex ſociorum animis omni ſuſpicione depulſa, fœderis leges perſcriberentur.*

Hiſpanorū novæ de fœdere difficultates.
His tantum aberat, ut Hiſpani acquieſcerent, ut novis quoque difficultatibus cuncta miſcerent; In iis erat, ut *fœderata ad leges ſocietatis ſervandas cenſuris eccleſiaſticis obſtringerentur: qui ſecus feciſsent, in eos excommunicationis ſpicula intorquerentur*: qua ex re haud parum Venetorum dedecori, ac fidei detractum iri videbatur, quod ea tantum in ipſos fulmina caſura viderentur. Quis enim in Regem Catholicum, cui tot regna, ac provinciæ parerent, ejuſmodi edictum ferre auderet? Atque ut id fieret, quis facile adſentiretur? eam peſtem in populos ferri, quæ diſſidentes animos diſſenſionum facibus eſſet oppreſſura, atque ab hoſtium cervicibus in chriſtianas provincias ingens malum illatura. Id quoque Hiſpani Regis miniſtri curabant, ut in ſingulos autumnos de expeditionibus in ſequentem annum faciendis decerneretur. Quæ res

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 Senatui minime probabatur, quod ſæpius ex hoſtium eventis, ac ſententiis immutari conſilia oporteret, nec, quæ ipſi meditarentur, divinari facile poſſent : opportunam inde Turcas occaſionem, ut noſtrorum geſta, conatuſque explorarent, capturos. In eo potius ſummo ſtudio enitendum, ut ineunte vere in promptu ac expeditæ ſociorum copiæ maritimæ ac terreſtres forent, ut exacte ac mature conſulta exequi liceret. Neque vero minor de fœderatarum claſſium imperatore controverſia cooriebatur, quod Hiſpani penes Regem jus deligendi eſſe non contenti, abſente imperatore, qui vices illius obtineret, claſſique univerſæ imperitaret, ad ſuum nutum ſublegendum contenderent. Multa præterea de Epidauriorum Republica incolumi præſtanda, fœderis legibus a Pontifice diſceptabantur, quod minas in eos a Venetæ claſſis imperatore intentatas diceret. Qua ex re tantum trepidationis illis injectum fuerat, ut, in conſpectum urbis tranſeunte claſſe, mœnia cuſtodiis militum complerent; portas clauderent; ſublicios pontes tollerent; Venetis arma adimerent; atque ſe veluti ad hoſtium impetum excipiendum compararent. Verum Epidaurios opprimendi Patrum animos nunquam libido ceperat, cum ex priſco Reipublicæ inſtituto non propagandi imperii ambitio, neque viribus impares ſubjiciendi ardor Senatum unquam obrepſiſſent. Id tantum conſtabat, ut remiges, ac panem nauticum ſubminiſtrarent, Zannium ſuadere nixum; atque ut magis chriſtianorum Principum, quam Turcarum rationem haberent, graviſſimis verbis admonuiſſe. Si fœdere comprehendi velint, illud cavebatur, ne hoſtes armis, tormentis, ac bellico apparatu juvarent, impenſarum portionem cum reliquis ſociis ſubirent.

Epidauriorum de Veneta claſſe trepidatio.

Dum his altercationibus tempus Romæ abſumeretur, hoſtes (ut antea expoſuimus) ingenti apparatu Cyprum aggreſſi, magna animorum, corporumque contentione dimicabant; ex quo ingens Patres mœror occupaverat: Initio conceptam de fœdere ſpem imminutam, & labefactatam inani; labore per tot menſes Romæ magis animorum obſtinatione, quam operæ pretio diſceptatum: Quid ſupereſſe, niſi ut rei, ac tempori conſilia accommodarent, tandemque intelligerent, quam fluxa ſociorum auxilia, quam parum propenſæ in Venetos Hiſpanorum men-

mentes, quam infima ſpe nixi, bellum cum acerrimo ac potentiſſimo hoſte ſuſcepiſſent. Ceterum Pius Pontifex nullis fractus laboribus, quo vehementioribus fluctibus obſiſtendum erat, eo magis cœptum urgere; dies noctesque pro fœdere inſudare; quibus interjectæ difficultates auferrentur, ſolicite inquirere. Quapropter novam formulam regiis, ac Suriano, Reipublicæ legato, examinandam exhibuit, eamque ad Regem, ac Senatum perferendam curavit; quæ cum in Hiſpaniam, citatis itineribus, antequam per Surianum ad Senatum deferretur, a regiis miſſa eſſet, curas Patrum Hiſpanorum artes expendentium ingeminavit. Quapropter ſtatim legatis in Hiſpaniam perſcribendum decernitur, Philippo ſignificent, *quod fœderis leges, de quibus Romæ actum fuerat, ad illum perlatæ ſint, nihil optatius Senatui contingere potuiſſe, cum certo ſibi perſuadeat, quæ ſubtiliter admodum, atque acute, parum attamen ex communi utilitate a ſuis Romæ agitata ſint, eadem ab illius excelſi animi magnitudine, cuncta ex chriſtianæ reipublicæ commodo metientis, corrigenda eſſe; in eaſque ſocietatis leges venturum, quas Carolus pater, qui omnia inſita ſibi divina prope ſapientia circumſpexerat, anno M. D. XVII. fuerat amplexus.* Adjicerent, *nonnulla in præſcripta formula perlegi, quæ officere fœderi haud parum videbantur, ut nempe autumno de ſocialibus viribus, atque expeditionibus decerneretur; ut Turcis aliqua fœderatorum loca invadentibus, ad mutua auxilia exhibenda ſocii obſtringerentur: ea nimirum ſupervacanea, communibus pactionibus repugnantia videri.* Enixiſſime præterea curarent, ut de infligendis excommunicationum pœnis caput amoveretur: *inde parum ſociis dignitatis, multum incommodi eſſe venturum. Quid enim indignius, quam in ſacro hoc fœdere ſuſpicionum ſemina ſerere, tanquam nullo religionis, nullo, niſi anathema quoque adjiciatur, jurisjurandi vinculo ſatis unquam devinciri Principes poſſent? Quid ſi aliqui Pontifex ut hominum ingenia plerumque avaritia, ac libidine dominandi aguntur, ea conditione aliquando abutatur, ſuiſque cupiditatis rationibus publico obtentu conſulat? Neque enim hæc nova, aut inuſitata iis videri, qui rerum olim, ac præteritorum temporum eventis edocti, quo imperii cupido mortalium mentes impulerit, ani-*

Senatus mandata de fœdere ad oratores apud Philippum Regem.

1570

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *animadverterint: An id non sufficere, si fœderis legibus sociorum neminem, reliquis inconsultis, atque insciis, paciſci cum hoſte caveatur? Eniterentur etiam, ut, ex regiis ditionibus honesta pensione persoluta, frumenta ac commeatus avehendi facultas Reipublicæ permitteretur. In id demum incumberent, ut quemadmodum summum maritimarum rerum imperium Joanni Austriaco ejus fratri, Senatu adsentiente, deferebatur, ita terrestrium copiarum (uti superiori fœdere cautum fuerat) Patres imperatorem dicerent. Eum enim dignitatis gradum Sfortiæ Pallavicino, Venetæ militiæ gubernatori, delaturos: qui bello adversus Turcas in Pannonia, ac Dacia feliciter administrato clarus, ingentem metum hostibus esset incussurus.* Hæc legatis Reipublicæ apud Regem mandabantur.

Pii Pont. mandata ad Facchinettū apud Rempublicam Nuntium & ejus officium.

At Pontifex cum ab ea conditione, qua censuris ad fœdus servandum compelli socios statuebatur, vehementer abhorrere Senatum cognovisset, Joanni Antonio Facchinetto, apud Rempublicam Nuntio, præcipit, quibuscumque officiis possit, Senatui suadeat, ne parvo momento ingens hoc negotium, in quo perficiendo per tot menses omnem laborem, studium, diligentiamque contulerat, everteret. Is Patrum Collegium adiens, exponit: *Quæ sibi æquiores visæ fuerint fœderis conditiones ad Philippum, ac Venetos transmitti Pium curasse. Joanni Baptistæ Castaneo, suo legato, ut ad illas amplectendas Regem adhortaretur, præcepisse; ut eodem officii genere cum Senatu utatur, sibi mandasse. Necessarium Pio videri, ut arctius ad ea, quæ fœderibus continerentur, præstanda, socii obstringerentur; excommunicationis pœnam adjici, atque ex animis eam dubitationem penitus eximi, qua plerique verebantur, ne belli incommodis, subditorum damnis, civium laboribus defessa Respublica de concordia cum hoste ineunda cogitaret; a qua si, uti sæpius constanter affirmaverat, aliena esset, si inexpiabile cum Turca bellum suscepisset, cur fortiori vinculo ad id continuandum adigi pertimesceret? Nam quæ ex ea conditione damna, ac pericula Reipublicæ imminerent, haud sibi constare; eam a Philippo legem ejici potius oportere, in cujus ditionibus complures præsenti rerum statu nequaquam contenti, turbas, ac defectiones moli-*

molirentur; quibus incommodis immunis Dei optimi Maximi beneficio Respublica esset, atque eo magis quod nemo pontificatum unquam adepturus videretur, qui pontificiarum ditionum rationes a Venetis esset sejuncturus. Cur igitur cunctarentur? cur hæsitarent? cur commune hoc bonum, quod summis votis a cunctis exoptabatur, hoc impedimento remorarentur? Plerosque in Republica constantiam desideraturos, alios non injuria existimaturos, Surianum, Reipublicæ legatum, dum de eo capite ageretur, ne Hispanicarum triremium auxilia averteret, callide dissimulatione usum; modo, missis subsidiis, prorsus eam conditionem recusare. 1570

Mocenici Principis responsum.

Compluribus in hanc sententiam a Nuntio dictis, Mocenicus Princeps hunc in modum respondit: *Neminem esse, qui multis, gravissimisque argumentis & suscipiendi alacriter in Turcas belli, & constanter administrandi Senatus voluntatem non perspexerit, eumdemque cum reliquis christianis Principibus ad communem hostem proterendum perpetuo fœdere jungi summopere concupivisse, non intelligat. Cur enim tot labores exantlasset; cur immanes adeo sumptus subiisset; cur tot periculis cives, subjectos, fortunas, imperiumque objectasset, nisi fortiter depugnare cum hoste statuisset? Quid igitur causæ esse, ut nova, ac supervacanea conditione hucusque acta interturbarentur? Quem ex hoc fructum colligi posse, nisi ut inde in christiana republica dissensionum seges exoriretur? fides, ac dignitas fœderatorum in discrimen vocaretur, dum quos religionis ardor, in Deum pietas, in commune bonum propensio conjungere debuisset, ii minis, atque pœnarum metu coercerentur? Mirandum non esse, si in priori sententia Senatus persisteret, qui Reipublicæ valde offici eo capite consciscet. Quis enim vel Cæsarem, vel Regem a fœderis amoveret? Aut quomodo id, incolumi christiana republica, fieri posset? Atque ut id maxime Pontifex efficere vellet, nunquam quantum in se esset, Senatum permissurum. An vero quidquam desiderari, quo magis Venetorum ad bellum solicitudo, ac studium enitescat? Cubatem Selymi legatum dimissum; classem viris, armis, tormentis instructam; ingentem argenti, atque auri vim effusam; non expectatis auxiliaribus Hispanorum copiis, ut recta adversus hostem contenderetur,*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *tur, decretum. Quid amplius effici potuiſse? Quapropter ut ab ea ſententia Philippum dimovere niterentur, legatis injunctum; idem ut ipſe cum Pontifice ageret, rogare; cauſas, quibus ad hoc Senatus impelleretur, exponeret; ſuaderet, ut ex animo tandem ea conſilia depelleret, quæ ſi penitus inſpiceret, non minus Reipublicæ, quam ſibi adverſa animadverteret: videret etiam, atque etiam, ne, acerba nimium ſibi indicta cenſuras promulgandi lege, pontificias ditiones in diſcrimen adduceret, anſamque pravis hominibus, atque Apoſtolicæ Sedis hoſtibus præberet, ut ſi quis minus eorum, quæ ſocietatis legibus continerentur, quidpiam præſtare potuiſſet, in eum veluti fœderis violatorem inſurgerent: Si demum tanta in re (ut ipſe ajebat) Surianus connivere pleriſque viſus eſſet, quis ſuas illum partes impleviſſe, quis publico muneri ſatis feciſſe exiſtimaret? At illum ſæpius ad Senatum literas dediſſe, quibus nunquam ſuo ſuffragio probatam ejuſmodi conditionem ſancte obteſtabatur.* Hæc magna dicendi vi cum a Principe enunciarentur, hærere Nuntius viſus eſt, neque verbis amplius ullis additis, diſceſſit.

Joannes Donatus in Surianum legatum invehitur.

In hac tractandi perplexitate cum fœderis negotium verſaretur, multaque Patrum animos ſuſpenſos tenerent, Joannes Donatus, Conſilii Sapiens, ut erat acri, ac ſevero ingenio, Senatu convocato, in Surianum graviter invehitur: *Quæ in mandatis habuerat, egreſſum eſſe, ejus culpa in eas anguſtias fœdus redactum; quod vero (uti debuerat) anathematis legi non obſtitiſſet, id ex eo palam fieri, quod præſcriptam ſocietatis formulam nunquam Pontifex in Hiſpaniam Regi ſubſignandam fuiſſet miſsurus, niſi prius ab iis, qui Reipublicæ nomine agerent, probatam: non immerito connivентem ea in re Surianum dici; qui Senatui non obtemperaverit; qui præcepta ſibi data neglexerit; qui nihil e dignitate, atque utilitate publica adminiſtraverit: itaque alium Romam legatum mittendum cenſere, qui Pontifici nuntiaret, Senatum nunquam in eam conditionem, qua cenſuris agendum cavebatur, deſcendiſſe; Surianum a legatione, quod adverſus mandata egerit, amoviſſe; ab eo Venetias reverſo eorum, quæ Romæ tractaverit, ra-*

1570 *rationem expoſcendam ſibi videri.* Reliqui præconſultores omni culpa carere Surianum cenſentes diſceptabant: *ejuſmodi ſuſpicionem in eum virum cadere non poſſe, qui ſingulari prudentia, ac virtute in obeundis legationibus, Republicaque adminiſtranda vitam innocenter exegiſſet; ex prudentia ac ſolertia profecta, non ſocordiæ atque minus recto in Rempublicam animo tribui oportere: magnis ac difficillimis de rebus Romæ actum; multa illius virtute, ac ingenii dexteritate præter omnium ſpem confecta: cur laboris, ac ſtudii iniquum præmium eſſet laturus? Itaque alterum legatum Romam mittendum cenſere, qui una cum Suriano fœderis negotium urgeret, eique in exacta jam legatione ſuccederet.* Diſcrepantibus ea die in Senatu ſententiis, cum nihil decerni potuiſſet, poſtridie, Donati rejecta opinione, frequentes Patres in præconſultorum ſententiam ivere. Joannes Superantius collega Suriano eſt deſignatus.

Joannes Superantius orator collega Suriano deſignatur.

Kalen. ſeptembris cum Senatus ad Leonardum Donatum legatum literis tabellarius in Hiſpaniam pervenit; quibus literis acceptis, ac perpenſis, cum Rege, ac præconſultoribus diligenter, atque accurate egit. Multis utrinque varie agitatis, id, quod in primis Patribus cordi erat, ut anathematis caput amoveretur, haud difficulter perſuaſit. Rex, de accepta a Pontifice fœderis formula conſilio habito, quarto kal. octobris per Antonium Perezium a ſecretis Donato ſignificat: curſorem poſt tres horas Romam per diſpoſitos equos miſſurum, qui ipſius mandata, ac decreta de ſanciendo fœdere ad ſuos miniſtros perferat: quæ ille Reipublicæ nomine egerit, ſingulari ſtudio, ac diligentia examinata eſſe: quæ ſecum ipſe ſtatuiſſet, ut pro Regum, ac Principum more illibata ad ſuos pervenirent, non eſſe cur illi ſignificaret: id tantum in univerſum ſcire ipſum velle, omni fere ex parte Senatui ita ſatisfactum, ut quæcumque ipſe petierat, obtinuiſſe videretur; ſi quid ſuperſit, Romæ a ſuis perficiendum curaſſe. Eodem ferme tempore, quo ex Hiſpaniis Philippi literæ ſupervenere, Superantius quoque, legationis munus una cum Suriano obiturus, Romam acceſſerat. Denuo negotium agitari cœptum; ac licet Regis ex Hiſpania perlata ſententia, ut certi quidpiam in commune bonum decerneretur, ſperandum

Philippus Rex mandata de fœdere ad ſuos Romam mittit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 dum videretur, attamen in eaſdem ambiguitates, conſiliorumque perplexitatem cuncta devolvebantur. Superantio etenim flagitante, ecquidnam ad ea, quæ Senatus petierat, regii reſponderent? neque quid mente tegerent, neque quid Rex ſtatueret, enuntiabant; ſi quid ipſe expoſceret, reſponſuros affirmabant. Quæ etſi Senatui valde moleſta acciderent, attamen legatos de rerum ſtatu docere, tempori ſeſe accommodare, nil prætermitti ad ineundum fœdus oportere, arbitrabatur.

Dum hæc aguntur, inopinati de Andreæ Auriæ in Siciliam reditu nuntii Romam ſuperveniunt. Pompejus Columna, qui Marci Antonii juſſu Auriæ claſſem conſcenderat, citato itinere ad urbem contendit: Leucoſiam expugnatam, claſſium reditum, quæ ab Auria acta ſint, quam acriter in Cyprum profectioni adverſatus fuerit, exponit. Pontifex ingenti dolore perculſus, modo hominum errata deteſtari, quæ Divini Numinis in ſe iracundiam concitaſſent; modo noſtrorum negligentiam incuſare; modo Auriæ graviter ſuccenſere, quod, ſejunctis a reliquis conſiliis, privatas rationes publicis commodis prætuliſſet; nihil Catholico, ac potentiſſimo Rege dignum egiſſet. Subinde veritus, ne Veneti infelicibus hiſce eventis deterriti, potius de componendis cum Selymo rebus, quam de fœdere ullo cogitarent, Superantium ad ſe vocat; humaniſſimis verbis alloquitur: *Quæcumque in ſua poteſtate, & auctoritate ſita ſint, omnia ad opem Reipublicæ ferendam collaturum; ſi a reliquis auxilia denegentur, nunquam ſe defuturum pollicetur; bono animo eſſe Senatum hortetur, neque ſe ob acceptam cladem demittere: non omnes belli eventus ſecundos eſſe poſſe; fortunam frequenter dominari; attamen illius malignitatem hominumque peccata corrigi prudentia, ac virtute poſſe; quæ ſi adhibeantur, ex victis ſæpius victores efficere conſueviſſe: itaque mandata fœderis percutiendi ampliora Senatus mittat: omni opera, ac ſtudio, ut in eo ſanciendo Venetæ dignitatis, atque utilitatis ratio habeatur, curaturum, atque ut in poſterum rectius cuncta adminiſtrentur, enixurum.* Exinde in Zannii laudes effuſus, illius conſtantiam, egregium ad gloriam impetum extulit, quod nullis laboribus debilitatus, nullis ex iis, quæ Venetæ claſſi acciderant, calamitatibus fractus, ſummo animi vigore, remige, ac milite refectis triremibus, cunctos ad iter in hoſtes dirigendum, manumque conſerendam, vel Leucoſiam obſidione levandam eſſet cohortatus. Contra vero Auriam graviſſimis verbis inceſſit, quod a Zannio recte inſtituta conſilia prævertiſſet; eorum, quæ improſpere acciderant, maxima in eum parte rejecta. Hæc eadem cum Facchinettus Patribus expoſuiſſet, Senatuſconſulto reſponſum: *Summum ex iis, quæ acciderant, dolorem diſſimulatione tegere non poſſe; præcipuam Cypri urbem captam, direptam; rerum feliciter gerendarum opportunitatem amiſſam; Turcas inſolentiores factos; Verumtamen quod eximiam Pii Pontificis Maximi in Rempublicam voluntatem noſſet, illud demum ſibi ſolatio eſſe, a quo ea ſibi certo polliceretur, quæ difficillimo tempore graviſſimis caſibus, in quibus non tam de Veneta, quam de chriſtiana republica agebatur, ab egregio, ac vere Pio Pontifice expectari poſſent: neque viciſſim de Senatus voluntate ambigendi locum eſſe, quam præclaris argumentis cunctis Principibus teſtatam non ſemel voluiſſet: quapropter ut fœderis tractationem perſequerentur, neque ab iis, quæ ratio, atque æquitas poſtularet, diſcederent, legatis mandaturum.* Ex hoc Senatus decreto ingentem Pius voluptatem cepiſſe viſus eſt; quippe qui ſubverebatur, ne præteritis rerum ſucceſſibus commoti Patres, ad alia conſilia capienda deflecterent, quæque antea ſpoponderat, eadem ſumma adſeveratione præſtaturum legatis, affirmavit.

Pii Pontificis perturbatio ob Leucoſiæ amiſſionem.

Pii Pontificis pollicita per oratores & Nuntium ad Senatū delata.

Senatus reſponſum.

Ceterum pridie nonas novembris coacto concilio, veteribus recentes difficultates addebantur, ut harum rerum exitus difficillime conjectari poſſet, atque in dies rem extrahendo, ne inſequenti anno ſociorum vires in promptu eſſent, ſummopere pertimeſcendum videretur. Cæſar quoque, qui varias cauſas nectendo, nihil adhuc de ineunda ſocietate conſtituerat, nuntio de Leucoſiæ excidio accepto, profitus ſe a jungendo fœdere alienum patefecit; ſcriptoque Joanni Michaelio, ac Jacobo Superantio legatis reſpondit: *Ex Leucoſiæ amiſſione ingentem ſe moleſtiam percepiſſe, quamque chriſtiana reſpublica graviſſimo ea vulnere jacturam feciſſet, dolere pro re ipſa non ſatis poſſe; quod ad fœdus attineret,*

Maximiliani Cæſaris a fœdere amplectendo averſus animus.

1570

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 *neret , optime Senatum noſse , octo annorum inducias ſe cum Selymo pepigiſse ; eas infringere neque chriſtiano Principe , neque optimo viro dignum eſse arbitrari ; inducias Turcarum Rege ſervante , nihil adverſus ipſum moliri poſſe , atque eo minus , quod poſt ea , quæ in Cypro acciderant , de Principum mente non ſatis ſibi conſtaret : ut vero maxime fœdus cuperet , nihil , niſi ex ordinum Imperii conſenſu , atque ex regnorum , & provinciarum , quas hereditario jure poſſideret , ſententia conficere poſse : verum iis, quæ Romæ agerentur , cognitis , quidve ex fœdere ſperandum eſset , certiorem factum , cum Germaniæ , ſuarumque provinciarum ordinibus re expenſa , quid ſentiret , declaraturum* . Eo Cæſaris reſponſo ad Senatum allato , Superantius ab extraordinaria legatione eſt revocatus . Neque promptior Sarmatiæ Rex ad arma movenda viſus eſt , cum preſertim aliis difficultatibus ea quoque accederet , quod legibus bellum extra Sarmatiam inferri , inconſulto communi conventu (quam *Dietam* vocant) qui auguſti menſis exitu , omnium provinciarum præſidibus , aut earum procuratoribus præſentibus , ſolemni ritu celebrari ſolet , vetaretur . Itaque Antonius Theupolus ex arrepto in Sarmatiam itinere domum regredi juſſus eſt .

Jacobus Superantius , & Antonius Theupolus a legationibus Germanica & Sarmatica revocantur.

Nutante fœderis ſpe , in Illyrico , atque in Epiro minutis præliis dimicabatur . Noſtri crebro ab iis , qui Turcicæ ſervitutis jugum perferre non poterant , ad copias atque arma in ſuas regiones mittenda exſtimulabantur . Alexander Donatus , Antibaris prætor , ſubſidia ab Senatu urgebat , magna ſpe Scodræ civitatis potiundæ ſubnixus , in qua nonnullorum ſibi conciliatis , atque in defectionem proclinatis animis , haud difficile occupare poſſe ſibi perſuaſerat ; licet Bernardus Contarenus , Aſcrivii prætor , cui ea cura quoque delata fuerat , ignorare reſcriberet , quo conſilio , ac viribus Scodræ oppugnationem moliri Donatus vellet , quæ ſitu & arte munita , niſi magnis copiis , ac bellico apparatu invadi non poſſet . Verum cum Aulonæ præfectus militum manu ſeptus Scodram veniſſet , incolas omnes ingenti metu perterritos a rebus novandis avertit, atque in aliud tempus Donatus negotium diſtulit . Interea cum Muſtapha, quem

Alexandri Donati, Antibaris præfecti, ſpes de Scodra occupãda.

1570 quem pretio , ac donis pellexerat , occulte agebat ; a quo mira arte , modo rei bene gerendæ injecta ſpe , ut ad ſe fidos homines mitteret , petendo , modo , ne inter eos agitata afferrentur , ſimulato metu , eludebatur . Eodem tempore Hieronymus Venerius , Olchinii comes , ab iis , qui circumjectos Alexio pagos incolebant , invitatus , oppidum illud aggreditur ; Ducaginorum præfectum cum equitibus ducentis ſubſidio venientem fudit ; ſuburbiis relictis , in arcem Turcæ confugere , eamque novis operibus munivere . Ejus expugnationem difficiliorem fore , paucis præſertim copiis , ratus , ſuburbiis incenſis , Olchinium revertitur . Conſtans multorum , qui locorum nostitiam optime callebant , opinio fuit , hyemis tempore , montium ſemitis nive , ac gelu infeſſis , aditum equitatui præcludentibus , triremium manu , ac militum haud magnis copiis in eas oras immiſſis , facile Scodra , Alexio , atque aliis ejus regionis oppidis potiri noſtros potuiſſe ; & ab agreſti turba , quæ Venetis obtemperabat , occupatis Ducaginorum , & Ipſonorum montium faucibus , Turcas ab ingreſſu in Illyricum , atque Epirum prohiberi .

Hieronymus Venerius, Olchinii comes, Alexium oppidum aggreditur.

Epirotarum ſtudium in Venetos.

Alexio fruſtra oppugnato , Emathiæ provinciæ præfecti literis , ac nuntiis a Venerio ſcloppettariorum manum ſubſidio petiere , duodecimque ex ſuis liberis obſides miſere . Idem Ladrimenſes fecere . Verum permultos dies militum ſubſidiis fruſtra expectatis , cum neutris ſatisfacere poſſet , obſides fatum ſuum lamentantes , fortunamque incuſantes , dimittere eſt coactus . Nam cum Senatus ſuperioribus menſibus diutius iis in locis commorari claſſem e re publica eſſe non cenſuiſſet , in autumnum ſub ejus ab oriente reditu , quo tutius , ac majori conatu maritimis & terreſtribus conjunctis copiis conficeretur , expeditionem diſtulerat . Illud vero inopportune acciderat , ut claſſis funeribus exhauſta , remigum , ac militum robore ſæva lue extincto , Corcyram perveniret ; ex quo inſtituta conſilia everſa ſunt . Sed nihil in re illorum populorum ſtudiis deeſſet , Pallavicino e Creta redeunti Patres juſſerant , ut Antibarim devectus , an aliquid eorum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1570 rum quæ a Donato proponerentur, perfici posset, exquireret. Sed is cum morbo correptus Pharum appulisset, Venetias accedere coactus fuit. Mox Augustino Barbadico, classis cum summo imperio legato, præcepere, ut in suo ad Corcyram itinere eodem delatus, si quod operæ pretium esse arbitraretur, Donato triremes, copias, tormenta, bellicumque apparatum, ut sibi expedire videretur, præberet.

Bernardus Contarenus, Ascrivii præfectus, proditionem detegit.

Iisdem ferme diebus Bernardus Contarenus, Ascrivii prætor, per exploratores certior factus, a Neocastri præfecto urbis per defectionem occupandæ, cum nonnullis, quos sibi devinxerat, secreta consilia agitari; quinam immanis adeo sceleris auctores essent, inquirere nixus, cum, neque pecuniæ vi, neque omni cura adhibita, id assequi posset, Ullatici Cossatii industria Trojanum quemdam Siculum, militum præfectum, Turcarum pollicitis corruptum esse comperit. Is de ratione, ac tempore facinoris perpetrandi cum hoste pactus, arcis custodiam, quo facilius id, quod animo agitabat, exequeretur, sibi mandari depoposcerat: ea pernegata, portam, qua ad flumen itur, petierat: cum impetrare non posset, domum propinquam, ex qua cum suorum militum (ut ajebat) manu sese expeditius ejiceret in hostem, flagitabat: id quoque pernegatum. Interea Turcæ statuto tempore, quo Trojano custodia obeunda erat, Ascrivium tribus agminibus terra, marique contendunt; mari cum biremibus, ac celocibus procedunt; eorum, quæ terra iter habebant, alterum in monte, quo ad portam, cui Siculus præesse debebat, descenditur, constituunt; altero e regione Sanctæ Trinitatis consistunt. Contarenus in omnem eventum intentus, singula summo studio curat; custodias permutat; cohortes disjungit; Ascrivienses, ac Perastanos interponit; per urbem obambulat, neque a latere proditorem discedere patitur. Hostes, cum signum, uti convenerat, non ederetur, quæ montem, atque amnem insederant, copias abducere incipiunt; tertio agmine procedentes nostros ad pugnam eliciunt: ab immissa a Contareno incolarum manu pelluntur, ac funduntur. Mox proditori, detractis ar-

Trojanus Siculus proditionis auctor necatur.

armis, statim guttur frangi jubet, qui pedibus ad eam 1570
portam, quam hosti prodere statuerat, appensus, execrandi sceleris pœnas dedit.

Finis Libri Noni.



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPI-

EPITOME.

CUm spes aliqua ineundae cum Turcis concordiae hinc affulsiſset; illinc vero ad percutiendum contra Turcas cum Hiſpanis foedus Pontifex enixe hortaretur, quid potiſſimum agendum eſſet, magnis contentionibus apud Senatores diſceptatum eſt. Tandem Pontifex, Hiſpaniae Rex, Venetique ſociali contra Turcas foedere juncti ſunt. Muſtaphas turcicae claſſis adventu ſubſidiis auctus, Tamaſſo opera admovere, urbemque tormentis quatere coepit. Pertaus claſſe e Cypro in Cretam delatus, poſtquam expoſitas ad Cydoniam copias Franciſci Juſtiniani Genuenſis virtute iterum in naves recipere cum magno ſuorum damno coactus fuerat, milites exſcendere ad Rhythymnum juſſit. Vacuam urbem ingreſſi Turcae, magna illinc praeda abducta, reliqua ferro & igne abſumpſere. Hinc ad Cytheram, deinde ad Aegialiam appulſi, utramque vaſtationibus, atque incendiis foedavere. In Zacynthum egreſſi, arcem minime expugnari poſſe rati, per inſulam effuſi barbariae veſtigia ubique reliquere. Sebaſtianus Venerius cum Veneta claſſe Meßanam contendere, ibique Pontificiam & Hiſpanicam praeſtolari ſtatuit. Claſſis Turcica in hadriaticum ſinum progreſſa eſt, ut Acmati rem terra gerenti auxilio eſſet. Olchinium terra marique infenſis exercitibus petitum, deditione in poteſtatem Turcarum conceſſit. In dediticios, violata fide, a Turcis ſaevitum eſt. Antibarum praefecti ignavia hoſtibus traditum eſt. Corcyrae nigrae ſuburbia, arcem egregie feminis propugnantibus, incenſa ſunt. Venetiis, tot cladium allatis nunciis, valde trepidatum eſt. Litora, quae urbi totiſque aeſtuariis obtenduntur, excitatis ad portus oſtia operibus, aggeribus exſtructis, ſtationibus diſpoſitis, munita ſunt: eorum cura Vincentio Mauroceno cum ſummo imperio mandata eſt. Pertaus e turcica claſſe in Corcyrenſes agros milites expoſuit. Suburbium hoſtes aggreſſi, haud exiguo damno a noſtris affecti ſunt. Angelo-caſtrum fruſtra tentarunt. Non prius tamen illinc abſceſſere, quam ſolita crudelitatis exempla edidiſſent. Foederata Chriſtianorum claſſis tandem una coiit ad Meßanam. Interim Muſtaphas in Cypro Tamaſſum urbem arctiſſime obſeſſam, crebriſque aggreſſionibus oppugnatam, in ſuam poteſtatem redigere omni ope conabatur. Saepius tamen Turcae noſtrorum eruptionibus caeſi, ſaepius de occupatis munitionibus dejecti ſunt. Praeclara conſtantiae, ac fortitudinis exempla a Venetis praefectis, militibus, civibus etiam, atque ipſis feminis nulla non edita. Obſeſſis tandem ad ultima redactis, quam honeſtis potuit conditionibus, urbis deditio pacta eſt. Fracta tamen fide, Muſtaphas Laurentium Theupolum ſuſpendio necari, fortiſſimo in primis propugnatori Marco-Antonio Bragadeno vivo pellem detrahi, ceteros in captivitatem trahi juſſit. Infanda omnia in deditam civitatem admiſſa ſunt.

HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DECIMUS.

M. D. LXXI.

IAm annus agebatur, ex quo bellum a Ve- 1571
netis cum Turcarum Rege ſuſceptum fuerat: ac licet ad potentiſſimi hoſtis impetus fortiter excipiendos nil a Senatu praetermiſſum foret; attamen tot tantiſque conatibus nuſquam ſucceſſus reſponderant. Ingens auri vis effuſa; claſſis, triremium numero, cunctis ad bellum neceſſariis inſtructa, foeda lue correpta; militum robur ex Reipublicae ditionibus, atque univerſa fere Italia extinctum; Pontificis, ac Philippi Hiſpaniarum Regis ſera ſubſidia; de ſocietate ineunda Romae inani eventu agitatum; Caeſar per ordinarium, atque extraordinarium legatum ad foedus percutiendum fruſtra invitatus; in Sarmatiam quoque, qui Regem ad arma in hoſtem commoven-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 venda hortaretur, nullo fructu orator missus; in Persidem usque, qui Tamasum in Selymum inflammaret, incassum profectus: ut quidquid ab humana prudentia expectari posset, id omne gravissima in re a Venetis congestum vel occulta quadam cæli vi, vel hominum socordia, aut malignitate fere deperierit. Hostes contra, victoria elati, Tamassi ingentibus viribus oppugnationem parabant; Reipublicæ maritimis ditionibus atrox, atque acerrimum bellum minabantur. His fiebat, ut Patrum animi ancipiti curarum mole distinerentur, cum Marci Antonii Barbari Byzantio literæ allatæ sunt, quibus Mehemetes Bassæ animum ab aliqua inter Selymum, ac Rempublicam concordiæ ratione ineunda minime abhorrere significabat. Is enim cum in utramque partem belli eventus æstimaret, si quando fortuna christianis Principibus afflaret, veritus, ne sociis viribus Ottomanorum imperio adversi aliquid contingeret; contra si Selymo cuncta prospera fluerent, ne perpetuus illius æmulus Mustaphas secundis elatus rebus, principem ei auctoritatis locum præriperet, solicitus; semper in pacem proclinaverat; sæpiusque, cum Barbaro concordiæ mentione injecta, solerter elicere conatus fuerat, nunquid ad eam rem aliqua Senatus mandata haberet. Tandemque, ut mercatorum obtentu aditum sibi ad concordiæ tractationem Bassa faciat, ab legato petit, cum Senatu agat, ut negotiatores, qui ex Ottomanicis ditionibus Venetiis una cum eorum bonis intercepti fuerant, libertati restituantur: *Iniquum sibi videri, Venetos negotiatores libere in Selymi ditionibus versari; ejus vero subjectos, facultatibus exutos, carceri mancipatos miserrimam vitam traducere; hominem proinde ex sua familia una cum interprete ad id negotium peragendum Venetias mittat.* Eodem tempore per Hibraimum legati mentem explorare nititur. Is Barbarum adiens, ex Cypro sibi allatis initio literis, quibus, quæ a Turcis gesta fuerant, quove statu res Cypriæ essent, continebatur, ostendit. Eas, ut ad Senatum perferendas curet, rogat: ex ipsis insulæ cladem, ac vastitatem inspecturum. Cum neque ex eo ad pacis mentionem legatus adduci potuisset, Bassæ mandata Hibraimus exequitur, quorum sententia hæc erat: *Nulla ex re Mehemetis erga Rempublicam mentem unquam immutatam; in Venetos, quo semper extite-*

Marci Antonii Barbari literæ de Mehemetis in pacē propensione.

Mehemetes a Barbaro legato petit, ut Turcici mercatores libertate donentur.

Hibraimum Barbaro legato officium.

titerat, amico ac benevolo animo adeo esse, ut a plerisque etiam pro Veneto habeatur, ab omnibus injuriis, ac molestiis immunem quammaxime Rempublicam cupere: oblata occasione, quæcumque ei utilia esse possint, curaturum. Adjecit: *Selymum ingentes copias terra, marique comparare; multa, atque ingentia meditari; ac licet non malo in Venetos animo sit, omnesque sibi illos offendendi præreptas causas velit; attamen illatas injurias prorsus ex animo delere non posse: Mamutem Venetiis detentum; Cubatem legatum male habitum; superbe nimium sibi responsum; quodque ei maxime acerbum acciderat, honoris titulos ademptos: si humanius actum fuisset, Cyprias controversias, honesta persoluta pensione, dirimi potuisse: modo Selymum ea insula non contentum, majora moliri; immanes illi vires, immensam auri & argenti vim, innumera navigia, & fortissimos milites: dum tempus esset, rebus suis Veneti prospicerent; neque Pontifici, aut Hispaniarum Regi, præteriti anni successibus edocti, confiderent; sed hominem, qui de pacē ageret, cum Matteca interprete Byzantium mitterent.* Ad hæc Barbarus, *Propensam Mebemetis voluntatem privatis, publicisque significationibus sæpe testatam nunquam non cognovisse,* inquit. *At ex Venetorum amicitia ad Ottomanos Reges multa, eaque haud contemnenda beneficia pervenire; in ea perseveraturos fuisse, nisi fide fracta, multa iniqua Selymus postulasset, complura in eos hostilia perpetrasset: quod ad concordiam spectet, quid efficere possit, se prorsus nescire; ingentes belli molestias, ac curas, incertos exitus, inanes plerumque conatus non ignorare: Venetos, uti semper pacis studiosi fuerant, ita nunquam ab armis pro dignitate, atque imperio suscipiendis abstinuisse: iis artibus diuturnitate reliqua imperia antevertisse: atque ut vehementer ipse in quietem inclinaret, ea in re quid consilii Respublica caperet, non sibi constare.* Hæc Barbarus, qui, ne aliqua christianorum Principum animis ex ea profectione suspicio injiceretur, per literas negotium agi obnixe petebat; sed cum secus statutum Mehemeti de Selymo intelligeret, familiæ magistrum, Matteca comite, cum suis ad Senatum literis, quibus cuncta singillatim continebantur, misit.

1571 *Marci Antonii Barbari responsum.*

Id Turcarum consilium haud parvam hæsitationem Venetis incusserat. Erant qui, ne christiani Principes tandem fœdere con-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 conjungerentur, veritos, finem bello imponere Turcas velle arbitrarentur; ne uno, atque eodem tempore tot in ipsos conversa arma experiri cogerentur. Suspicabantur plerique, id astu & arte effectum, ut inter Venetos, ac reliquos Principes suborta diffidentia, ac simultate, fœdus interturbaretur, Rempublicamque sociorum subsidiis nudatam facilius opprimerent. Per id ferme tempus Gransianus, Caroli Galliarum Regis nuntius, e Byzantio Venetias accesserat; atque ad Principem privatim introductus, quod a publico colloquio cum sui, tum Turcarum Regis causa abstinere se velle diceret, in hanc sententiam est locutus: *Superioribus mensibus Regis literas a Ferrerio apud Rempublicam legato accepisse, quibus Selymo significare jubebatur, ortum inter illum, ac Venetos bellum Carolo minime probari, quod pro amicitia, quæ sibi cum Republica intercederet, ægre injurias ei illatas pateretur. Hæc cum Bassæ communicasset, Selymum se alloqui voluisse, atque ad Chrysopolin, e regione Byzantii in Asia oppidum, quo sæpe, ut liberius iis, quos cum velit, colloquatur, divertere solet, evocasse: eo in loco cortina latentem, ex purpuratis quodam interpretante, hujusmodi ad se verba habuisse. Regis tui nomine nunc mecum de pace loqueris, cum mea classis, atque copiæ in Cyprum trajecerint? cum Leucosia concutiatur? cum vicissim cruore manus madeant? qui id convenit? Tum Regi respondisse, se quæ in mandatis habuerat, exposuisse: Venetis a quoquam damna inferri Carolum pati non posse. Deinde de Leucosia capta acceptis nuntiis, iterum vocatum Regem sibi dixisse: Tempus, quo de pace agatur, adesse; illius conficiendæ facultatem Carolo concessurum. His auditis, statim itineri, ut hæc ad Senatum perferret, se commisisse, literas ea de re Selymi, ac Mehemetis ad Regem habere: quatuorque mensium spatium ad responsum referendum obtinuisse.* Hæc, quæ a Gransiano narrabantur, an ita essent, etsi minime constaret, attamen multis argumentis a concordia non alienus Selymus censebatur. Nec multos post dies Barbari nuntius una cum Matteca interprete supervenit. Exinde varia agitari in Senatu cœpta: nonnulli, ne quæ ostentabatur, pacis spes elabi sineretur, sentire: alii artes, atque dolos hostium rati, ut fœdus acrius urgeretur, suadere.

1571 Venetorum diversæ sententiæ de Barbari literis.

Gransiani, Galliæ Regis legati, Byzantio redeuntis ad Venetos de pace, oratio.

In

In hac consiliorum ambiguitate nihil eorum, quæ ad bellum gerendum necessaria, aut opportuna forent, intermittebatur: in navalibus die, noctuque sarciendis, aut exædificandis triremibus, aliisque navigiis assidua cura adhibebatur: panis nauticus cum Venetiis, tum in continentis urbibus conficiebatur; Placidus Ragazzonius Messanam missus, ut frumenta, ac commeatus in Sicilia curaret: Antonius Canalius legatus, qui jam magistratu functus fuerat, subsistere in classe jussus: ut Zacharias Salomonius, summum imperium in Epiro obtinens, Jacobique Celsii excessu in classis legatione suffectus, iis in locis, ob egregiam, quam Reipublicæ navabat operam, moraretur, decretum. Jacobus vero Foscarenus in Illyricum ad munus sibi antea delatum obeundum proficiscitur: Aloysius Georgius cum summo imperio Corcyram contendit: Marinus Caballius Laurentio Amulio in Cretæ administratione sufficitur. Milites, qui subsidio in Cretam, atque in regiones maritimas mitterentur, summo undique studio conquisiti: qua in re ingentes sese difficultates objecere, pestilentiæ vi, quæ superiori anno in classem se se diffuderat, tantamque stragem ediderat, mortalibus perterrefactis. Inter hæc denuo inter Pium, ac Maximilianum ex Cosmi titulis dissidia suboriebantur, cum Cæsar injuriam, quam sibi a Pontifice illatam rebatur, depellere ex animo nequiret. Huc accedebat, quod Galliarum Regis parentem imperio ac beneficiarium quemdam religionis causa carceri Pius mancipaverat; neque per nobilem e suis Romam missum ejus liberationem petenti, obsequi voluerat; quibus acciderat, ut, ne quidpiam in se hostile Reges molirentur, veritus, e suis ditionibus neminem in aliorum Principum militiam adscribi, edicto vetuisset.

1571

Venetorum sedulitas ad bellicos apparatus instruendos.

Zacharias Salomonius in Epiro legatus.

Aloysius Georgius in Corcyram; Marinus Caballius in Cretam legati mittuntur.

Pii Pont. cum Cæsare & Galliæ Rege dissidia.

His de causis cum Patrum animi summopere angerentur, atque si latius dissensiones serperent, magnam Reipublicæ portendi jacturam animadverterent, Joannem Formentum, Senatus scribam, Romam mittere constituunt, qui Pium roget: *Ne turbulentis hisce temporibus statuere aliquid præpropere velit: ea sibi animo subjiciat, quæ cunctis incommoda imminerent, si arma adversus communem hostem stringenda, ad christianæ reipublicæ corpus lacerandum converterentur: nonnihil temporum conditionibus concederet; aliquid tot calamitatibus,*

Senatus cū Pontifice de concordia officia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *quibus christianæ res premebantur, tribueret; hisce malis ab eximia sua prudentia auxilium peteret, ut, amputatis controversiis, omnes in commune bonum consulerent.* Hæc Formento mandabantur. Ceterum biduo post, ne ex scribæ missione earum rerum aucta fama vires acquireret, Senatus jussa ut legati perficerent, decernitur. Quibus Pontifex, *se prorsus eadem, qua Senatus, mente esse, nihil antiquius concordiæ nexu sibi fore*, respondet: *verum firmum quoque, atque immotum animo suo insidere, ut sartam, tectamque suam dignitatem, atque auctoritatem tueretur, quam si quis ulla in re labefactare aut lædere velit, nihil ad eam conservandam prætermissurum, mortem quoque ipsam, si occasio posceret, oppetiturum.* His de causis nihil de militum delectu in pontificiis ditionibus habendo impetrari poterat; atque severa adeo edicta Pius pronunciari jusserat, ut præfectos quosdam, qui, facultate non impetrata, Reipublicæ nomine milites conscripserant, in vincula trudi præciperet; Agesilaumque Monaldeschium, exilio ac bonorum publicatione mulctatum, ægre a Senatu sæpius rogatus, revocaverit.

Aliud præterea malum in militiam irrepserat, ut plerique præfecti, ficta pro veris nomina inducentes, pessimo exemplo publica stipendia raperent: adeoque hæc pestis increverat, ut multa oppida debito militum præsidio exuta invenirentur. *Veneti stipendia militibus augēt.* Huic incommodo obviam eundum Patres rati, ut ejus rei criminis nonnulli Venetias captivi mitterentur, jussere. Torquato Hierosolymitano equiti, qui gravissime ea in re deliquerat, medio foro, inter geminas columnas cervices abscisæ. Ceterum, ut militibus consuleretur, tres scutatos nummos singulis mensibus privato militi persolvi, cum antea sex ac triginta dierum spatio, *ducatis*, ut ajunt, tribus tantum mererent: decem honoraria stipendia quolibet mense præfectis tribui, decretum: & ne qua fraus inesset, bini ad eam rem Curatores (*Commissarios* vulgo dicunt) in classem sunt designati, *Hieronymus Vendramenus, & Joannes Contarenus curatores classis eliguntur.* Hieronymus Vendramenus, Joannes Contarenus, e Joppensium Comitum familia, qui tunc triremis præfecti munus obibat. Haud absimilis in remigum delectu habendo difficultas aderat, cum agrestium plerique prædurum, ac grave servitium perosi, solum vertendo in alienas regiones migrarent.

rent. Huic malo ut provideretur, latum, ut qui assuetis stipendiis sponte in remigum ordinem redigi vellent, per quadriennium ab oneribus iis, quæ corpore præstantur, immunes essent. Exules complures, qui Genuæ morabantur, triremium servitio sunt absoluti. Decretum insuper, ut urbium atque oppidorum, quæ in continente sunt, artificum collegia, & sodalitates mille remigum numerum (uti Venetæ effecerant,) exhiberent. Eadem labes Cretenses quoque triremes attigerat, illorum, qui iis præerant, vel ignavia, vel crudelitate, quod nonnulli militiam pertæsi, ut justam domi manendi causam nacti viderentur, navales socios aufugere permiserant; alii crudele nimium in eos imperium exercuerant; quocirca reditum ad transtra detestati, querelis, ac lachrymis cuncta compleverant. Hæc cum Patribus nuntiarentur, variisque insuper rumoribus perferretur, acerbe nimium, atque aspere in miserrimum illud hominum genus sævitum, Triumviri, ac Quæsitores deligerentur, sanxere, qui in eos, qui in privatas, aut publicas rationes deliquissent, absque provocatione animadverterent; si cui capitis sententiam infligendam censerent, de ea ad Senatum referrent. Lecti Federicus Valaressius, Joannes Mocenicus, Gaspar Raynerius. Multa quoque ad tuenda maritima loca decreta sunt. Paulus Ursinus, rerum militarium usu, atque auctoritate conspicuus, Corcyræ subsistere jussus est. Latinus Ursinus, frater, in Cretam: Balthasar Rangonius Jaderam: Jacobus Malatesta cum quatuor peditum millibus Aserivium: Vincentius Lignanus cum mille Cydoniam missi sunt. Duplicata ingenti impensa, ac labore militum præsidia in orientis munitionibus fuere; & ne sinus Adriatici custodia ulla in parte intermitteretur, Hermolao Theupolo, biremium præfecto creato, id muneris delatum est.

1571 *Senatus decreta, ut subjectos ad triremium servitium allicerent.*

Trium virū quæsitorum electio.

Paulus Ursinus Corcyram & alii præcipui militum præfecti in alias provincias mittuntur.

Hermolaus Theupolus biremium præfectus.

Dum hæc a Patribus curantur, diversa ex parte in Creta de subsidiis in Cyprum inferendis agebatur, quæ Zantius ante discessum mille ac sexcentorum peditum numerum navibus imponi, & cum bellico apparatu, commeatuque Cyprum importari mandaverat; quem sane militum numerum licet exiguum esse intelligeret, attamen, ne Creta a classemque penitus milite nudaret, majores in Cyprum copias mittere non potuerat. Iis subsidiis in navigia impositis, cum nondum solvissent,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 sent, Nicolaus Donatus cum aliis, qui a Tamaſſi præfecto Venetias mittebantur, ſupervenit, difficilemque in Tamaſſi portum ingreſſum docuit, quod ab octo triremibus, quas Turcæ ad Conſtantiæ cuſtodiam reliquerant, itinera adeuntibus intercluderentur. Itaque Candidæ magiſtratus una cum Laurentio Amulio legato, Sebaſtiano Venerio, Marco Quirino, Sancto Throno concilio habito, Marco Antonio Quirino Petri Throni defuncti loco præfecturam navium attribuunt, munuſque cum quatuor navigiis in Cyprum ſubſidia importandi deferunt; atque ut Marcus Quirinus una cum triremium manu naves comitaretur, decernunt. Is Sanctum Thronum, damnatorum triremium præfectum, Vincentium Quirinum, Theodorum Balbum, Alexandrum Vizzamanium, Nicolaum Fratellium, Antonium Bonum, Marcum Antonium Piſanum, Nicolaum Faletrum, Franciſcum Bonum, Hieronymum Thronum, Philippum Leonium gubernatores ſibi adjungit.

Nicolaus Donatus a Tamaſſi præfecto Venetias miſſus.

Marco & Marco Antonio Quirino provincia ſubſidii in Cyprum importandi mandatur.

Numero duodecim triremes erant. Cum iis, navibuſque in Cyprum arrepto itinere, ſecundo ventorum flatu, quinque dierum ſpatio in conſpectum Tamaſſi ſe dedere. Eadem die naves quoque, quæ vento coactæ, diverſa velificatione uſæ fuerant, adfuere. Nocte citra Pedalium promontorium (quod *caput* hodie dicitur) Marcus Quirinus ſubſtitit, ſperans Turcicas triremes, quæ ad portus fauces excubabant, navium, quas progredi juſſerat, conſpectu e ſtatione ad pugnam elici, illiſque prærepto ad Conſtantiam receptu potiri poſſe. Conſilium eventus probaſſet, ni Marcus Antonius navium præfectus moræ impatiens, præpropera feſtinatione ſe ſe in hoſtes ad pugnam conſerendam egreſſos intuliſſet. Turcæ namque noſtrorum triremes conſpicati, receptui ſtatim cecinere, remoſque inhibentes retro curſum flexere; Quirino inſiſtente, immaneſque tormentorum globos in fugientes, ſub ictum uſque erectæ a Turcis munitionis excutiente; cum eodem momento ex proximis hybernis ad eas defendendas Turcarum ingens manus ad litus convolaret. Hoſtes concitato remigio triremes ad proxima litora incolumes perducere, ſeſeque e noſtrorum conſpectu ſubducere conati, quin tres nullo noſtrorum damno deprimerentur, efficere nequivere. Idem reliquis accidiſſet, niſi e Conſtantia flante vento, veritus Marcus Quirinus, ne naves

Triremes Turcicæ ad Conſtantiã a Marco Quirino demerſæ.

Veneti præfecti ſubſidia in Tamaſſi portũ inducunt.

Turcarum triremes e noſtrorum manibus fugaſe eripiunt.

Turcicæ triremes & alia navigia a Quirino capta & Tamaſſum inuecta.

ves in altum provectæ, intendentibus ſe tenebris, aliquid de- 1571
trimenti caperent, ſatius portum ingredi duxiſſet. Ibi peditatu, bellico apparatu, ac commeatibus ſubductis, Tamaſſo ingenti lætitia repleto, ſpe reliquas quatuor triremes, quæ intra Conſtantiam ſeſe receperant, intercipiendi ductus digreditur. Hoſtes, in depreſſarum triremium extantes mari reliquias igne injecto, noſtris, qui, oborto fumo, carinas ab iis inungi ſuſpicabantur, eluſis, præter omnium opinionem noctu, favente vento, in altum elati, incolumes evaſere. Poſtridie Quirinus majorem triremem, quæ trecentis Janizzeris, militari annona, aliiſque in uſus terreſtrium copiarum neceſſariis onuſta, recta Conſtantiam ferebatur, adortus, pleriſque cæſis, reliquis captis, in ſuam poteſtatem redegit. Prædam in militiæ commoda in Tamaſſum invexit. Aliud præterea navigium cum Turcis ducentis, ac bellico apparatu cepit; Damaſci Baſſa, qui eo vehebatur, parvo lembo, ac denſa, quæ ſe ſuſtulerat, nebula protecto, vix evadente. Exinde munitione, quam hoſtes ad Conſtantiæ fauces erexerant, ſolo æquata; nonnulliſque e terra in Gambella ſcopulo propugnaculis, quibus ea ex parte oppidum quatere cœperant, dirutis; quidquid præterea ad communiendam Tamaſſum conferre poterat, in urbem convecto, navibus, quæ ſubſidia importaverant, atque tribus onerariis, quæ poſt Hieronymi Martinengii pedites expoſitos, portu detinebantur, remulco avectis, vela dare juſſit: ex iis Cornelia vetuſtate fatiſcens, undis abſorpta eſt; reliquæ incolumes Venetias pervenere, maximoque uſui ea tempeſtate Reipublicæ fuere. Quirinus re egregie confecta ſummis omnium laudibus concelebratur: in Cretam delatus, mox Corcyram, ubi Sebaſtianum Venerium claſſis imperatorem deſignatum invenit, profectus eſt.

Interea cum (ut diximus) a Barbaro miſſi Venetias acceſſiſſent, iiſdemque difficultatibus fœderis negotium obvolveretur; Pontifex ob ſubortas denuo cum Maximiliano controverſias ſuis tutandis ditionibus intentus, neque commeatus, neque milites permitteret; ac nonnihil de primo in Venetos ſtudio remiſiſſe videretur: ad pacem flectere Patrum mentes cœpere; atque Jacobum Ragazzonium, virum prudentia & rerum uſu præditum, qui cum magna in totius Europæ emporiis

Jacobus Ragazzonius Byzãtium mittitur, & ejus mandata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 riis negotia obiret, idoneus ad id in primis cenſebatur, Byzantium mittere ſtatuunt, qui de negotiatorum, ac mercimoniorum utrinque libertate, ac reſtitutione cum Mehemete ageret. Secreta Decemvirum mandata cum literis ad Barbarum addita, quarum ſumma hæc erat: *Mentione ſibi pacis injecta, modo honeſtis conditionibus, atque e dignitate Reipublicæ confici poſſet, ab ea ne averſum animum oſtenderet.* Haud abſimilis, ſi cum captivo legato agitare Turcæ abnuant, Ragazzonio facultas conceſſa.

Philippi Regis literæ de claſſis imperatore.

Eodem tempore (quinto ſcilicet nonas martii) aliæ a Philippo Romam literæ perferuntur, quibus illius de fœderatorum claſſis imperatore deligendo ſententia continebatur. Ea erat ejuſmodi. *Joanni Auſtriaco fratri id munus ea lege deferendum, ut maritimis non modo, verum etiam terreſtribus copiis præeſſet. Pio, ac Venetis terra imperatorem depoſcentibus, in Philibertum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, quem iis quoque gratum fore intelligeret, conſenſurum: qui, ſi aliquid maritimis viribus aggrederetur, tunc claſſium imperatori obtemperaret: ſi expeditio a fœderatorum aliquo ſuſciperetur, is imperatorem diceret. Auſtriaco abſente, qui illius vices obiret, Regis nomine Pius crearet, ne pontificio præfecto ſummum imperium delatum videretur.* Hæc cum ex Philippi legatis Pius cognoviſſet, Surianum, ac Superantium adcerſit; ut fœderi ſubſcribant, hortatur; qui, niſi novæ difficultates ſeſe objiciant, in fœderis conditiones conſenſuros pollicentur. Verum repente atque inopinato pene negotium pervertitur. Nam cum de certis in menſem martium ſingulis annis comparandis copiis caput recitaretur, Granvelanus ait, *perfici illud hoc anno non poſſe: id ſatis eſſe, ſi copiæ in tuendis tantum fœderatorum ditionibus conferantur: fœdere nondum percuſſo, quæ ad ſe ſpectarent, Regem perficere nequiviſſe; in poſterum, quidquid deberet, exacte expleturum; in præſens, ut triremes octoginta in majum menſem, vel medium junium in promptu ſint, curaturum: Si tot triremes inſtruere Veneti velint, quæ una cum iis, quæ fœderati conferrent, ducentarum ac quinquaginta numerum conficiant, aliis in rebus ex æqua portione ſatisfacturum: e ditionibus, quæ in Italia poſſidet, voluntarios milites, ac remiges daturum.* Legati inexpectata Granvelani ſente n-

Fœdus novis difficultatibus a Granvelano involutum.

tentia audita, qua eorum, quæ decreta fuerant, ratio omnis 1571
pervertebatur, haud parum commoti, ſe unquam in id conſenſuros negant; tempus, quo hæc Senatui ſignificent, petunt. Patres, qui jam percutiendi fœderis Senatuſconſultum fecerant, admiratione defixi, ſummaque conſiliorum perplexitate jactati, in varias partes ſcinduntur: *recentes ne Hiſpanorum conditiones amplexentur, an in concordiam cum hoſte ineundam incumbant: quid enim appetente vere, nondum fœdere icto, nondum Philippi auxiliis expeditis, ſperandum foret? dum omnis de præclaro aliquo facinore patrando ſpes inani cunctatione, atque aſſuetis Hiſpanorum artibus dilaberetur? hoſtes contra, prævalida inſtructa claſſe, ingentibus copiis in Cyprum, atque Illyricum impetum eſſent facturi?* Itaque cum in anciptiti deliberatione Senatus hæreret, in dies rem trahendo, nullum legatorum literis reſponſum afferebatur. Pontifex, qui legatos a ſocietate nova lege ineunda abhorrere, ad Senatum ſcribendi tempus petiiſſe, Jacobumque Ragazzonium Byzantium miſſum cognoverat, multa ſecum animo volvere; vehementer ſuſpicari, ne Veneti, negotio ſocietatis abjecto, cuncta conſilia ad pacem ineundam conferrent: inde magnis ſolicitudinibus angi; ingenti dolore premi, ut pote qui, ſedatis tunc cum Cæſare diſſidiis, priſtino vigore ſuſcepto, majori nixu in fœdus intenderet, neque tam præclaram in communem reipublicæ chriſtianæ hoſtem arma converteret, ſe pontificatum adminiſtrante, occaſionem oblatam corrumpi vellet. Quapropter per Nuntium Senatus mentem ſibi quamprimum ſignificari poſtulat; hortatur: *ne amplius cunctando commune hoc bonum impediant; iis quæ hoc anno confici poſſint, contenti ſint; ſequenti quidquid fœderis conditionibus caveretur, cumulate confectum iri: non modo emiſſa ex hoſtium manibus eripi, ſed, impetu in eorum fines facto, in remotas uſque regiones ſacri fœderis vexilla provehi poſſe. Ingenti hac ſpe Patres, cum hoſte pace ſancita, profuſus fore ut excidant, & qui ſemel infidos Turcas experti fuerant, in tutæ, atque incertæ pacis nomine, in perpetua trepidatione ac metu, immanibus addictos ſumptibus victuros.* Et jam martius menſis elabebatur, cum undique præſentem rerum ſtatum intuiti Patres, inter ambiguos vel fœderis, vel pacis exitus ni-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 nihil certi decernere e republica esse censerent; sæpius gravissimis in rebus, summis difficultatibus, quæ non satis provideri humana prudentia, ac sapientia possent, ea cunctatione explicari, atque expediri cunctando; vel Hispanos de eorum pertinacia nonnihil remissuros, fœdusque majori cum Reipublicæ utilitate, ac dignitate amplexuros; vel, si obfirmata mente sint, Senatum pacem cum potentissimo hoste ad exitum felici eventu perducturum, e summisque periculis maritimum imperium erepturum.

Marcus Antonius Columna Venetias a Pontifice mittitur.

Ea injecta mora, cum in Pontificis, atque Hispanorum animis suspiciones augerentur, Marcum Antonium Columnam Venetias Pius mittere statuit, qui prudentia, ingenii dexteritate, & gratia, qua plurimum apud Venetos pollebat, Senatum flecteret, atque ad fœdus, pacis negotio abjecto, percutiendum impelleret. Igitur tertio idus aprilis Columna Venetias accessit, quo tempore in religionem ac vota effusa civitate, humani generis Servatoris passionis, mortisque divina mysteria summa pietate concelebrantur. Attamen, quod res vehementer urgeret, statim aditum ad Principem, Patresque petiit; pontificiisque literis exhibitis, quibus, ut, quæ a Columna dicerentur, uti ex suo ore deprompta Senatus exciperet, petebatur; gravi, atque accurato sermone ad fœdus amplectendum est cohortatus. *Nihil jucundius unquam sibi accidisse*, inquit, *quam, ut ea de re pertractanda a Pio Pontifice Maximo ad Rempublicam mitteretur, qua nulla vel hoc ævo, rerumque statu præstantior, atque utilior, vel in omni futurorum sæculorum memoria præclarior, atque illustrior excogitari posset; de ea, inquam, re, quæ cum toties summis expetita votis, nusquam pares exitus habuerit, nunc jam e nostro nutu pendeat, atque prope manu teneatur; fœdere nempe in Turcas communes hostes percutiendo, quo non modo barbarorum tela a reipublicæ christianæ corpore repelli; perpetuusque metus, quo pleræque Christianorum ditiones Ottomanorum imperio finitimæ afficiuntur, abjici; sed etiam tot illatæ injuriæ, tot acceptæ clades vindicari; provinciæ, ac regna nostrorum potius dissidiis amissa, quam eorum virtute parta, recuperari queant. Quid enim a Summo, atque vigilantissimo Pastore expectari unquam potuerit, quod non in Pio Pontifice Ma-*

M. Antonii Columnæ ad Venetos oratio.

expe-

ximo cumulatim inveniatur? Cujus pietas, religio, vehemens in rempublicam christianam studium adeo nota sint, ut obscurari potius dicendo, quam exprimi valeant. An non eadem Philippum Hispaniarum Regem voluntate & animo esse, quem & anni superioris auxiliis præclare testatus sit, & nunc militum in suis ditionibus delectu habendo, classes parando, commeatus, apparatusque bellicos expediendo significet. Nihil ad eximium hoc opus perficiendum superesse, nisi, ut Respublica, cujus potissimum res hoc tempore agatur, in fœdus descenderet, neque levibus ex causis tantum bonum perturbaret: id si, quod faustum felixque foret, efficeret, non ambigere, reliquos quoque, qui in christiano orbe Principes sceptra tenent, in sacram societatem nomina daturos, neque in tantarum rerum partem non ultro venturos: Pontificis apud Cæsarem Nuntii literas habere, quibus percusso statim fœderi se Maximilianum adjuncturum testabatur: id si accidat, terra, marique in hostem invadendum, in illius cum maritimas, tum terrestres ditiones eodem tempore inferri arma posse: non impigros, atque audentes duces; non strenuos ad pugnam milites; non navigia, ac triremes ad conflandas classes; non arma, non tela, non tormenta, non annonam, ac si quid aliud ad bellum gerendum excogitari potest, defutura. Verum si præterlabi ea occasio sineretur, quid vel ad audaces hostium spiritus inflammandos acrius, vel ad res nostras perpetuo timore, ac calamitatibus involvendas funestius accidere posse? Quando enim tempus affore, quo Venetis illata a teterrimo hoste damna, & clades sarcirentur? Non ignorare (inquit) [illegible], quæ adversa superiore anno contigerint, inde potissimum profecta, quod, ex diuturna atque alta pace repente sæva, atque atroci bello exorto, nullis periculis ac laboribus subacta, assiduisque certaminibus durata virtus, & fortitudo se se protinus in orbis conspectum dare non potuerit: in posterum eo ordine, ac præscripto militari omnia digesta in melius [illegible]. Quæ, Auria impediente, perfici nequiverint, ea modo Philippi prudentia correcta esse; penes illum nil auctoritatis, nisi quantum ei a Pontifice permitteretur, futurum; cumque duobus suffragiis decerni cuncta [illegible] nunquam a Veneti imperato-

1571

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *ratoris ſententia pontificium diſceſsurum. Cur igitur ancipiti conſiliorum cura amplius torquerentur? cur ex animo præclaram ſibi obtundendi hoſtis oblatam opportunitatem non amplecterentur? An de Pii Summi Pontificis, ac de Philippi Regis voluntate ambigerent, quos ſummo ſocietatis ineundæ deſiderio flagrare certis argumentis inſpexiſsent? An quod variæ in graviſſima re pertractanda difficultates obortæ ſint? At hæc magnis in negotiis plerumque evenire, mediocri rerum uſu præditum ignorare neminem. At hoc anno non omnes, uti fœderis lege caveretur, a Rege triremes præſtari poſse. Quis de potentiſſimi Regis viribus ambigat? Octoginta, nondum majo menſe exacto, apprime inſtructas fore; reliquæ ut in Neapolitano regno, ac Sicilia armentur, curari. Sabaudas, Hetruſcas, Melitenſes adfuturas. Sed pacis injecta ſpes animos allicit; belli ingentes ſubeundi labores, immanes ſumptus deterrent? Quod unquam ſatis firmum cum eo hoſte jus concordiæ futurum, qui cuncta dominandi libidine, atque inexplebili regnandi ſiti metitur, qui inexpiabili odio in chriſtianam religionem exardeſcens, nihil non ad illius exitium molitur; tantumque ab iis, quæ dudum mente agitat, abſtineret, quantum illi vel a fortuna, vel a temporum conditionibus denegatur?*

His, atque aliis in hanc ſententiam ſumma dicendi vi a Columna enuntiatis, Patrum adeo commotæ mentes ſunt, ut plerique ad fœdus ſtatim ineundum inclinarent. Mocenicus Princeps brevibus Columnæ reſpondit: *Fœdus a Republica ſemper expetitum; ex eo ad neminem plus commodi, quam ad Venetos pervenire poſse, ſi inſolentiſſimi hoſtis faſtus, ac potentia deprimeretur: at ejuſmodi ſocietatem, qua Turcarum vires confringantur, non qua ictus tantum excipiantur, ſenſimque vires abſumendo nullo operæ pretio ſummis periculis Reſpublica objiciatur, optandam eſse: diuturna pace militaris diſciplinæ, maritimæque præſertim nervos minime labefactatos; generoſo auſu bello ſuſcepto, in id ſedulo incubuiſse; claſſis imperatorem ad manus cum hoſte conſerendas incitaſse; nullo unquam tempore certamen cum hoſte cives detrectaturos. Ceterum de more Senatus conſulto, quid in præſenti re decreverit, ipſum cogniturum.* Adhuc in iiſdem Patres curis, atque

atque ſolicitudinibus verſabantur; neque ob diſſidentia ſtudia, variis licet dictis ex ſuggeſtu ſententiis, quidquam decernebatur; cum interea Columna reſponſum acrius urgeret, atque majori vi ad fœdus amplectendum compellere Patres eniteretur. Nono igitur kal. majas iterum coacto Senatu, ejuſmodi decreto reſpondetur, quo Reipublicæ in ſuſcipiendo bello virtus, ac conſtantia, oblatæ ſæpius paciſcendi cum hoſte conditiones abjectæ, propenſum in fœdus ſtudium memorabantur; cur iis, quæ ab Hiſpanis proponerentur, non adſentiretur, cauſæ continebantur. Quæ Pontifex pollicitus fuerat, tantummodo petebantur, ut ſcilicet Hydrunti medio majo octoginta regiæ triremes in promptu, atque expeditæ forent; copiæ, navigia, ac reliqua ad bellum neceſſaria curarentur; in viginti, ad ducentas explendas, triremibus inſtruendis ſedulo ſtudium collocaretur; quidquid a Republica, præter eam, qua tenebatur, pecuniæ penſionem, perſolveretur, tantumdem ei in Italiæ civitate aliqua reponeretur; præter undecim triremes, quæ Pontifex auxilia Reipublicæ præſtaturus eſſet, exprimeret, ut quibus viribus bellum adeo ingens adminiſtrare poſſet, certo intelligeret. 1571

Senatus Reſponſum.

Senatus conſulto Columnæ, ut moris eſt, perlecto, ad ſingula capita reſpondet: ut octoginta triremes medio menſe majo inſtructæ eſſent, ob injectam fœderis ſubſcribendi moram fieri non poſſe; labente majo, omnes in promptu fore; neque ob id ulla in re defuiſſe Philippum ſibi videri, cui fœderis lege caveretur, ut quidquid a ſociorum aliquo exhiberi non poſſet, ab aliis, perſoluta pecunia, efficeretur. Granvelanum, Neapolitani regni Proregem deſignatum, ut quamprimum viginti triremes armarentur, enixurum; de navibus nihil certi affirmaſſe, uti de copiis, quæ jam coactæ erant, pollicitus fuerat: quod tandem de pecunia reponenda peteretur, id regiæ dignitatis non eſſe arbitrari, cum præſertim magna frumenti copia ex illius ditionibus conflata penes Rempublicam ſit. Demum ſe Pontificem ad ea ſubſidia, quæ maxima ab eo proficiſci poſſent, Reipublicæ exhibenda cohortaturum; dum æqua poſtularentur, quin cuncta impetrarent, nihil ſe vereri. De his omnibus ſtatim Pium, atque regios certiores facturum. Ad ea ſubinde ejuſmodi a Pontifice

Marci Antonii Columnæ novæ de fœdere feriendo reſponſum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 ce reſponſum tulit; Senatui ſignificaret, quæcumque polliciti fuerant, modo ne de pecunia reponenda agatur, Hiſpanos perſancte ſervaturos affirmare; quod indignum id tanto Rege dicerent, ac multis nominibus, ſi quid Reipublicæ deberetur, frumento, & commeatibus fieri ſatis poſſe. His a Columna in Patrum Collegio expoſitis, multa ad fœdus ſtatim percutiendum, vehementi dicendi, ac ſuadendi vi adduntur.

Tempus ad deliberandum petitur. Aſſiduis conſultationibus modo in has, modo in illas partes res agitatur; cum interim Philippi legatus Patres incendit, urget, pollicetur; ab Rege mandata ſe habere inquit, Senatui ut ſignificet; certa ſpe fœderis innixum, nihil eorum, quæ in uſus belli neceſſaria ſint, prætermiſiſſe; triremes octoginta atque amplius, naves viginti habere; multas copias comparaſſe; Joannem Auſtriacum in promptu eſſe, ut, conſcenſa claſſe, in orientem devehatur. Nec dubium, quin conjunctis viribus, multa, atque egregia ad totius chriſtianæ reipublicæ, ac præſertim Venetæ commodum, atque incrementum tentari, & confici poſſint. Re a præconſultoribus ad Senatum delata, variis ſententiis diſceptatum; cum alii, nulla interpoſita mora, fœderi ſubſcribendum; alii adhuc cunctandum, atque de concordia cum hoſte ineunda agendum eſſe arbitrarentur. Inter eos, qui fœdus ſuadebant, præcipuus Paulus Theupolus, ſpectatæ prudentiæ, diuque in Republica adminiſtranda verſatus, eminebat; quem in hanc ferme ſententiam locutum fuiſſe conſtat.

Pauli Theupoli Oratio.

Errare ac decipi illos vehementer exiſtimo, qui inanis prudentiæ nomine ſubnixi, in ancipiti maximarum ac difficillimarum rerum deliberatione ſemper hærent; atque ea, quæ ab humano ingenio petenda auxilia forent, ex tempore, & cunctatione ducenda opinantur; quæque regere ac moderari ratione potuiſſent, caſui & cuncta agitanti fortunæ temere permittunt. Ii tum demum ſe deceptos eſſe intelligunt, cum undique terribili periculorum facie circumſepti, quo ſe vertant, quid parent, quo confugiant, prorſus ignorant. Id ne nobis, Ampliſſimi Patres, contingat, præſentium rerum ſtatum intuens ſummopere vereor, dum perplexa conſiliorum ratione diſtenti, oblatum a Pio Summo Pontifice atque Philippo Hiſpania-

niarum Rege fœdus non amplectimur; inutili pacis cum hoſte conficiendæ ſpe detinemur; atque interea non ſatis viribus ad bellum gerendum inſtructi nos ipſi ſumus; & aliorum Principum auxilia hebeſcere patimur, dum hoſtium terreſtres, maritimæque vires in immenſum fere augentur, ditionibuſque noſtris grave atque exitiale bellum interminantur. Utinam vero, cum primum de ſocietate ineunda agi cœptum eſt, expeditioribus conſiliis in illam incubuiſſemus. Nunquam huc deventum eſſet, ut veluti fluctibus jactati, ſatis tuto loco conſiſtere nequiremus. Viribus enim non modo, ſed fama quoque ipſa icti fœderis hoſtes perculſi, animi quoque noſtris adjecti forent; neque eas perpeſſi clades fuiſſemus, quarum reminiſci non abſque ingenti dolore, ac lachrymis poſſumus. Nunc vero eo loco res ſunt, ut niſi quamprimum ſubſcribendi fœderis legatis mandata demus, omnia in pejus caſura ſint. Quis enim ignorat, a nobis cum potentiſſimo, atque acerrimo hoſte bellum geri, cujus ad impetum excipiendum impares admodum ſimus; atque ut copiæ, navigia, pecuniæ modo nobis ſuppetant, non ejuſmodi tamen ſunt, ut Selymo, cui tot regna, ac provinciæ parent, quæ militibus, commeatu, maritimo terreſtrique apparatu abundant, niſi chriſtianorum Principum ſubſidiis freti, diutius reſiſtere poſſimus? Eſt ille ſane, qui ſi ſingulos adoriatur, difficulter vinci, ac ſuperari queat; verum ſociatis armis, certa ſpes victoriæ manet. Quid enim magis verentur hoſtes, quam ne chriſtianorum Principum dextræ in fœdera coeant; utpote qui ex eorum diſſidiis propagandi imperii fines opportunitatem adepti, diſſentientes oppreſſere, atque dominatu exutos in extremas ærumnas, & calamitates conjecere? Hac arte olim Byzantium, orientalis imperii caput, diſcordiis atque contentionibus Principum diſciſſum, in ſuam poteſtatem redegere: hac Græciam ſubegere; Rempublicam, cujus ditiones late in orientem protenduntur, cunctantibus atque indormientibus chriſtianis populis, magnis clades affecere. Quid enim Eubœam, quid Scodram, Epiri validiſſimam arcem, atque alia nobis erepta commemorem? Sed nonnullos objecta quædam ſpes pacis a ſubſcribendi fœdere abſtrahit, atque ex Ragazzonii Byzantium profectione, ex Mehemetis ſermonibus concordiam inire aliqua ratio-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *ne cum hoſte poſſe ſibi perſuadent ; quos primum vereor , ne nimia pacis cupido decipiat , cum e contra Turcarum potius dolos atque aſtus penſitare , ac meminiſſe oporteret , neque inani hac ſuaſione quidquam de priſtino animi vigore ac robore remittere . Quis enim facile ſibi perſuadere poſſit , Turcarum faſtum , ambitionem , præferoces ac tumentes ſpiritus ita ſeſe demittere potuiſſe , ut , Leucoſia capta , Cypro pene omni ſubacta , a vobis pacem peterent ? Non hic mos efferæ , armiſque innutritæ gentis , quæ acrior in victos inſurgit , atque vehementius & crudelius in eos debacchatur . Id agunt Turcæ , id moliuntur , ut concordiæ ſpe allectos & delinitos vos , languidiores ad munia belli obeunda efficiant , fervidumque in animis veſtris impetum reſtinguant . An non ii vos eſtis , qui egregio mentis impulſu bellum cum Selymo ſuſcepiſtis ? qui , ſpreta legatione , Cubatem dimiſiſtis ? qui ejuſmodi & numero , & robore claſſem eduxiſtis , qua neque inſtructior , neque potentior patrum , aut avorum noſtrorum tempeſtate viſa ſit ? An non ii demum eſtis , qui ingenti cum nominis veſtri gloria in totius fere chriſtiani orbis conſpectu irreconciliabile odium , æternas inimicitias cum hoſte pepigiſtis ? Quænam ab ea ſententia , quam ſemel ſuſceptam conſtanter retinuiſtis , deflectere vos cogunt ? Sumptus ne , pericula , labores ? An non vobis animo hæc ſubjiciebantur , cum bellum decreviſtis ? Attamen tanti non fuere , ut non infidæ , ac turpi paci periculoſum bellum anteferretis ; ſatiuſque , quid voſtra virtus , quid vires poſſent , experiri , quam ſuperbis Selymi poſtulatis annuere ſtatueretis . Immutata ne forſan temporum conditio ? placatus hoſtis ? Qui hæc ſperat , ſemetipſum inani ſpe deludit , neque Turcarum morem , atque ingenium novit , neque præſentium rerum ſtatum ſatis intelligit . Exigua igitur , ac prope nulla Ragazzonii negotiorum ſpe , quæ omnis ex hoſte pendet , Rempublicam , ſpretis ſociorum auxiliis , abjecto fœdere , ſævientium hoſtium telis objiciemus ? Minime id quidem , ut ego arbitror , ſi maximarum rerum momenta , rationis trutina expendere voluerimus . Hinc enim Reipublicæ vires tum terreſtres , tum maritimæ ; populorum ardor , & in Turcas perpetuum odium ; fœderatorum Principum auxilia ; concepta haud immerito de hoſte debellando ſpes : inde tenuis tantum concordiæ*

diæ imago ſeſe offert . At cujus concordiæ ? ejus nempe , quæ 1571
ſpecioſo nomine , belli aſſidua pericula , immaneſque ſumptus obtegit . Niſi forte orientis oppida , atque arces præſidiis nudare , triremes e claſſe ſubducere , inerme penitus latus hoſtibus objicere velimus ; iis inquam hoſtibus , qui nunquam fidem alicui præſtitere , qui per ludum religionem , ac jusjurandum fallunt ; cujus rei , ut præterita ſilentio premam , luculentos ac infauſtos teſtes hac tempeſtate habemus , cum , vix pace a Selymo ſubſignata , pudoris repagulis effractis , jure gentium obtrito , nulla cauſa nobis bellum indictum ſit : cum dominandi tantum cupido , inexplebilis auri fames dextram illius obarmaverit . Vel igitur hiatum illum ac gurgitem expleri poſſe fateantur , qui ſecus ſentiunt , neceſſe eſt ; vel ſi id fieri nequit , dicant quæſo , cur , qui fidem ſemel fregerit , non eamdem , qua ſe occaſio dederit , pro libidine violaturum putent ? Id vero ſi acciderit , quos laborum , ac periculorum ſocios nobis fore pollicemur ? Ad ea ne ſubſidia confugiemus , quæ paulo ante reſpuimus ? Eorum ne opem implorabimus , quos toties eluſimus ? quorum oblatam ſocietatem ſprevimus ? Quid igitur erit reliquum , niſi ut ex immaniſſimi hoſtis voluntate ac nutu leges expectemus ? At abſterrent ea vehementer , quæ improſpera ſuperiori anno nobis accidere ; abſumptus tabifica lue ingens ſociorum navalium , ac militum numerus ; ſera Hiſpanorum auxilia ; Leucoſiæ expugnatio ; inanis uſque in Ciliciam ſociarum claſſium profectio ; ſævæ maris tempeſtates , quibus disjecta navigia , depreſſæ vel ſaxis illiſæ triremes ; quæque alia adverſa contigere . Quaſi vero cum in omni re , tum in bellis præſertim fortuna non dominetur . An vero cum potentiſſimo hoſte certamen ſubeuntes , cuncta ad vota , feliciterque vobis eventura rebamini ? Multa profecto (quod diffiteri non poſſumus) detrimenta accepimus ; ſed pleraque cæli injuriis , maris tempeſtatibus illata ſunt . Quo enim prudentiæ humanæ ope graſſanti peſtilentiæ obſiſti , qua vi frena mari , ac ventis injici poterant ? Leucoſiam amiſimus ; ſed ut multa ea in re nobis adverſa acciderint , militum certe , ac civium virtus defenderari non potuit ; quorum plerique pro patria ad extremum uſque ſpiritum propugnare ; in mœnibus , ac propugnaculis occumbere ; medio foro cædi ,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *quam se dedere hosti, voluere. Idem ardor, eadem voluntas in Tamassi propugnatoribus viget; quibus si, uti oportet, subsidia immiserimus, non modo se adversus hostes tueri, sed quidquid amissum Cypri est, recuperare poterunt. Demum tardiora ab Hispanis subsidia adventasse minime inficias iverim. At quæ tunc ex Regis propenso in Rempublicam animo tantum effluxere; modo ex vinculo fœderis, ex jurejurando, cujus vis sanctissima esse solet, nobis expectanda erunt: neque ex Auriæ voluntate maximarum rerum deliberationes, ac momenta pendebunt, sed ex classis ducibus; Joanne Austriaco, regio juvene fortissimo, atque ad gloriam orto; Marco Antonio Columna, cujus in Rempublicam studium, ac fidem experti fuimus; atque ex Sebastiano Venerio, nuper a vobis imperatore creato, cujus vividam virtutem, atque ad magna quæque peragenda ingenium optime nostis. Commemoremne ea, quæ ex Philippi legato audivimus: militum undique in suis ditionibus delectum habitum; octoginta triremes, ac naves viginti paratas esse; Joannem Austriacum iter in orientem moliri? Amplectimini, per Deum immortalem, præclaram vobis oblatam occasionem, qua & sarcire præterita damna potestis, & majoribus nostris ab Ottomanis Regibus ereptas urbes, atque oppida recipere, ac summa cum gloria christianos populos, qui ad vos manus attollunt, opem vestram, atque auxilium implorant, a miserrimæ servitutis vinculo eripere, christianamque religionem ab iis per summum scelus convulsam, ac fere extinctam, iis in regionibus restituere, quæ quondam sanctissimis Christi institutis, ac legibus floruere. Ne corrumpi quæso sinite tot egregias spes, tam vehemens christianorum Principum studium, tam enixam in cunctis populis voluntatem; neve dubiam, fluxam, insidiosam pacis umbram atque imaginem sanctissimo huic fœderi antevertite, ad quod Pius, vir plane sanctitate, ac pietate insignis, Philippus Catholicus Rex invitant, atque hortantur; Deus quoque Optimus Maximus tacito quodam instinctu vocat, incitat, ac fere trahit.*

Cum Theupolus peroraſſet, Andreas Baduarius, maturæ prudentiæ atque eloquentiæ laude præſtans, hùnc in modum fere reſpondit. *Eos, qui difficillimis in rebus versantur, ac velu-*

1571 Andreæ Baduarii oratio.

veluti in specula regendis populis sunt præfecti, non tam vires, ac fortitudo, quam optimis præceptis firmata prudentia sæpe e summis periculis eripuit. Ingentes copiæ, bellici apparatus, in immensum auctæ vires, trophæa ex hostibus reportata, victoria denique ipsa quandoque exitio regibus, ac rebuspublicis fuere. Spectatæ prudentiæ vis, arctis quoque angustisque in rebus satis tutum præsidium extitit; cœtus hominum instituit, auxit; hostium insidias, æstus elusit; pace florentem civitatem summa tranquillitate, civiumque concordia extulit; optimis, rectisque consiliis corroboravit. Hac innixi majores nostri, ex parvis initiis tantam Rempublicam peperere, ac per tot sæculorum seriem illibatam cum imperio servavere; neque certis ambigua, tutis nutantia consilia antetulere; aut inanis fortitudinis laudem aucupantes, sese periculis objecere. Immo sæpius cunctando, temporibus obsequendo, Rempublicam ab ingentibus fluctibus, ac tempestatibus eripuere. Quæ sane omnia, secundum Deum Optimum Maximum majorum nostrorum virtuti, ac prudentiæ tribuenda sunt; quæ quidem si magnis in rebus administrandis adhibeatur, ea conficere solet, quæ ingentibus conatibus, summisque laboribus, ac vigiliis nonnunquam impervia sunt. Ejus vero id in primis proprium ac peculiare est, non ita semel susceptæ sententiæ se addicere, ut ei, veluti ad scopulum, adhæreſcat; ex rerum, ac temporum conditione flecti, immutari, detorqueri, non hominum voces ac plausus captare, unicam sibi, veluti metam, publicam salutem, civiumque incolumitatem proponere. Hæc a me altius fortasse dici videri possint, nisi nonnullorum hæsitationi ac pudori obviam eundum esset, qui, semel cum Selymo bello suscepto, ingentibus terra, marique comparatis copiis, fœderis negotio diu cum Principibus agitato, in eorum, ac turpe existimant, immutata sententia, de concordia cum hoste ineunda agere. Verum non hi præconsultores in consilium vocandi, in quo publica salus, maritimum imperium, Respublica ipsa in discrimen vocantur. Quinimmo quid præsenti rerum statu conducibilius nobis sit, libere, meo ac patrono abjecto, est enuntiandum. Fuerit sane cautis, ac magnanimitatis vestræ proprium, potentissimi hostis minas non pertimuisse, bellum constanter suscepisse, cum expedita vobis so-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *ciorum auxilia polliceremini, atque in fœdere, quod ſtatim percutiendum arbitramini, belli præſidia ſtatueretis. At nunc, cum pene omnis rerum facies immutata ſit; cum nulla certa ſubſidiorum ſpe muniti, hoſtium viribus undique circumſepti ſimus; quiſnam ea conſilia improbare jure poterit, quibus de pace cum hoſte tranſigamus, cum præſertim ad eam non ſupplices confugiamus, ſed ultro a potentiſſimo Rege alliciamur, atque invitemur? Quis enim Mehemetem impulit, ut de ea cum Barbaro legato ſermonem inſtitueret? Quis, ut ſuos ad Rempublicam homines Byzantio mitti poſtularet, commoda pacis efferret? Non ne is ille eſt, qui ſemper a bello cum Republica ſuſcipiendo abhorruit? Qui ab eo Selymum ſæpius eſt dehortatus? Qui Cubatem, ut tempus extrahendo, aliqua concordiæ ratio iniretur, Venetias miſit? Qui perpetuus Muſtaphæ æmulus, illius gloriæ incrementa peroſus, ne principem locum auctoritatis & gratiæ apud Selymum ſibi præripiat, maxime veretur. Is nunc quoque pacis cupidus nihil prætermittit, quo incendium hoc, ſe invito, excitatum extinguatur. Hæc vos, ut Jacobum Ragazzonium Byzantium negotiatorum obtentu cum mandatis ad pacem pertractandam mitteretis, impulere: qui cum ſtatim magnis itineribus eodem contenderit, haud multos poſt dies, de iis, quæ egerit, quæque confecerit, vos faciet certiores. Et erunt, qui, cum ita ſe res habeant, ſtatim fœderi ſubſcribendum putent? paciſque conſilia mature, ac prudenter incepta abrumpere, atque penitus excindere velint? neque in quot tempeſtatum fluctus Rempublicam demittant, animadvertant? Nam quo magis Turcarum vires dicendo efferuntur, eo magis vos admonere videntur, ne ſponte, & immature laceſſere hoſtem velitis, ne ingenti belli mole ac periculis obruamini. Non enim tantum in iis, quæ nobis in Cypro ſuperfuere, tuendis inſudandum eſt, ſed aliis quoque in regionibus præferocis gentis impetus ſunt excipiendi; cum in finibus Epiri atque Illyrici copias habeant, Iſtria & Carni in ſumma trepidatione ſint; Ionii atque Aegæi maris inſulæ, Creta ipſa a periculo non longe abſint. Imminentes haſce tempeſtates ac turbines ſi non iniquis conditionibus cum Selymo pace ſancita avertere poſſumus, cur non id conſilii amplectendum arbitramur? At, inquiunt,*

quiunt, de fœdere diu Romæ actum; e Reipublicæ dignitate, 1571
& utilitate non eſſe, magna ſpe rerum præclare gerendarum abjecta, cogitationes ad pacem traducere, ſeque acerrimi hoſtis fidei permittere. Verum ſi penitus inſpiciant, plauſibili hac fœderis ſpecie dempta, nil certi vel ad commune bonum, vel ad res noſtras ſublevandas, & amplificandas promanare poſſe perfacile intelligent. Etenim ſi in regiis ea mens erat, ut ſociatis viribus Turcæ invaderetur, cur, vobis petentibus ac flagitantibus, initio pronuntiari fœdus noluere? cur in annum fere variis difficultatibus negotium diſtulere? cur a vobis auxilia ad Africæ oras invadendas petiere? Jam tum optime noſci poterat, publicas ab iis rationes ad privata commoda attrahi; fœdus non ad noſtrarum ditionum incolumitatem incrementumque, ſed ad ſuorum regnorum ac provinciarum ſecuritatem concupiviſſe; ut imperii veſtri ditionibus, veluti aggere, muniti, ab hoſtium incurſibus, ab immani ſumptuum mole, claſſium ſociarum viribus levarentur: vos ſpecioſo, ſed inani fœderis nomine omnem belli molem exciperetis. Vobis igitur claſſes numero, & viribus prævalidæ parandæ erunt; milites, ac commeatus in remotas inſulas, atque urbes ſubmittendi; auri immenſa vis effundenda; penes vos univerſum belli pondus, labores, vigiliæ, certiora pericula erunt: dum interea Philippus, maritimis ſuis pacatis oris, opimis decumis, atque eccleſiaſticis vectigalibus a Pontifice donatus atque auctus, iiſdem tantum triremibus, quas in pace alere ſolet, nutantibus rebus veſtris opem ferat? Sed inquiunt, ante maji menſis exitum octoginta triremes, naves viginti expeditas fore. Huic rei non ego is ſum, qui facile aſſentiar, cum ſuperioris anni eventus mecum ipſe reputo, cum quinquaginta triremes Pii ſuaſionibus a Philippo vobis oblatas, quæ primo vere noſtris ſeſe adjungere debuerant, in autumnum fere ſeneſcentem dilatas fuiſſe animadvertam. Quæ res quanto vobis conſtiterit; teſtentur imperii Cretici ſucceſſus; teſtetur Leucoſia capta; teſtentur denique cuncta, quæ infelici exitu contigere. Ex ea enim auxiliorum infixa in cunctorum animis ſpe, Zannio Hiſpanicas triremes expectante, nihil actum, nihil tentatum; iis ſero in Cretam allatis, ſero, contra nitente Joanne Andrea Auria, in Ciliciam itum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *est; cum jam Mustaphas, Leucosia occupata, in cives ac populos crudeliter ac barbare debaccharetur. Si quis vero insitæ genti tarditati obviam iri posse arbitratur, vehementer errat: qui sibi expeditiora, quam superiori anno, auxilia spondet, decipitur. Sed quid ego plura commemorem? cuinam ex iis, qui hic adsunt, hujus sæculi anni M. D. XXXVII. successus mente excidere, quando, cum Carolo Cæsare, Philippi patre, in Suleymanum consociatis armis, totius fere belli onus sustinere cogeremini; neque ex fœderis tunc icti legibus, vel triremes vobis tribuerentur, vel commeatus permitterentur; cum ad Nicopolim collatis signis, ingentis victoriæ fructum vobis Andreas Auria inviderit, atque abstulerit? Qua ex re tantum Christianorum Principum maritimæ disciplinæ, ac viribus notæ inustum fuit, quantum Turcis existimationis, ac laudis accessit. Quid Neocastrum, in Rhizonico sinu munitum oppidum, quod vobis ex societate debebatur? nonne occupatum, atque Hispanorum militum præsidio firmatum est? ut tandem triennali bello fessi, ad rei frumentariæ inopiam civitate, ac cunctis fere imperii vestri oppidis redactis, pacem iniquis conditionibus cum Suleymano inire coacti fueritis? Utinam vero hac tempestate eadem, ac fortasse graviora non immineant, si, spreta pace, totos nos in fœdus dederimus. Est nimirum pro religione, pro patria, pro imperio bellum suscipiendum: quis neget? Neminem ego ita vel amantem sui, vel ignavum esse existimo, qui pro iis tuendis, quæcumque obire pericula, telis hostium se objectare, mortem quoque ipsam alacriter oppetere pro religione, ac patria pulchrum non existimet. Contra vero, quis, modo cum dignitate obtineri possit, non maxime pacem exoptet, cum ea potissimum gente, cum qua infausto sæpe marte decertavimus? Non erit certe in omni posterorum memoria, qui cum Venetorum gesta perlegerit, per quinquaginta continenter annos pugnatum cum acerrimo hoste non intelligat; mox alternante pace, cum ad arma rursus deventum esset, vel audaciam, vel egregium animi impetum vobis defuisse affirmet. At si impares, ut cum tanto hoste confligere possit, vires Reipublicæ sint, quis jure reprehendat, quod ad concordiam inclinaverit, eamque honestis conditionibus adepta fuerit? Ac sane ni-*

mium

mium solertes, atque anxii futurarum rerum inspectores ii 1571
mihi videntur, qui Turcarum pollicita, fidemque detestantur; qui ab infida, atque insidiosa, ut ajunt, pace abhorrent; eosdem sumptus, easdem classes, copiasque, quæ bello necessaria sint, tempora quoque pacis exposcere dictitent. Bella cum Ottomanis Regibus hoc sæculo tria a Republica gesta sunt. Horum primum cum Bajazete, Selymi primi patre, per tres ferme annos fuit. Pace cum eo icta, Selymus successit, quem Persicæ, atque Aegyptiæ res ab Europa avertere, nullumque cum eo bellum intercessit. Suleymanus anno M. D. XXI. regnum adeptus, supra sexdecim annos pacem cum Republica coluit; necnon post triginta atque amplius annos, cum eodem ad arma ventum est. Triennio prope dimicatum. Mox, rursus redintegrata concordia, viginti atque octo annos quievimus. Cur non idem modo nobis sperandum est, cum Selymus, qui hoc tempore rerum potitur, neque virtute, neque bellica fortitudine, neque regio ad gloriam impetu sit cum superioribus conferendus? Ita profecto sese res mortalium habent, ut reciprocantibus veluti fluctibus consident modo, modo intumescant, pacis tranquillitatem bella, belli duros labores pacis jucunditas mutuo excipiat. Cur igitur Divino munere facem quamdam pacis tenebrosis istis temporibus nobis prælucentem extinguere volumus? potiusque ingentibus Rempublicam periculis exponere, difficillimo bello, cujus ambiguus exitus futurus sit, implicari, quam consilio, prudentia, nonnulla cunctatione, quemnam exitum Jacobi Ragazzonii negotium habiturum sit, expectare? Sed sunt tandem, qui magnam a nobis christianis Principibus injuriam inferri existiment, quod eorum auxilia neglexisse, societatem abnuisse videamur; atque si denuo cum Turcis dimicandum fuerit, ne aversos experiamur, vereantur. Quis est adeo humanarum rerum expers, quin intelligat, nullum firmius ac tutius ad principum voluntates conglutinandas vinculum communis utilitate esse, ex qua plerumque regum amicitiæ pendere solent? Id si ita est, quis unquam Pontificem Maximum, atque Hispanorum Regem æquo animo passuros existimet, ditiones vestras, quæ ad primos impetus hostium excipiendos, ac sustinendos objectæ

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *jectæ ſunt, occupari, in eorumque poteſtatem concedere; ut, iis amiſſis, arma in ſuas provincias, ac regna convertantur? Vanus igitur iſte ex mentibus veſtris faceſſat metus; neque vel nimia ſpe hujus ineundi fœderis ſubnixi, neque nimio terrore hoſtium perculſi, præcipiti conſilio utamur; ſed prudentia, ut initio dixeram, ſuffulti, cum difficillima in eo re verſemur, prout occaſio tulerit, ut ea, quæ Byzantii aguntur, vel in pacem inclinare cognoverimus, decernamus. Præpropera conſilia ſera pœnitentia ſubſequitur; atque, ut ſæpius hæc in reges, ac monarchas cadant, qui vel imperii cupidine, vel inanis gloriæ faſtu aguntur, quique plerumque non ex rationis præſcripto, ſed prout libidine ducuntur, decernere conſuevere; ita a Rebuſpublicis aliena ſunt, eaſque nonnunquam temere decreta in certiſſimas ærumnas, & calamitates conjecere. Nos Chriſti Optimi Maximi beneficio eam Rempublicam, Patres optimi, nacti ſumus, quæ pacis artibus alta, ad hoc magnitudinis ſe provexit, maritimarumque rerum ſtudio ingentes opes ac divitias in hanc civitatem, veluti clariſſimum totius orbis emporium, ex ſingulis regionibus undique confluentibus comparavit. Inde per mille fere ac ducentos annos, ſæpius in orbe vel veteribus extinctis, vel novis exortis principatibus, firma Venetorum Reſpublica, eodemque libertatis tenore tot temporum emenſa ſpatium ſtetit floretque adhuc, atque æternum vigebit; dummodo majorum noſtrorum exemplis, ac veſtigiis inſiſtentes, eadem duce, qua illi Rempublicam adminiſtrarunt, prudentia uti velimus.*

His cum varie diſceptatum eſſet, tandem ea vicit ſententia, ut fœderi ſubſcriberetur. Itaque Columnæ reſpondetur: *oblatis ſibi conditionibus Senatum in fœdus deſcenſurum, ut nempe majo menſe exeunte triremes octoginta, naves viginti cum copiis Hydrunti adſint: viginti præterea triremes, exhibitis a Republica navigiis, ab Hiſpanis armentur: ſumptus, quos extra pactam portionem Veneti facient, frumento ex regiis ditionibus avecto, portoriiſque ſarciantur: Pontificem Columna roget, ut eccleſiaſtica pecunia non modo, verum quibuſcunque rationibus Reipublicæ ſuccurrat.* In eamdem ſententiam datæ ad legatos

tos literæ; adjectumque, eniterentur, ut milites, qui haud 1571
exiguo numero extra ordinem in arces, oppidaque maritima miſſi fuerant, in Reipublicæ portione cenſerentur; Maximilianuſque ad ſocietatem amplectendam omni officiorum genere a Pontifice incitaretur. Eodem tempore Barbaro legato mandata dantur, quibus mandatis, ne quidquam de pace decernat, ni prius ſingula, quæ egerit, Senatui ſignificet, præcipitur.

Ragazzonius ſeptimo idus aprilis cum Byzantium perveniſſet, a Janizzeris, & Bolue Baſſa publice exceptus, & ad hoſpitium deductus, ſtatim legato ſuum adventum occulto ſignificat: mox ad Mehemetem perductus, facultate cum Barbaro colloquendi impetrata, mentem ei Senatus exponit. Incredibilis ex Ragazzonii adventu Turcarum animos voluptas inceſſerat, cum pro concordia ineunda id itineris ſuſcepiſſe vulgaretur. Nemo enim erat, qui non ſatietate belli captus, laborum, ac periculorum pertæſus, vehementer pacem cum Venetis exoptaret: idque ex eo maxime patuit, quod poſt Mehemetis colloquium, cum de negotiatoribus, eorumque bonis actum a Ragazzonio tantum efferretur, magna animorum mutatione conſecuta, lætitia in mœrorem verſa, ingens perturbatio cunctos repente corriperet. A legato multa cum Baſſa agitata ſunt. Perfacile de negotiatorum permutatione inter eos convenit, ut, viciſſim Epydaurum miſſis captivis, ibi mutata reſtitutio fieret. Ceterum erga pacem minus propenſum (ſecus atque olim viſus fuerat) Mehemetis animum offendit; vel quod Turcæ de rerum noſtrarum ſtatu certiores facti, valde attritas ſuperioris anni ſucceſſibus Venetorum vires eſſe cognoviſſent; vel quod ab Epydauro, quot in percutiendo fœdere difficultates ac controverſiæ ſuborientur, intelligerent. Nam Mehemetes modo Selymi potentiam extollendo, modo impares ad bellum Reipublicæ vires affirmando, legatum ad pacem iniquis conditionibus amplectendam adhortabatur. Barbarus contra quantum ex ſuperioribus prælijs & cladibus in Cypro detrimenti Turcis acceſſerit, quantum in Tamaſſo expugnando laboris inſumendum ſit, explicat; atque ut id aſſequantur, nil amplius commodi, quam ſi Cyprum Venetis permiſerint, Selymo obventurum. Contra Me-

Turcarum gaudium ob Ragazzonji ad Byzantium acceſſum.

Mehemetes iniquas pacis conditiones Venetis proponit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 Mehemetes, insulam in faucibus Ottomanici imperii sitam, in eorum potius, quam in Reipublicæ potestate esse oportere; ea de re absque sui capitis periculo agere non posse. Tum Barbarus, ut aucta pensione, Venetis concedatur, obnixe efflagitat. Bassa, nihil se unquam Regi, quod ab illius alienum voluntate intelligat, suasurum, respondet; at sermone cum Selymo habito, legato responsum relaturum. Verum cum in dies nostris cuncta duriora atque difficiliora accidere nuntiaretur, re infecta, Ragazzonius Byzantio discessit; neque postea quidquam de mercatoribus restituendis confectum, cum a Venetis homines Selymo parentes cum eorum mercimoniis primo Epydaurum mitti peterent, mox Venetos a se mittendos Turcæ pollicerentur: quod Senatui varias ob causas minime probabatur.

Jacobus Ragazzonius, de mercatoribus permutandis re infecta, Byzantio discedit.

Interea, dum vel fœderis cum christianis Principibus ineundi, vel concordiæ cum Selymo sanciendæ, omnium animi ambigua expectatione fluctuarent; ut militum virtutem acuerent, neve hostes insolescere paterentur, diversis in regionibus nostri duces Turcas aggrediuntur. Circumjecti Margaritino Epirotæ incolæ, a Corcyræ magistratu ad oppidum expugnandum subsidia petunt; obsides se daturos sacramentumque Reipublicæ dicturos polliciti; multos eo in oppido clientes, atque amicos habere; statim ac nostri ad suburbia accederent, deditionem facturos. Paulus Ursinus magistratus jussu Cibotæ cum septingentis peditibus, opportuno, atque propinquo loco consedit; Joannem Bembum trierarchum in litus descendere, Epirotarum animos, copias, arma explorare jubet. Is tametsi ducentos ac quinquaginta gladjis tantum, ac contis armatos procul inspexisset, tamen cum hostes, nostrorum consiliis cognitis, se ad oppidi propugnationem comparasse, equitum manum in insidiis, qua iter habendum erat, posuisse, Delvini autem præfectum propius cum copiis abesse comperisset; milites exponendos non censuit, sed Corcyram reversus est.

Sebastianus Venerius ad Epidamni oppugnationē inani eventu se cōfert.

Venerius vero imperator, cum Soppoti mœnia refici, oppidumque validius communiri jussisset, sexdecim triremibus in Pallormi portum delatus, cum Augustino Barbadico legato, ac Paulo Vrsino re communicata, Epydamnum, quod præ-

præsidio militum nudatum, mœnibus adeo infirmum, ut nullo negotio triremium tormentis prosterni posse cognoverat, adoriri statuit; rectaque ad Lachium promontorium contendit. Ea nocte Antonius Canalius legatus cum novem triremibus superveniens, rei feliciter gerendæ spem Venerii auxit. Itaque tribus ex locis, qua mœnia mari obversa in longitudinem protenta, hinc & inde duobus propugnaculis communiuntur, oppidum verberare decrevit. Tripartito agmine triremes dividuntur, septimo kal. maji summo mane ingenti cum impetu ac fragore oppidum quati cœptum. Propugnatorum numero, ac virtute obsistitur. Ad latera percutienda, hostesque defensionibus nudandos conatus nostrorum convertitur. Verum cum tormentarius pulvis, globique deficerent, nec satis militum esset, ut, admotis scalis, impetum in urbem facerent; equitatu peditatuque e mediterraneis locis hostibus perfacile superveniente, quod pons, ex quo in terram trajicitur, uti Venerius jusserat, minime excisus a nostris foret: post quinque horarum irritum certamen, compluribus hostium cæsis, ex nostris viginti tantum desideratis, discessere. 1571

Eodem tempore Emanuel Murmurus, Soppoti præfectus, cum Epirotis ter mille, Italorumque peditum manu Cardichium, castellum triginta passuum a litore millibus, aggressus, cum natura, opere, ac milite munitum, quodque tormentis tantum expugnari posset, animadvertisset, suburbia incendit. In reditu ab hostibus, qui itinerum angustias insederant, multi ex nostris cæsi, Scipio Turrius, Asculanus, militum cohortis præfectus, vivus in eorum potestatem pervenit. Venerius Corcyram reversus, cum Senatus mandata de instaurando Parga oppido accepisset, Antonium Canalium, ac Paulum Ursinum cum triremium manu misit, ut incolas reducerent, oppidumque communirent; qui licet neque parvo tempore, neque tenui impensa rem confici posse intelligerent, attamen ob situs opportunitatem, ac ne incolarum, qui singulari fide in Rempublicam semper extiterant, obliviscí viderentur, in dirutorum mœnium ruinis vexillis Reipublicæ erectis, qua in continentem se porrigit, oppidum præcingi jussere. In Peloponneso Tænarii, qui hodie *Maina* populi dicuntur, gens fera, quæ semper Turcica tyrannidis jugum detrectaverat, finiti-

Emanuel Murmurus Soppoti præfectus à Turcis funditur.

Parga à Venetis munitur.

Peloponnesiorum & Epirotarum odium in Turcas, & propensio erga Venetos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 nitimos ad defectionem ſolicitabant, ſocioſque ſibi adjungere nitebantur; freti belli initio noſtrorum auxiliorum ſpe, multos earum regionum incolas Turcas interfecerant, pleroſque ejecerant. Cum ſe ob ea, quæ ſuperiore anno contigerant, nihil profeciſſe animadverterent, ad noſtros ſubſidia oratum per nuntios mittunt; qui egregium ipſorum in Rempublicam animum, magnam totius occupandæ Peloponneſi ſpem, modo iis dux cum quatuor vel quinque mille peditum Italorum numero, armaque tribuantur, ſignificant. Qui Epiri loca, vel Corcyræ propinqua, vel mediterranea prope Scodram incolunt, eadem ſe in Rempublicam voluntate eſſe profitebantur. Quocirca menſe martio cum Auguſtinus Barbadicus legatus Patrum juſſu ad claſſem, Sebaſtianum Venerium imperatorem præſtolaturus, contenderet, Antibarim delatus, reque cum Celſio communicata, ut ipſe cum ejus urbis magiſtratu ſe Aſcrivium conferret, atque una cum Bernardo Contareno, ac Zacharia Salamonio de Scodræ expeditione decernerent, deque ſubſidiis iis, qui a Turcis deſciverant, immittendis conſulerent: ac licet vere novo, liqueſcentibus nivibus, quibus hyeme hoſtibus aditus intercludebatur, Scodræ occupandæ opportunitas elapſa eſſet; attamen Nicolaum Surianum triearchum cum quatuor triremibus, ut aliquid adverſus hoſtem experiretur, ad Drinium amnem mittere placuit. Surianus, inſpectis locis, cum omnia ſpe difficiliora inveniſſet, populos, ut ſubſidia Venetiis ſubmittenda expectarent, neve Turcas imparati laceſſerent, cohortatus, revertitur. Interim ſexaginta duo Antibarim ex Sadrima, Aucangiis, atque aliis e regionibus miſſi obſides ſupervenerunt, qui cum ſecus ac ſibi perſuaſerant, minime expedita auxilia inveniſſent, magno mœrore correpti, fatum ac fortunam incuſantes, a magiſtratu humaniſſimis verbis conſolati, in aliud tempus re dilata, diſceſſere.

Epirotæ Venetis obſides tradunt.

Dum vero hæc fierent, ſub aprilis initium Venetiis expetita ſubſidia curabantur. Senatus Jacobum Malateſtam Epiri atque Aſcrivii militiæ præfecerat: Venerio claſſis imperatori, ni majoribus curis avocaretur, cum triremium manu Auguſtinum Barbadicum legatum ad eam rem in Adriaticum ſinum mittere præceperat. Emathiæ interim, ac Pedanæ obſides alii An-

Antibarim pervenere, quibus nunciabatur, ſi quidpiam a noſtris adverſus Turcas tentaretur, Criſtianos omnes a Scodra Antibarim uſque eodem momento Reipublicæ vexilla ſublaturos. Majo exeunte, Malateſta Aſcrivium pervenit; legatis conſultis, ſtatim Antibarim, ut cum ejus urbis, atque Olchinii magiſtratibus de bello adminiſtrando ageret, ſe contulit. Aſcrivium inde reverſo, ut, veteranorum militum manu, equitum aliquot turmis, triremibus quot vellet ſelectis, Alexium adoriretur, decernitur. Eo enim occupato, Scodræ ſubſidia intercipiebantur, naturaque gliſcens inter Epirotas, atque Turcas odium cæde, rapinis, viciſſimque illatis, atque acceptis damnis, ita accendebatur, ut nulla unquam ratione conciliari diſſentientes inter ſe gentes poſſe viderentur. Eo vero facilius ſe Alexio potiturum Malateſta rebatur, quod ab ſpeculatoribus, neque ab hoſtibus copias colligi, neque quidquam parari, nuntiaretur. 1571

Veneti ad Alexii oppugnationem ſe inſtruunt.

Interea vero dum ad expeditionem neceſſaria ſedulo curantur, Neocaſtri incolarum audaciam, qui ſæpius uſque ad Aſcrivii portas ſeſe proripuerant, frangere ſtatuit. Quocirca hoſtium itinera, quo ſe recipiant, unde auxilia expectent, ut opportune in eos impetum faciat, perſcrutatur; ac ne quid ejus conſilii efferretur, nulli ex urbe exitus permittitur. Ducentos igitur milites per clivum montis ſummum petere, vicum ſuccendere, ibique ſubſiſtere jubet. Ipſe alia ex parte quingentos pedites ad Peraſtum oppidum ſubducere, Rhizanum explorare, tum ardua montis, ut ſe reliquis adjungat, ſubire conſtituit. Sed cum ad quintam uſque noctis horam lintres ac lembos ad convehendos tot milites non haberet, ducentis ac ſeptuaginta in binas triremes, ac quatuor lintres impoſitis, Peraſtum applicuit. Jamque appropinquante die, cum opportune Rhizanum copias admovere non poſſet, ne, nulla re peracta, regredi fere inglorius videretur, montis verticem, ubi ducentos milites ſubſiſtere juſſerat, conſcendere ſtatuit, cum præſertim in Aſcrivium a tergo, in triremes receptu a fronte tuto, mediam tantum agminis partem, hoſtibus eſſet objecturus. Octoginta igitur milites, qui conuniret iter, præmiſſos conſecutus, circumjecta regione diligentiſſime inſpecta, totaque acie in tria agmina diſtributa, ita in viam ſe dedit, ut

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 ut progrediendo nunquam e mutuo conſpectu ſubducerentur, at ſibi invicem, ſi ita res poſceret, præſto forent. Feſſis vero quatuor paſſuum millium itineris confecti labore, quieſcere aliquantiſper juſſis; primum agmen anguſtias, quæ haud longe aberant, qua incedendum erat (ne ab hoſtibus, qui jam e ſummis conſpiciebantur jugis, interciperentur) capere, ac ni media ſuperveniat acies, locum non deſerere præcipit; a media pari ratione poſtremum agmen excipi mandat. Sed adverſus imperata media accedente acie, prior, jam anguſtiis relictis, longius ſe provexerat, in noſtrumque conſpectum hoſtis ſe dederat; cum progreſſus Malateſta, qui poſtremo agmini inſtiterat, cum medio ſe conjunxit, parva militum manu ad itinera impedienda, remorandoſque hoſtes emiſſa. Verum ii adeo ſeſe intulerant, ut ex ſuperiore loco ſcloppis, ſaxis, ac varii generis miſſilibus dimicando noſtros fœde ſauciarent. Inde media turbata acies, poſtremum quoque agmen ordines deſerere coegit. Malateſta diſpalatos milites ſiſtere, ac ſub vexillis redigere conatus, præmiorum ſpe, minis, pœnæ metu, collapſam aciem reſtituere contendit. At cum neque terrendo, neque pollicendo proficeret, aliis alio dilapſis, ipſe triginta tantum peditibus, ac nonnullis honorariis militibus ſtipatus, ſuſtinere hoſtes connixus, Petrum a Sale præfectum, ſi qua ratione poſſet, primum agmen reflectere juſſit; qui cum jam e noſtrorum conſpectu ſubductum id nuntiaret, ſaluti Malateſtam conſulere hortatur. Eo ſeſe recipere adnitenti, Hyppolitus Rondavinus, Horatius Bandus comes, ſunt interfecti; Petrus a Sale vulneratus; ipſi caput ictum, crus perfractum: ceteris fugientibus, a tribus tantummodo, comite Sempronio, honorario quodam milite, atque equo aſſidente ſervo adjutus, ægre ſe ad vicum proripuit. Per montis declive ad triremes proficiſcens, altero crure, corporis onere preſſo, luxato pede, cum vi nervorum deſtitutus humi procubuiſſet, humeriſque a ſervo ſublatus in claſſem deferretur; hoſtes id conſpicati, repente deſilientes, cum aliis duobus captivum effecere, equo impoſitum Rhizanum perduxere.

Jacobus Malateſta a Turcis profligatus & captus.

Ejus rei fama vulgata, cum Epirotæ obſides, reliqui qui jam adventare cœperant, Malateſtam ab hoſtibus captum intelligerent, in lachrymas effuſi, Antibaris prætori miſerrimam eorum

eorum conditionem, ſuarumque familiarum ærumnas memorant; orant, flagitant, ne illos deſerat; neve patiatur, ut qui Venetorum cauſa ab hoſte defecerant, eorum ſævæ, atque implacabili crudelitati objiciantur. Prætori ſpe nutantes animos firmare conanti, certi nihil pollicenti ſcriptum exhibent, ſe cum familiis, & clientibus ſuis ſubſidii ſpe ductos nemoribus, ac ſpecubus, quibus ſe ob Turcarum metum abdiderant, exiiſſe; illum uti ejus defectionis auctorem, atque impulſorem obteſtantur, cum auxiliis ſibi a Senatu miſſis in campum progrediatur; nullis periculis perterrefactos, nullis victos laboribus, quamcumque fortunam ſubeundam arbitraretur, perſecuturos; ſin abnuat, nullos ipſis miſeriores, aut calamitoſiores fore; in eum omnes ſuarum calamitatum cauſas collaturos, æternumque uxorum, filiorum, vitæ, ac bonorum amiſſionem comploraturos. Erant ea ſane ejuſmodi, quæ omnium ad miſericordiam animos proclinare, ac flectere potuiſſent. 1571

Epiprotarum deprecationes & pollicita ad Antibaris præfectum.

Verumtamen, re infeliciter a Malateſta geſta, hoſtium magnis coactis viribus, quo minus aliquid noſtri, uti maxime concupiverant, tentarent, impediebantur: cum præſertim Venerius majoribus curis diſtentus, Barbadicum legatum, uti a Senatu juſſus fuerat, in eas oras mittere non potuiſſet; in id enim tunc totus erat, ut, quæ ad bellum gerendum eo anno neceſſaria forent, perficerentur. Quapropter Marcum Quirinum legatum cum ſeptem triremibus in Cretam miſerat, ut quamprimum illius inſulæ maritimas vires cogendas curaret; ex Illyrico quoque, atque aliis locis minores, majoreſque triremes Corcyram evocaverat, quo univerſam conveniret claſſem Senatus decreverat; idque eo magis urgebat, quod fœdus quamcelerrime ictum iri arbitraretur.

Sebaſtianus Venerius Quirinum legatum in Cretam mittit, ut triremes omnes Corcyram revocet.

Enimvero ne in extremo quidem conventu impedimenta defuere; nam cum Superantius (arbitride collega correpto) propoſitis a Columna conditionibus, ſe fœderi ſubſcripturum diceret, ſubdit Pontifex, ut regiæ triremes Hydrunti menſe majo convenirent, difficillimum eſſe: id tantum ſufficere ſe arbitrari, ſi quot quot eſſent, licet octoginta exacte numerum non explerent, omnes in Italia forent. Qua de re cum aliquantiſper diſceptatum

Novæ contentiones in fœdere ſubſcribendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 fuiſſet, decreta Senatus aliqua ex parte immutare ſe non poſſe Superantius affirmabat. Inde de æquandis fœderatorum impenſis actum. Hiſpani, ſi Senatus frumenti pretium, ac portoria detineat, ſumptus pro Rege eo anno ab ſe factos exceſſuros affirmant. Superantius his ſatis Reipublicæ fieri negat; præter triremes, ac milites in claſſem miſſos, maritima extra ordinem præſidia ſarcienda eſſe. Eam ob rem nova altercatio oborta, contendentibus Hiſpanis, copiarum tantum, quæ in claſſe luſtratæ fuerant, ſtipendia inter fœderatos partiri oportere; contra Superantio adnitente, eam militum ſummam, quæ extra ordinem a Republica aleretur, in quinquaginta millium numero cenſenda eſſe. Multis hinc atque inde dictis, tandem Senatus his de rebus a legatis certior factus, negotium omne Pii judicio permittendum ſanxit, qui opportuniori tempore de impenſis æquandis ex jure, & æquo decerneret. Lætus eo decreto Pontifex, cum jam nihil obſignando fœderi amplius obſiſtere animadverteret, manus gaudio ingenti perfuſus ad cælum extulit. Itaque cunctis compoſitis, tandem decimo quarto kal. junii fœdus his legibus percuſſum eſt. Primo *Pius Quintus Pontifex Maximus, Cardinalium adſentiente collegio; Philippus Catholicus Hiſpaniarum Rex; Venetaque Reſpublica perpetuo ſociali adverſus Turcas, communes chriſtianæ reipublicæ hoſtes, fœdere jungerentur.* II. *Triremes ducentæ, naves centum, peditum ex Italia, Hiſpania, ac Germania quinquaginta millia, quater mille ac quingenti equites, idoneus tormentorum numerus, ac rerum bellicarum apparatus tum ad opprimendos hoſtes, tum ad tuendas fœderatorum ditiones, Algerio, Tuneto, Lepti minime excluſis, conferrentur.* III. *Singulis annis menſe martio, vel ad ſummum aprili, omnia Hydrunti in promptu, parataque eſſent, ut ſtatim in orientem trajiceretur, bellumque pro temporum opportunitate, ex ducum ſententia adminiſtraretur.* IV. *Autumno de expeditione in proximum annum, de bellico apparatu Romæ fœderati per legatos agerent; deque augendo, minuendove virium numero ex rerum, temporumque conditione decernerent.* V. *Si ſociatis armis, nihil aggredi ſtatueretur, ſua cuique privata bella gerere fas eſſet. Philippo vero bellum Algerio, Tuneto, & Lepti inferenti, ni Veneti*

Fœdus contra Turcas & ejus pacta.

Veneti prævalida Turcarum claſſe diſtinerentur, triremibus 1571
quinquaginta Regi ſuppetias ferrent. Eodem vinculo Rex, Venetis aliquid in Adriatico ſinu adverſus Turcas molientibus, obſtringeretur; ſubſidia ea lege tantum exhiberentur, ſi is, qui peteret, majores auxiliaribus copias comparaſſet. VI. *In quas regiones hoſtes impetum facerent, eas tutari fœderati tenerentur; in primis vero Eccleſiæ ditiones defendere, eamque ob cauſam expeditiones in hoſtem cœptas poſſent intermittere.* VII. *Impenſarum dimidiam partem Rex erogaret; alterius dimidiæ tripartito diſtributæ, tertiam Pontifex, binas Veneti conferrent. Quoniam vero ſumptibus exhauſta Apoſtolica Sedes, ægre id oneris ferre poſſet, cui parti Pontifex non ſufficeret, eam Philippus ac Reſpublica eadem ratione ſupplerent, ut nempe ex tribus duæ Regi, una Venetis portio obtingeret: qui præterea triremes duodecim, tormentis, atque armamentis adornatas Pontifici exhiberent; ipſe milite, ac remige, & commeatibus inſtructas educeret; bello confecto, qualeſcumque eſſent, reſtitueret.* VIII. *Quæ res fœderatorum cuipiam ſuppeterent, alteri deeſſent, ab iis, qui abundarent, in communes uſus erogarentur, atque æquis compenſationibus par expenſi, acceptique ratio fieret.* IX. *Frumenta, certo moderatoque vectigali conſtituto, undique exportandi facultas, atque ex iis potiſſimum locis, quæ magis opportuna forent, incolarum prius habita ratione, ſociis permitteretur; nemini avehere frumentariam annonam fas eſſet, antequam, quod ex eorum uſu eſſet, fœderati comparaſſent.* X. *Joanni Auſtriaco ſumma imperii cederetur: eo abſente, Marcus Antonius Columna vicarius cum eadem auctoritate ſuccederet, imperatoriſque pontificii nomine uteretur.* XI. *In conſiliis de bello capiundis tres fœderatorum Principum præfecti convenirent; quidquid majori ex parte decerneretur, id ratum, firmumque foret; fœderis vero imperator mature conficiendum curaret.* XII. *Si qua inter fœderatos Principes controverſia ſuboriretur, ea Pontificis judicio, atque arbitrio permitteretur; neque interea a belli adminiſtratione ceſſaretur, neve fœdus abruptum cederetur.* XIII. *De iis, quæ in noſtrorum poteſtatem bello concederent, hoſtium oppidis, urbibus, ditionibus inter fœderatos dividendis ex ſocietatis anno 1537. ictæ legibus decerneretur.* XIV. *Maximiliano Cæſare, Carolo Galliæ, Sebaſtiano Luſitaniæ Regibus fœderi*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *ſeſe adjungentibus, eadem jura ſocietatis manerent, collatique ab iis ſumptus ad commune virium incrementum accederent.* XV. *Ab Epidauro, ejuſque agro, niſi ſecus Summo Pontifici videretur, ſocii abſtinerent.* XVI. *Ne quis eorum cum hoſte, invitis atque inſciis aliis, de pace ageret.* XVII. *Maximilianum Cæſarem, Carolum Galliæ, Sebaſtianum Luſitaniæ, Sigiſmundum Sarmatiæ Reges in belli ſocietatem aſciſcere Pontifex niteretur.*

Hæc ſumma fœderis fuit, ad quod ſervandum, manu de more pectori admota, ſe primum Pontifex obſtrinxit; deinde Cardinalis Pacecus, Perenoto una cum ordinario legato ad Proregis munus obeundum jam Neapolim profecto, Philippi; Surianus, ac Superantius Senatus nomine, tactis ſacris, juriſjurandi vinculo ſe devovere; quatuorque menſium ſpatio, quo Principes ſingula rata haberent, præſtituto, fœderis formulæ ſubſcripſere: qua cum ea tantum, quæ in frequenti anno præſtari oporteret, continerentur, ſcripto ſeorſim confecto, quæ præſenti conficienda eſſent, exarata ſunt, ut majo menſe triremes Hiſpanicæ octoginta, naves viginti, in quarum numero pontificiæ, Sabaudæ, ac Melitenſes non cenſerentur, cum claſſe Veneta Hydruntum venirent. Patribus vero, qui ampliorem triremium numerum inſtruxerant, ſumptus factos reſarciri petentibus, Pio ejus rei cognitio, judiciumque delatum eſt; qui ſubducta ſumma, ſi majores ſua portione ſumptus feciſſe illos ſtatuiſſet, frumento, quod apud ſe haberent, aut in poſterum habituri eſſent, pretio ab eodem conſtituto, ſatisfieret. Poſtridie ejus diei, quo hæc acta fuerant, in divi Petri baſilica Pii juſſu, miſſarum ſacris ſolemni ritu celebratis, ſupplicationibuſque habitis, Romæ ingenti cum lætitia fœdus promulgatum eſt. Cujus nuntio Venetias allato, vix dici poteſt, quanto omnes civitatis ordines gaudio perfuſi fuerint. Nemo ſane erat, qui e ſummis periculis ereptam Rempublicam non arbitratus, in poſterum omnia felicia, ac proſpera ſperaret. Etenim toti chriſtiano orbi ſumma tantæ rei expectatione defixo, quo tempore minus ſperandum videbatur, diu exoptata lux affulſerat.

Fœderis promulgatio.

Ejus vero lætitiæ eximia edita ſigna fuere. Nam ſexto kalend. julii

julii univerſæ civitatis concurſu in aurea divi Marci baſilica, 1571
Principe, Senatu, legatiſque adſtantibus, Guſmanus Silvenſis, Philippi Regis orator, vir ſacratus, quem Patrum juſſu Archiepiſcopi, Epiſcopi, atque alii inſignes eccleſiaſtici viri domo deduxerant, divinam rem peregit. Templo exeuntibus, ſupplicatio per forum, quod aulæis, ſignis, tabulis pictis, omnique pretioſa ſupellectile ornatum ad ſtuporem uſque inſpiciebatur, haberi cœpta. Cumque ad eam fori regionem, qua edicta promulgantur, perventum eſſet, præco, Senatus ſcriba prælegente, ingenti voce fœdus Romæ quartodecimo kal. junii ictum in hæc fere verba pronunciavit. *Deo Optimo Maximo, Beatiſſima Virgine, votis Pii Summi Pontificis annuentibus, perpetuum inter Apoſtolicam Sedem, Philippum Hiſpaniarum Regem, Rempublicamque Venetam fœdus adverſus Turcas fuiſſe percuſſum. Maximiliano Imperatori, Carolo Chriſtianiſſimo Galliarum Regi, locum in eo ampliſſimum relictum. Deum Optimum Maximum ab omnibus ſubmiſſe exorandum, ut ſociis hiſce Principibus proſpera cuncta ad Venetorum incrementum, totius chriſtianæ reipublicæ commune bonum largiretur.* Verba ſummo ſilentio audita, ingentibus acclamationibus, ac innumeræ multitudinis fere, quæ forum, publicas, privataſque ædes compleverat, plauſu, tormentorum diſploſione, æris campani ſonitu, tympanorum ſtrepitu, tubarum clangore excepta ſunt. Nihil egregium in civitate fuit, quod non homines ad eum diem concelebrandum publice exponerent; tantaque fabrefacti argenti, & auri vis in forum eſt illata, ut urbs biennio fere difficillimo, ac graviſſimo bello afflicta eamdem faciem, & cultum ad luxum uſque præſeferret. Icto fœdere, legatis injunctum, ut Pontifici, ac Regi gratulentur; Cæſarem ad ſocietatem cum reliquis ineundam adhortetur, efflagitent. Eodem officii genere cum Maximiliano, & Carolo utendum Patres cenſuere. Sabaudiæ Duci idem ſignificari curarunt: triremes tres, quas præſtatum Reipublicæ ſpoponderat, petiere. Pius vero, ut Philippum ad ea, quæ pacta fuerant, intentiori ſtudio exequenda inflammaret, alioſque Reges ad arma conſocianda excitaret, Michaelem Cardinalem Alexandrinum nepotem in Galliam, Hiſpaniam, ac Luſitaniam legatum deſignavit. Sumno in patriam reditum

Pius Pontif. Cardinalē Alexandrinum in Galliam, Hiſpaniam & Luſitaniam mittit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 parante, antequam discederet, ad Senatum literas dedit, quibus virum summo ingenio, admirabili rerum usu insignem per aliquot menses apud se manere, petebat; ut si quid, quod ad fœdus attineret, pertractandum foret, ab eo, qui ab initio ad exitum usque virtute, ac prudentia gravissima in re Reipublicæ egregiam operam navasset, conficeretur; idque haud gravate Senatus concessit.

Senatus Suriano in Romana legatione pergere præcipit.

At Cæsar, icti fœderis nuntio accepto, licet magnam præ se lætitiam tulisse visus esset, attamen legato Senatus nomine invitanti, multisque ad egregium capessendum opus hortanti nihil præterea, nisi, *Deum Optimum Maximum rebus nostris propitium futurum*, respondit. Ceterum in magna consiliorum ambiguitate, ac perplexitate versabatur. Turcarum arma, quæ jam pridem expertus fuerat, veritus, ægre in gravissimas belli curas, ac solicitudines se demissurum videbatur; cum præsertim Daciæ res, quæ bellum portendere olim existimabantur, Joanne Principe modo exstincto, Stephano vero Batoreo, generis nobilitate, ac propria virtute insigni, a primoribus illius provinciæ Principe nuncupato, tunc interquiescerent. Philippus vero Hispaniarum Rex privatim ac publice editis lætitiæ signis, ingentem se voluptatem percepisse patefecit; literasque ad Senatum dedit, quibus, ut in dies fœdus firmiores radices ageret, arctiorique nexu Principes omnes conjungerentur, operam enixe daturum pollicebatur. At in Carolo Galliarum Rege, qui sæpius ad pacem Senatum cohortatus, ob id nuper Aquensem Episcopum legatum Byzantium designaverat, cum percussi fœderis a Venetorum oratore certior factus, ne se a communibus christianæ reipublicæ rationibus sejungeret, incitaretur, aversus ab ineunda societate animus non obscure conspiciebatur; quippe qui, bellis civilibus Gallia laborante, omnes cogitationes & consilia ad gravissimas sedandas tempestates contulisset; neque rebus suis conducere existimaret, si præpotentem Principem, cujus amicitiam Galliarum Reges semper coluerant, ejusque viribus ad æmulorum sese efferentem potentiam opprimendam nonnunquam usi fuerant, nulla illata injuria, bello lacesseret. Itaque legato respondet: *Quod in fœdere ineundo Respublica sibi proposuerat, id ut consequeretur, summopere exoptare; quod in concordiam incubuisset, to-*

Joannis Daciæ Principis obitus.

Stephanus Batoreus Princeps a Dacis vocatus.

Philippi Regis ad Senatum literæ.

Caroli Galliæ Regis ad Venetos de fœdere responsum.

totius reipublicæ christianæ causa permotum fecisse: si fœderati cœptis insistant, ac reliqui Principes in societatem nomina dent, Venetis præsto futurum: interim suis rebus minime conducere arbitrari, cum ab Turcarum finibus longe absit, neque quidquam ab Ottomanorum potentia sibi pertimescendum sit, eorum amicitiam vel negligere, vel abrumpere. Hæc Principum mens, ea consilia erant (prout singuli ex sua in primis utilitate cuncta emetiuntur) ut alii metu, alii spe ducerentur; nonnullos præsentia pericula terrerent, alios longinqua non permoverent. 1571

Senatus, ut, quæ triremes Corcyræ erant, eas omnes paratas haberet, classis imperatori præcepit; quo tempore consociandæ fœderatorum classes forent, per suos homines exquireret; in singulas triremes centum ac viginti expeditos milites imponeret; navigia Venetias ad convehendos bellicos apparatus, copiasque mitteret; septuaginta triremes, quæ in Creta erant, aut classi adjungeret, aut ibi subsistere, prout expedire arbitraretur, juberet; Barbadicum, cum imperatoria auctoritate legatum, quem antea in Adriaticum sinum pro Epirotica expeditione mitti jusserat, una cum Antonio Canalio, qui magistratu abierat, in classe retineret; in consiliis Barbadicum, duos classis præfectos, quinqueremium ducem adhiberet; quæ a majori parte decernerentur, ipse conficeret; Pauli Ursini, qui Corcyræ militiæ præerat, Adriatici sinus nexorumque triremium præfectorum sententias exquireret. Latum insuper, ut majorum triremium præfectus cum novem, quæ in Istria reficiebantur, ad classem reliquam se adjungeret, militesque veheret. Ac ne ulla in re difficillimis temporibus Patres deessent, Latinum Ursinum, quem copiis insulæ præfecerant, in Cretam misere; nobilitate insignes, atque bellica virtute præstantes viros in Reipublicæ militiam adscivere; inter quos præcipui nominis fuere Prosper Columna, Franciscus Justinianus Genuensis, Antonius Galeatius Bentivolius, Galeatius Farnesius, Petrus Avogadrus, Ludovicus Pennius, Pompejus Tiphernas, Camillus Corrigensis, Joannes Antonius Aquavivius, Gaspar Torniellius; qui egregiam variis in locis Reipublicæ operam præstitere, conscriptisque militibus, maritima loca communivere. Ad hæc, tantasque res conficien-

Mandata Senatus ad Venerium classis imperatorem.

Senatus decretum de iis, qui maritimis consiliis interessent.

Senatus sedulitas in pecuniis colligendis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 das cum ingenti pecuniæ vi opus esset, in eo Patrum studia enixe versabantur, ut quammaximam possent ejus summam colligerent. Decumati ob id civium proventus, Procuratorum numerus auctus, publica bona sub hasta posita, facultas civibus concessa, ut, certa pecunia persoluta, ante statutum a lege tempus comitia majora ingrederentur; atque ut affatim pecunia in ærarium conferretur, iis, qui conferrent, annua pensio attributa: neque defuere, qui pietate in patriam mirifice incensi privatas pecunias, atque opes in ærarium congererent.

Aloysii Mocenici Principis ad cives adhortatio.

Horum studia Aloysii Mocenici Principis prudentia ac virtus vehementer excitabat, qui turbulenta tempestate clavum Reipublicæ tenens, privatis publicisque sermonibus cunctos ad patriæ opem ferendam, majorum exemplis, rebus fortiter gestis, gloriæ stimulis impellebat. *Non hoc tum primum tempus esse, quo Respublica gravissimis fluctibus jactata, ingentes belli labores perpessa, tandem incolumis, immo illustrior emersisset; quæ patrum, atque avorum memoria acciderant, meminissent, qui Europæ Principum arma consociata, atque in se conversa, constanter repulerant; qui nonnunquam ancipiti, terrestri maritimoque bello distenti hostium impetus ingenti virium conatu, atque infracto animi robore sustinuerant: fortiter perferendo, neque se demittendo fortunam vinci; timore degeneres animos corripi: jam fœdus Dei Optimi Maximi munere ictum; nullam regionem in Europa esse, ad quam non istius belli fama, non sociorum Principum conatus pervaserint; nobilium, & clarorum virorum ingentem numerum ad certam veluti immortalitatis spem in communem hostem rapi, summoque ad Rempublicam defendendam ardore confluere: si in exteris nationibus fervidus iste animi impetus erumperet, quid cives ipsos in patria hac ortos, educatos, & honoribus auctos facere oporteret? an non opes, divitiasque profundere? quidquid ingenio, quidquid consilio possent, expromere? vitam denique ipsam pro patria devovere?* His, atque aliis hujusmodi, quæ oratione Mocenici Principis usurpabantur, cives patria charitate inflammati, ad quæcumque pericula subeunda imperterriti reddebantur.

Dum hæc geruntur, Antonius Canalius, classis legatus, qui

qui cum triremibus sexdecim ad urgenda Cretæ auxilia proficiscebatur, ad Strophadas insulas in Uluzzalium, Algerii Proregem, e Numidia cum novem ac decem rostratis triremibus, ut se Turcicæ classi conjungeret, digressum, incidit: parique ambiguitate captis ducibus, Canalio Turcicæ, Uluzzalio christianæ classis primum agmen esse suspicante, hic Methonem, Canalius Zacynthum tenuit; cumque statim vano se errore deceptum cognovisset, præclaram sibi cum archipirata manum conserendi occasionem elapsam frustra conquestus, intentiore remigio in Cretam magna spe, quæ tamen irrita fuit, illum in itinere offendendi ductus, contendit. Ibi cum præter opinionem e Candida tantum aliquot ad bellum instructas (ægre id servitii genus incolis obeuntibus) comperisset, Cydonem delatus, ut quamprimum ab ea civitate collatæ expedirentur, enitebatur; eoque magis, quod variis rumoribus classem Turcicam in Cyprum trajecturam percrebresceret: nihil enim, quod ad bellum eo anno administrandum spectaret, hostes prætermittebant. Quid nostri agerent, quid molirentur, solicite per speculatores vestigare; triremes reficere, quibus & in Cyprum copias importarent, & cum nostris, si se occasio obtulisset, dimicarent. In primis vero felicibus superioris anni successibus insolens ac jactabundus Selymus, nihil non sibi ad vota successurum pollicebatur: jam Cyprum tenere, Cretæ, & Corcyræ minari, pugnam cum christiana classe agitare, certam sibi victoriam despondere, ingentes ruinas, ac prope excidium christianorum Principum ditionibus meditari. Tantumque iis cogitationibus audax succreverat animus, ut Piali, quod superiori anno cum Veneta classe pugnam non conseruisset, vehementer indignatus, Mehemete faces admovente, imperium maris adimeret, Pertaoque tribueret. In id vero omni studio Turcæ nitebantur, ut quamprimum in Cyprum trajicerent, ac prius quam christianorum Principum arma convenirent (cum haud inanis de fœdere rumor nuntiaretur) Tamassum occuparent. Sed licet summa diligentia cuncta administrarentur, haud exiguæ in armandis triremibus fere difficultates objiciebant, quod durum, atque prægrave remigandi onus cuncti perhorrescerent; neque quisquam, nisi invitus, ad triremes pertraheretur. Huic incommodo, adhibita, obviam

1571 *Antonius Canalis in Cretam proficiscens in Uluzzalii incidit.*

Selymus, Piali classis imperio dempto, Pertao tribuit. Turcæ classem remigibus ægre instruunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 viam ire conabantur, cum in ſemitis, viarumque compitis ex Byzantio, & ſuburbiis invitos abſtraherent; ex officinis quoque, ac domibus apprehenſos in claſſem detruderent. Halis Baſſa cum triremibus quinquaginta veris initio Byzantio digreſſus, maritimas Venetorum vires, quæ in Creta erant, veritus; ex Chio, & Rhodo accitis cuſtodiis, duarum ac octoginta numero expleto, in Ciliciam profectus, copiarum partem claſſe in Cyprum trajecit, Pertaoque, qui menſe majo Epidauriis, ac Mityleneis navigiis auctus ad Caſtrum rubrum centum triremibus pervenerat, ſe adjunxit.

Halis copias in Cyprum traduxit.

Muſtaphas munitiones ad Tamaſſum erigit.

Interea Muſtaphas, Halis milite inſtaurato exercitu, urgere Tamaſſum, ductiſque aggeribus, ad Amathi exterius propugnaculum appropinquare, munitioneſque octo erigere aggreſſus, tribus ex locis mœnia quatere cœperant. Marcus Antonius Bragadenus una cum Heſtore Baleonio quæcumque poterant ad tuendam urbem ſedulo comparabant, in qua urbe tutanda egregia civium conſtantia, ingens plebis ardor jam tum primum eluxerat, cum, Leucoſia capta, ad deditionem Muſtapha adhortante, nullis minis, aut terroribus concuſſi, extremum in ea defendenda ſpiritum effuſuros conjuraſſent; atque ob eam rem Nicolaum Donatum, cui inſulæ cuſtodia credita fuerat, & cum duabus triremibus portu detinebatur, Hieronymumque Ragazzonium urbis Antiſtitem Venetias miſiſſent, ut, de rerum ſtatu Patribus edoctis, auxilia enixe flagitarent. Nec multo poſt (ut antea diximus) ſubſidia, quæ Zannius imperator diſcedens Cretæ reliquerat, a Marco Quirino illata ſupervenerunt. Verum ad hoſtium impetum ſuſtinendum neque numero, neque robore paria hæc erant; in univerſum enim tria tantum Italorum peditum millia, agreſtes mille ac trecenti, Epirotæ equites ſeptingenti in Tamaſſo cenſebantur. Spes omnis in auxiliis, quæ Venetiis ſubmitterentur, ſita erat. Ea ſedulo curabantur. Duabus onerariis naribus octingentis peditibus, Honorio Scoto duce, commeatuum, bellicique apparatus præſidio impoſito, Nicolaus Donatus, qui in graviſſimo negotio ſuam patriæ operam obtulerat, ut obſeſſis ſuccurreret, quam primum in Cyprum contendere juſſus eſt. Is, ſtatim arrepto itinere, ac in Ægæum delatus, turbato mari, tempeſtateque oborta, reluctante vento,

Hieronymus Ragazzonius, Tamaſſi Epiſcopus, miſſus ad auxilia petenda.

Nicolao Donato onus Tamaſſo ſubveniendi impoſitum.

to, quaſſatis ac prope disjectis vehementi procella navigiis, iter in Cretam flectere eſt coactus. Ibi ex navibus altera itineri habendo minime idonea inventa, cum ante claſſis Turcicæ in Cyprum adventum ſarciri non poſſe conſtaret, magiſtratus juſſu exonerata, omnis ſubſidiorum ſpes Tamaſſo adempta eſt.

1571 *Venetæ naves ſubſidia in Cyprum devehentes tempeſtate jactatæ.*

Dum hæc fiunt, ad Caſtrum rubrum hoſtium claſſis univerſa convenerat, in qua ſex ſupra centum triremes Byzantio egreſſæ, præter viginti, quæ in Cypro relictæ fuerant, adnumerabantur. His ex Ponto quatuor ac viginti, Uluzzalii ſeptem, roſtratæ duodecim, Leptitanæ duæ, Caracozæ longarum una, roſtrata altera accedebant; eæ centum ac ſeptuaginta trium ſummam, abſque piraticis, conficiebant, quæ regiæ claſſi belli tempore ſeſe adjungere conſuevere, ſupra ſexaginta. Luſtrata claſſe, conſilio habito, in Cretam proficiſcuntur, cum adhuc Quirinus in Cydoniæ portu cum triremibus triginta, Canalius in Candida cum totidem detinerentur. Amphimaleum portum hoſtes ingreſſi, Apicornum caſtellum in litore ſitum ab oppidanis relictum occupant. Pertaus Cydoniam delatus, haud longe ab urbe copias exponit, villas diripit atque incendit, jumenta abigit, accolas capit. At Lucas Michaelius legatus validam militum manum ex oppido emittit, qui, nonnullis ex Canalii triremium militibus ſibi adjunctis, hoſtium impetum fregere. Eodem tempore cum Franciſcus Juſtinianus Genuenſis cum octingentis e Cyrno inſula militibus opportune applicuiſſet, ex iis trecentis ſtatim in hoſtes immiſſis, præcipites proripere ſeſe in triremes coegit; fugientes multi cæſi ſunt, reliqui Cydonia abſceſſere. Inde Rhithymnam, urbem nobilitate, divitiis, publicis, privatiſque ſubſtructionibus inſignem, petiere; Milopotamum oppidum nonnulloſque in litore pagos flammis abſumpſere; cumque ex captivis cognoviſſent, cives metu hoſtium dilapſos, Hieronymum Juſtinianum Conſiliarium cum centum tantum militibus in urbe eſſe, propius ſeſe inferre, copiis expoſitis, ſtatuunt. Juſtinianus pro tempore, ac neceſſitate consilium capit; parva cum militum manu, quam apud ſe habebat, in hoſtem progreditur, cujus impetum fortiter ſuſtinendo, non abſque eorum cæde in penitiora, ac tutiora loca incolumis ſe recepit.

Turcæ Amphimaleum portum ingreſſi Apicornum occupant.

Turcæ Franciſci Juſtiniani virtute profligati Cydonia abſcedunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 pit. Turcæ in urbem vacuam ingreſſi a nullo barbaræ crudelitatis exemplo abſtinuere; domos diripuere; in ædes ac templa ſæviere; publica privataque ædificia concremavere; ingentem prædam, bellica tormenta aliquot avexere; triremem inſtrui cœptam, atque vindemiæ cuncta inſtrumenta, immenſumque cadorum numerum (cum ea præ ceteris ferax regio vitibus ſit) incendere: in ſepulchra quoque ſævitum, e quibus eruta defunctorum oſſa, ac cineres in auras, execrando ipſis quoque hoſtibus facinore, diſpergebantur; cujus immaniſſimæ impietatis irato Numini pœnas haud immeritas perſolvere, nonnullis triremibus vento abreptis, atque in propinqua litora impulſis, compluriumque cæde disjectis; multis quoque, quos prædæ cupido palantes longius abſtraxerat, ad duo millia a militibus, atque ab incolis cæſis. E Creta hoſtes Cytheram delati multis damnis, ac cladibus incolas affecere. Inde Aegialiam devecti, ibique nonnullis eorum, qui a Selymo defecerant, vicis vaſtatis, atque incenſis, eodem curſu Zacynthum pervenere. Paulus Contarenus, vir ſpectatæ prudentiæ, ac virtutis, cunctis ad civitatem tuendam neceſſariis inſtructis, ex ſuburbio inſulaque complures cum pretioſiori ſupellectile intra arcem coegerat; hoſtium egreſſum incolæ aliquantiſper remorati, cum impares viribus eſſent, ipſi quoque in arcem ſe recipiunt. Eam difficulter expugnari poſſe Turcæ rati, per inſulam effuſi, immenſam vitium copiam, quibus maxime Zacynthus abundat, incidere; ſuburbium illud ſatis amplum, injecto igne, cremarunt.

Rhithymna ab incolis deſerta a Turcis capta & direpta.

Turcicæ triremes ad Cretæ litora illiſæ.

Pauli Contareni opera in Zacynthi cuſtodia.

Ceterum de Turcicæ claſſis in Cretam appulſu Venerius imperator certior factus, quod percuſſi fœderis fama hoſtes ulterius ſeſe non illaturos ſperaret, Corcyræ ſubſiſtere decrevit; tum quod ibi ſocias claſſes convenire ſtatutum fuerat; tum ne, ſi inde diſcederet, nonnihil de concepta in omnium animis nuper initæ ſocietatis opinione imminuere verebatur; demum ne, inſulis penitus relictis, populos ad extremam pene omnium rerum deſperationem adigeret. Ea de re cum ad Senatum literas dediſſet, in magna trepidatione Patres verſabantur, variaque animis ſubjiciebant, quæ miſerrimam horum temporum conditionem facerent. Hoſtes in Cretam ingreſſos cuncta ferro, flammaque depopulari; noſtrorum exploratis impe-

pedimentis, ad reliqua maritima oppida vaſtanda, ac diripienda properaturos; numero, ac viribus non adeo Reipublicæ claſſem inſtructam, ut pari certamine cum hoſte congrederetur; Hiſpanos aſſueta negligentiæ tabe, atque artibus, neque claſſis in Italiam adventum urgere, neque Italicarum triremium ſubſidiis periculis præſentibus occurrere: vereri ſubinde Patres, ne, ad Corcyram imperatore commorante, detrimenti aliquid Reſpublica acciperet; cum præſertim Marcus Antonius Columna, pontificius imperator, atque Aſcanius Cornius, vir clari in Philippi Regis militia nominis, qui ambo tunc Neapoli erant, Venetam claſsem, Turcica ſeſe inferente, tuto Corcyræ conſiſtere non poſſe exiſtimarent, quod viribus ſuperior hoſtis, ſcopulo adverſo oppido occupato, noſtras undique triremes lædere, ac ne Hiſpanica, Cretenſiſque claſſi conjungerentur impedire poſſet. Itaque Meſſanam maxime ad conſociandas fœderatorum vires opportunam cenſebant: in primiſque id eo aſtruebat Columna, quod ſi fieret, hoſtes in Adriaticum ſinum minime progredi auſuros, ne in reditu a noſtris ad Corcyram expectarentur; alioqui manum felici eventu conſeri poſſe arbitraretur. 1571

Verum Senatus, cunctis mature perpenſis, Venerio ſcribendum cenſuit, hoſte Adriaticum verſus ſinum proficiſcente, Brunduſium peteret; ſin ſecus ſibi, atque præconſultoribus videatur, totum ei negotium ſe permittere; minime vero probare, ut e ſinu redeuntem Turcicam claſsem ad Corcyram fœderati opperirentur, ſed quocumque loco eſſe intelligerent, eo recta contenderent, prælioque decertarent. Ceterum cum Venerius imperator hoſtium claſsem Zacynthum delatam, perque ſpeculatores de numero, copiis, viribus certior eſſet factus, Columnæ, quin etiam Corn[illegible] ſententia intellecta, cum Franciſco Cornelio prætore, Aloyſio Georgio Corcyræ legato, Paulo Urſino, Franciſco Duodo majorum triremium præfecto conſilia init: quid progrediente hoſte, atque in Adriaticum ſe inferente, faciendum eſſet. Re agitata, Hydruntum, quod ibi nec ſtatio ſatis tuta, neque portus clauſus eſſet, improbabatur: Brunduſium, quod ad vires fœderatorum conjungendas minime idoneum cenſeretur, nequaquam placebat. Itaque tandem Meſſanam con-

Mandata Senatus ad Venerium claſſis imperatorem.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 contendere, ibique Hiſpanam, ac Pontificiam præſtolari claſſes ſtatuunt; Baptiſtam Benedictum trierarchum in Cretam ad Quirinum, & Canalium legatos, ut quamprimum Meſſanam conveniant, ſolicitandos mittunt; Gabrielem Canalium, Franciſcum Thronum ad hoſtium progreſſus explorandos proficiſci jubent. Ii Cephaleniam devecti Ficherium portum (ab hoſtibus minime ſe detectos fuiſſe rati) tenent; ab incolis de Turcarum progreſſu, viribus, ac de iis, quæ poſt direptam Zacynthum geſſerant, edocentur. Hoſtes enim e Zacyntho ad Argoſtolium, præcipuum Cephaleniæ portum, devecti, in litus ſeſe ejecerant; proximioribuſque pagis incenſis, diſpalati, excurſionibus, flammis, ferro ſævientes, ingenti jumentorum, atque hominum, qui trium millium ſummam excedebant, abacta præda, claſſem conſcenderant. Trierarchi, viribus, ac conſiliis hoſtium cognitis, iter Corcyram intendunt. Tum Carazzalius, qui cum expeditis ſeptem triremibus, ſeptem paſſuum millium intervallo, ne ſe noſtris proderet, improviſo eos in portu adoriturus detinebatur, in altum progredientes conſpicatus, acriter inſequitur. Thronæ triremis remiges, atque epibatæ inopinato impetu perculſi, cum repente animis excidiſſent, vigorque ille nervorum, atque artuum, quo tunc maxime opus fuerat, elanguiſſet, ſeſe hoſti eripere nequivere. Thronus cum prece, minis, aut verberibus excutere metum, atque trepidationem ex eorum animis non poſſet, captivus una cum triremi in hoſtium poteſtatem conceſſit. Canalius citatiori remigio uſus, incolumis evaſit.

Venerius imperator Meſſanam cum claſſe contendere decernit.

Franciſcus Thronus trierarchus a Carazzalio captus.

Ceterum cum Baſſa ex noſtris captivis Venerium Corcyræ cum ſex ac quinquaginta triremibus, galeatiis ſex eſſe cognoviſſet, nulla mora adhibita, eodem contendit, a tergo triremium manu relicta, quæ inſtauratum fere Pargam oppidum demoliretur; cujus rei Corcyræ magiſtratus certiores facti, incolas demigrare, omniaque inde aſportari juſſerant. Hoſtes deſertum locum nacti, refectas ædes, mœniaque recens extructa ſolo æquavere. Decimo quinto kal. auguſti Turcica claſſis Buthrotum pervenit, cum jam Venerius imperator in Siciliam navigaſſet. Corcyræ præfectis ob egregias munitiones vim nullam pertimeſcentibus, illud tantum cordi erat, ne nobile, ac peramplum ſuburbium, agerque ipſe incendiis, ac direptionibus deformaretur. Huic incommodo ut

Parga a Turcis diruta.

1571 obſiſterent, intra Divi Iſidori, Sanctique Angeli arces, urbis foſſas, atque euripum, quantas maxime poterant hominum, jumentorum, ac ſupellectilis vires cogi mandarant. Verum hoſtium duces cum alia agitarent, in diverſas ſententias ſcindebantur. Nonnulli, celerrime inſequendam Venetam claſſem cenſebant, quam etſi minime aſſequerentur, ſuis tamen rebus maxime proſpectum iri arbitrabantur, ſi felici navigationis curſu Rhegii in Brutiis portum caperent, quo ex portu, ne Hiſpana claſſis, Cretenſeſque triremes Venerio adjungerentur, impedirent. Aliis in Adriaticum ſinum progredi placebat, ut copiis, quæ (ut mox dicemus) in Illyricum, atque Epirum adverſus Venetos deſcenderant, animos adderent. In hac ſententiarum ambiguitate verſantibus, Acmatis Baſſæ, qui in Olchinienſes profectus fuerat, literæ ſupervenere, quibus, niſi accedente claſſe, urbem præſidiis apprime communitam ſuis copiis expugnare non poſſe ſignificabat. Igitur rejectis de profectione in Brutios conſiliis, proras advertere Olchinium ſtatuunt.

Turcarum conſilia de bello maritimo adminiſtrando.

Turcæ Olchinium invadere ſtatuunt.

Conſtantina navis a Turcis capta.

Interea dum & conſulendo, & adverſo vento Buthroti detinerentur, eorum triremes, quæ cuſtodias ad *Merleras*, quas vocant, inſulas obibant, milite, bellico apparatu, nautico pane in claſſis uſum onuſtam, Corcyramque adventantem Conſtantinam navim cepere. Eadem declinante in veſperam die, ſedato mari, Michael Barbadicus, ac Petrus Bertolacius Jadertinus, qui Olchinio digreſſi Corcyram ſuis cum triremibus petebant, e longinquo claſſe inſpectæ, amicitiæ ſignificatione, tormenti diſploſione edita, cum, ut aiunt, pari bombo reſponderetur, noſtros eſſe arbitrati, obviam facti, cum ſero ſe deceptos animadverterent, obverſis proris, fuga ſaluti conſulere fruſtra adnixi, ab aliquot hoſtium triremibus, quæ prope litus ad Divæ Catharinæ conſtiterant, atque in altum ſeſe effuderant, intercluſo itinere, capti ſunt: ingentiſque eam ob rem ignium vi, & machinarum fragore lætitiæ ſigna ea nocte ab hoſtibus edita fuere. Haud abſimilem Mocenica navis, magnitudine & capacitate inſignis, caſtum ſubiit, in qua, præter cetera, octingenti pedites, Joannis Thomæ Conſtantii ductu, Corcyram, binæ Veronenſium cohortes,

Michael Barbadicus, & Petrus Bertolacius in Turcarum poteſtatem perveniunt.

Bona-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 Bonajunctio præfecto, a pernobili illa civitate ad classem mittebantur. Namque in eam a decem Turcicis triremibus impetu facto, atrocique certamine oborto, cum initio nostri egregie se tuerentur, pulsoque hoste, institutum iter tenere contenderent, neque viginti quinque vehementius irruentes propugnatorum constantiam frangere, aut ad vela demittenda compellere potuissent; tandem universa hostium invecta classis, circumquaque tormentorum ictibus verberando, non absque multarum triremium depressione, Turcarumque ingenti strage, navigio potita est. Ducenti e nostis periere, Bonajunctius, qui æger lectulo decumbens, qua atrocior fervebat pugna, deferri voluerat, saucius in hostium potestatem pervenit, ac paulo post ex acceptis in ea dimicatione vulneribus excessit.

Turcæ Mocenica navi potiuntur.

Joannis Thomæ Constantii percelebris virtus & constantia.

Magna, atque incredibilis Joannis Thomæ Constantii audacia fuit, qui vix decem ac septem annorum adolescens, peditum præfecturam gerens, in imperando prudentia, in pugnando fortitudine excellens, dum huc atque illuc discursans animos pugnantibus addit, confestim, Turcis scandentibus, oppleta navi, intrepide dimicans, cruento gladio conspicuus, cum prius improsperi eventus certus, signa a vexilliferis in mare projici, ne in Turcarum manus pervenirent, jussisset, ab hostibus est captus, atque ad Halim Bassam perductus, non multos post dies Selymo dono missus est; qui eximiam indolem, atque ingenium admiratus, percontatus, *Cur ea ætate tantum ausus esset, ut unico navigio potentissimæ ac formidandæ ejus classi obsistere sibi in animum induxisset?* ejusmodi responsum tulisse fertur: *Non aliter sibi pro Christi Servatoris gloria, suorumque Principum obsequio faciundum fuisse.* Inde ad Mehemetem Bassam a Selymo delegatus, ut divitiarum, ac potentiæ spe, præmiorum ostentatione illum pellicere ad Mahometana sacra niteretur; non minus in eo animi certamine, quam in pugna obeunda ingens illius fortitudo enituit, cum nullis nec precibus, nec suasionibus, nec minis flecteretur, atque ex ore suo Christi, Servatoris humani generis, nomen tantum depromeret; Mehemetique verbera, tormenta, necem intentanti constanter caput offerret. Bassa illius interrita, infractaque constantia nil permotus, manibus,

bus, pedibusque jubet injici vincula, ac per vim circumcidi; sed ad ejus mulcendum animum aurea veste indui, capiti splendidum turbinatum pileum, more gentis, superimponi. Ille imperterritus, discissa veste, pileo humi dejecto, ne quam impiæ superstitionis noxam contraheret, unam, tot undique angustiis circumseptus, Christi Redemptoris opem, & auxilium implorat. Eam ob rem Bassa cum iis, qui aderant, admirabundus, privatim tormentorum diuturnitate, ac tædio maceratum de sententia dejici posse, sibi persuadet; ea in re cum frustra laborasset, tandem in regia balnea missus adolescens, in Euxini maris turrim captivus detruditur. 1571

Hostes, validius captivorum præsidio firmata classe, ad Soppoti litora contendunt. Expositis copiis, militum animos, qui Emanuelis Murmuri auspiciis oppidum tuebantur, tentant, donec subductis tormentis, verberationem instituant. Interea Turcarum manus cum scalis ad mœnia usque sese proripit. Scloppis, atque glandium procella res geritur; nemo ad mœnium pinnas impune accedere permittitur. Propugnatores initio acriter se defendunt; verum recenti milite, atque vehementiori assultu petiti, laboribus, vigiliis, vulneribusque confecti, multis amissis, hostes oppidi ingressu prohibere nequivere. Omnes passim cæsi; pauci, qui supererant, fuga saluti consuluere, Acrocerauniorumque ope se hosti subduxere: Emanuel Murmurus præfectus saucius est captus. Turcæ, Soppoto capto, ac milite firmato Aulonem, Epidamnumque celeriter prætervecti, Olchinium, quo eorum jam pervenerant copiæ, petiere. Nuntiis enim de Epirotarum defectione permoti, quam maximas poterant iis in regionibus copias coegerant: Cestriæ, Epidamni, ac Ducaginorum præfecti, consociatis viribus, cum quindecim millium peditum numero, decem majoribus, compluribus minoribus tormentis prope Reipublicæ fines sese intulerant, munitionesque ad Rhizonici sinus fauces, ac Novigradi curipum erigere adnixi fuerant, ne e continenti copida deturis, nostri mari succurrerent. His permoti Patres, ut Epirotas in officio, ac fide continerent, Malamettæ capti o saram Martinengium suffecerant, atque in Epirum miserant. Marcovitæ, qui a Turcis defecerant, angustiis occupatis, hostes

Soppotum a Turcis captum.

Sarra Martinengius militibus in Epiro præficitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 ſtes ab Antibaris aditu intercludere nitebantur. Olchinii milites accolarum auxilio, Cornum, & Diui Georgij fauces inſederant, quibus ex locis, ingruentibus parua militum manu, obſiſti poterat, cum opportune Nicolaus Surianus, Olchinienſium periculo cognito, nouis militibus ex Aſcriuio in urbem invectis, præſidium auxit, aditus arctius intercluſit, cum Hieronymi Piſauri, & Alberti Contareni triremibus, qui circumjecta litora confederant, hoſtes multis detrimentis, atque incommodis adeo affecit, ut licet prope in conſpectu noſtrorum eſſent, ad invadenda, atque oppugnanda Venetorum oppida cominus progredi non auderent.

Nicolaus Surianus ubſidia Olchinium mittit.

Verumtamen adventantis Turcicæ claſſis rumoribus aucti animis hoſtes, noſtros ex anguſtiis dejicere, atque in Olchinienſem agrum aditum ſibi facere adnituntur. Duplici exercitu terra, marique petitam urbem, neque mœnium firmitate, neque aggeribus ſatis munitam, præſidio in dies imminuto, noſtri difficulter tutari poſſe rati, milites ex adituum cuſtodia intra mœnia compellunt, Acmatem, qui cum quindecim millium copiis oppido appropinquaverat, repellere conantur. Italorum, & Gallorum virtute, ex quibus id conſtabat præſidium, oppidanorum ferocia, ac multorum, qui e Scodra, aliiſque locis convenerant, fortitudine ſubmoti hoſtes, nondum mœnia ſubire poterant, cum Martinengius, hoſtili tormento pinna mœnium decuſſa, ruina fere obrutus eſt, ita ut ſenſu linqueretur; qua ex re tantum trepidationis propugnatorum animis eſt injectum, ut, Turcica claſſe in urbis conſpectum prodeunte, cum ancipiti prælio imparem ſe Martinengius cognoſceret, ſpe Olchinii tuendi prorſus dejectus, una cum Hieronymo Venerio prætore de deditione facienda conſilia inierit. Orembejo, Turcici idiomatis interprete Lucenſi a Pertao ad noſtros miſſo, iis legibus pacta deditio, ut militum, atque oppidanorum vitæ, ac fortunis conſuleretur, unicuique abeundi libera facultas eſſet, nulla injuria, aut vis iis, qui manere vellent, inferretur; Epidaurum milites cum armis, atque impedimentis perducerentur. His ſcripto firmatis, Hieronymus Venerius, ac Sarra Martinengius triremes conſcendere. Antonius Brutus, Olchinienſis eques, qui egregiam Reipublicæ ope-

Olchinium a Turcis invaditur.

Olchinium a Turcis captum.

operam in Epiro navaverat, deditionem impugnaverat, Acmatiſque conatibus obſtiterat, ſummam adverſus ſe gentis invidiam veritus, Liburnica conſcenſa, cum in Apuliam transiturus in altum ſe ejeciſſet, a Turcica triremi interceptus, captivus ad Halim Baſſam eſt perductus. Olchinii deditione in caſtris vulgata nimis amplis conditionibus facta, Acmate indignante, e Janizzeris complures propius ad ſtrata tormentis urbis mœnia ſucceſſere; perque ruinas aditum ſibi in oppidum patefeciſſent, ni milites cuſtodiæ a Pertao præfecti, quibus conſulto quoſdam e noſtris militum præfectos, atque incolas intermiſceri juſſerat, donec novum ex militari præſcripto præſidium inſtitueretur, obſtitiſſent; ac Janizzerorum præfectus Olchinienſes adverſus pactas conditiones nulla in re lædi permiſſurum pollicitus, cum pluribus e ſuis urbe excipitur. Id cum reliquis patefactum eſſet, impetu facto, per fatiſcentia mœnia (an cuſtodiæ militibus permittentibus incertum) irrumpunt; obvios quoſque abſque diſcrimine obtruncant, cuncta diripiunt, igne in ædes graſſantur, licet non palam concedente, attamen permittente Acmate, inter quem, ac Pertaum eam ob cauſam multa irarum ſemina ſuborta ſunt. Hieronymus Venerius, ac Sarra Martinengius tantum cum duodecim e ſuis incolumes evaſere.

1571 *Antonii Bruti Olchinienſis virtus in patria protegnda.*

Turcæ, fide violata, Olchinium diripiunt.

Olchinio capto ac direpto, in Antibaris conſpectum ſe Pertaus dedit: militibus, ac tormentis in litus eductis, per Orembejum Alexandro Donato prætori literas mittit, quibus ad urbem tradendam hortabatur. Is libenter ſe cum Orembejo collocuturum reſpondit; qui, Pertao jubente, prætorianis quibuſdam ſtipatus ad urbis portas accedit; a Joanne Guidiccionio, Lucenſi, præcipuo militum ejus loci præfecto, prætoris verbis in urbem invitatur. Epirota quidam centurione a noſtris obſide relicto, ingreſſus ſecretoque de facienda deditione cum Donato colloquitur; in id conveniunt, ut poſtridie ſuam illi mentem prætor ſignificet. Guidiccionius miſſus, qui, vita ac bonis conſervatis, unicuique diſcedendi facultate permiſſa, deditionem pacifceretur. Ex condicto Orembejo denuo Antibarim introducto, dum concordiæ leges deſcriberentur, Acmatis in propinquos ſe agros inferentis tentoria conſpiciuntur; inde majori metu Donatus per-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571

Alexander Donatus turpi deditione Antibarim in Turcarum potestatem relinquit.

Joannis Bruni, Antibaris Episcopi, opera, ne civitas Turcis traderetur.

Alexander Donatus a Decemviris exilio damnatus.

Butua à Turcis diruta.

perculsus, e vestigio pacta concordia, urbe egreditur, non sine ingenti periculo, ne una cum Orembejo a furenre milite, atque oppidanis interficeretur; plerisque e civibus, ac militibus repentinam, ac turpem deditionem detestantibus, quos Joannes Brunus, Antibaris Antistes, Antonii Bruni affinis, summa in religionem pietate, magna in Venetos fide, ad hostium impetum fortiter sustinendum, neque per metum atque ignaviam hosti deditionem facerent, vehementi dicendi ardore incitaverat. Verum Orembejus, solerti astu infimæ plebis ingluviem, frumenti ac commeatus horreis reseratis, permulcere adnixus, una cum Donato, ac militibus, pauciſque aliquot civibus evasit: captivum Antistitem hostes fecere. Donatus ob rem perperam, atque ignave gestam bonorum publicatione, perpetuo exilio, nobilitatis amissione a Decemviris est mulctatus. Turcæ, Antibari munita, Spizzæ, castri edito loco prope litus siti mœnibus complanatis, Butuam ab Augustino Paschalico prætore, militibus atque incolis relictam, oppidanis se dedentibus, occupavere; leges eorum, ac privilegia sarta tectaque servare polliciti. Verum, abscedente classe, infirmum atque exile oppidum ægre defendi posse earum regionum Sangiacus ratus, ad diruenda mœnia, domos solo æquandas, oppidum diripiendum se contulit. Neque aliquod libidinis, avaritiæ, necis, captivitatis genus fuit, cujus vestigia in oppidis, urbibus, agris, tectis, innoxiisque populis impressa truculenti, ac barbari hostes non reliquerint.

Antonii Balbi & Curzolenſium mulierum pulcherrimum facinus.

Neque tot funestis cladibus, atque incendiis exsaturati, Vluzzalium cum triremibus sexaginta altius se in Adriaticum inferre, atque ad Pharum usque pertingere jubent. Quoad *Curzulam*, quæ olim Corcyra nigra dicebatur, devecto, Antonius Balbus prætor, atque oppidani ingenti adeo timore correpti sunt, ut uxorum filiorumque prorsus obliti, noctis silentio deserto oppido, in prærupta, atque impedita loca profugerent. Virorum vero ignavia, mulierum, quæ in urbe remanserant, fortitudinem, atque audaciam excussit. Nam, virili sumpto habitu, atque arreptis, quæ homines projecerant, armis, incredibili prope, atque in omnem posteritatis memoriam exemplo ad mœnia tuenda, quæ

1571

quæ jam, triremibus propius admotis, quati ab hostibus cœperant, convolarunt, eosque egregiæ invictæque virtutis constantia repulere. Antonius Balbus prætor, quod oppidum hosti reliquisset, a Decemviris Pharum deportari jussus est. Iisdem cladibus Turcæ, suburbiis exustis, compluribus vel cæsis, vel captis, Curzolam affecere, in Lissam, & Scoltam insulas crudeliter quoque, nisi vento repulsi fuissent, debacchaturi. Illud sane hoc loco, non absque piaculo prætermiserim, ex Phari incolis, qui in saltus, ac montuosa loca se receperant, mulierem extitisse, quæ cum lentiore ceteris gradu Barbosam montem, ex Turcis quodam insequente, peteret, prominentiorem rupem conscendit, quod tuto loco consistere sibi videretur, neque ob saxorum procellam, quæ ab ea jaciebantur, eo se se tollere posset hostis; qui contumeliosis verbis, atque conviciis illam est aggressus. Irarum æstu mulier percita, funda circumjecta, tanto impetu lapidem in Turcam excussit, ut fronte ictum prosterneret, statimque desiliens ipsiusmet gladio caput impavida præcideret.

Turcicæ classis in Adriaticum adventu excitatis hostibus, qui in Epiro atque Illyrico mediterranea Venetorum finibus loca proxima insederant, Cliuni præfectus valida manu e Clissæ jugis descendens, Salonæ turrim invasit. Ejus custodiæ Vespasianus Stimilianus, & Gaspar quidam Mediolanensis centuriones cum idoneo ad Turcas repellendos præsidio præerant; quod ii minutis tormentis, majore duodecim tantummodo librarum pondus excutiente, uterentur. Verberatione cœpta, Massella quidam, gregarius miles, pretio corruptus, cum hoste de prodendo oppido agere cœpit. Ejus rei rumor cum ad Spalatum, propinquam urbem, pervenisset, Junius Pompejus, illius loci militiæ præfectus, biduo postquam ad Salonam confederat hostis, e selectis fidisque militibus coacta cohorte, maritimo itinere properat ad oppidum contendit. Extento vexillo (ut moris est) amicitiæ signa exhibentem hostes, qui jam turrim occuparant, sclopis, ac tormentis consalutavere. Itaque Vaivezam se recipere coactus, Spalatum regreditur. Eadem die Gaspar, Turcarum more, egregio amictu ornatus, superboque insidens equo, a præfecto ad Saxum, situ, atque opere munitum oppidum, cui

Salona proditione in Turcarum potestatem pervenit. Junius Pompejus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 cui Antonius Barberius centurio præpositus erat, sistitur, prece, ac suasionibus Barberium ad deditionem impulit. Eorum, qui in Salona, & Saxo erant, militum pars Spalatum se contulere, alii ab ipsismet facinus aversantibus hostibus laqueo necati, infandi criminis pœnas dedere.

Saxum ab Antonio Barberio Turcis traditur.

Hæ tot tantæque clades cum aliæ super alias Venetias nuntiarentur, vix dici potest, quantus civitatem mœror, quanta perturbatio invaserit. Omnes maritimas Adriatici sinus oras infestari; mortales passim in servitutem abripi; urbes, occupari; jam ferme aperto mari neminem se committere audere: ut vererentur plerique, ne usque in Istriam sese proriperet hostis, atque insolenti elatus fastu, barbaraque superbia tumidus, in conspectum se urbis daret: cui etsi nihil timendum esse vel egregio, ac munitissimo situ, vel insistente a tergo nostrorum classe, videretur, cum diutius se sinu Adriatico non absque ingenti periculo contineri Pertaus posset; attamen, ne difficillimis temporibus quidquam prætermitteretur, ad reliquas solicitudines, muniendorum quoque litorum, quæ civitati objecta sunt, curam Patres adjunxere.

Senatus urbis litora munire decernit.

Venetarum paludum descriptio.

Extremum hunc Adriatici maris recessum tenue litus ambit; a tergo vastæ paludes cum maris æstu, tum fluminum exoneratione confectæ insident, quas a sævientibus maris procellis, seseque attollentibus fluctibus, ex arenæ cumulis aggesto munimento, natura defendit; hominum industria maximis saxorum, vallorumque obicibus tuetur. Paludum vada variis anfractibus canales distinguunt, qui venarum instar per universum corpus diffunduntur. Curvatum hoc litoris dorsum pro muro urbi est; atque ab Athesis ostio usque ad Anaxi amnis fauces pertinet; passuumque millibus triginta in longitudinem protenditur. Quinis in locis interciſum infundenti se pelago sinum pandit: inde tuti in portus receptus, egressusque in altum patent. Ex iis portubus (cum reliqui vel fluminum alluvione, vel maris æstu fere interierint) duo erant aquarum altitudine, & capacitate insignes, qua negotiatores vel ad urbem commearent, vel solventes provincias, regionesque peterent: alter a pervetusto templo in litore sito Divi Nicolai appellatus; alter a propinquo oppido, Venetorum olim Principum sede, aqua-

aquarum vi dejectæ, ac demersæ vestigia referente, Metamauci est nuncupatus. E regione Divi Nicolai opere egregio, admirabilique artificio arx constructa, ac munita inspicitur; concamerationum ordinata serie ex aqua extantium ita distincta, ut in earum singulis dispositis tormentis, si qui fauces per vim ingredi conentur, ingentium pilarum displosione deprimi, ac demergi possint. Tutandorum litorum cura summo cum imperio Vincentio Mauroceno commissa est. Senatorii ordinis adlecti sex, qui eidem, quacumque in re opus esset, præsto forent, Daniel Venerius, Marcus Justinianus, Hieronymus Contarenus, Franciscus Michaelius, Laurentius Superantius, Andreas Bernardus Sebastiani filius. Castello quod portui imminet Aloysius Grimanus est præfectus. Alexander Bonus, marcius Procurator, ad Fossam Clodiam cum summa auctoritate proficisci jussus; Andreæ Bernardo, Francisci filio, commeatuum cura demandata est.

1571

Vincentius Maurocenus litorum munitionibus cum imperio præficitur.

Julio Saorniano, cui in litoribus militare imperium patres detulerant, ac Brunoro Lampesio, bellicarum rerum scientissimo, ad se vocatis, de tuendorum litorum ratione a Mauroceno consulitur. In primis militum præsidiis, tormentorumque libratoribus castello ad Divi Nicolai portus fauces firmato, transversam crassiorem catenam ad oppositum litus duci placuit, qua penitus adeuntibus ingressus obstrueretur. A tergo in interiori parte tres Galeatiæ, triremesque nonnullæ magno omnis generis tormentorum numero, quibus in portum irrumpere conantes arcerentur, sunt constitutæ. Ad Metamauci portum munitionem, e cæspite & gleba fronte, quæ ipsum oppidum spectabat, obstructa, qua Venetias obvertebatur, patentem erigendam curarunt. Reliqui portus & minori aquarum profunditate, & sinuosis, tortuosisque canalium flexibus tutiores exigua opera indigere videbantur. Custodiæ militum diversis opportunisque locis adhibitæ: ducenti præterea cataphracti equites e continente in litus evocati; reliqui ad oppidum Mestre coacti, ut, si occasio posceret, se se statim in litus inferrent. Fabius inter eos Nepoli, Bononiensis, studium, atque egregia voluntas in Rempublicam enituit, qui sponte cum quadraginta ex illius nobilitatis flore, atque haud exigua militum manu Reipublicæ

Julius Saornianus militum in litoribus præfectus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 præclaram operam navavit . Perpetua quoque , ac lata ſemita , qua ultro , citroque ab una ad alteram ſtationem commeare pedites equiteſque poſſent , perducta ; tranſverſus agger in Divi Nicolai litore , ab ea parte , quæ paludes reſpicit , uſque ad mare egeſta humo , extructus , introrſum ad propugnatores excipiendos patens , exterius compactis in morem dentium ſudibus communitus , in medio propugnaculum undequaque abſolutum ; in extremis marginibus dimidiatæ munitiones erectæ , quæ utrinque tranſverſos aggeres , mediumque propugnaculum protegerent . Octangulari quoque forma certis locis , qua majoribus navigiis aditus patere non poterat , in ſtagnis munitiones conſtitutæ , tormenta diſpoſita , quibus undequaque aditus intercluderetur . Eorum operum pleraque ex terra pro tempore confecta , vel potius inchoata , paulo poſt , Antonio Theupolo , Andrea Bernardo , & Jacobo Contareno , ex Decemvirum decreto , curantibus , tutiora , atque aptiora reddita ſunt . Hac ratione litoribus munitis , ejuſmodi erat Julii Saorniani conſilium , ut quatuor peditum millia medium inter Divi Nicolai , ac Metamauci portus ſemet ſtatuerent , quo expeditius in omnes ſe partes ejicere , opemque rebus poſcentibus ferre poſſet .

Hoſtes interea , cum claſſe Neocaſtrum ad Rhizonici ſinus fauces ſe contuliſſent , de Aſcrivio invadendo diſſentiebant . Acmates maritimis viribus in ſinum penetrandum , atque terreſtribus copiis robur addendum cenſebat : Halis , ac Pertaus ſecus arbitrabantur , veriti , ne , conſociatis fœderatorum claſſibus , in ſinus anguſtiis intercepti , exitu prohibiterentur . Ea cum probaretur ſententia , Uluzzalio ad claſſem reverſo , recta omnes Aulonem delati , ibique navalium ſociorum numero , ac militibus refecta claſſe , Corcyram iter direxere . Ad Paxon devecti , explorari in primis Corcyræum euripum jubent ; inde cum Buthrotum tenuiſſent , duces inſulam circumvecti , ſitum , ſtationes , promontoria diligentiſſime contemplantur . Corcyræ vero magiſtratus de hoſtium adventu certiores facti , ut incolæ in tutiora loca ſe recipiant , edicto cavent . Georgius Murmurius , qui inſulæ regionem in occidentem verſam equitum ala tutabatur , cum claſſem euripum verſus ſub veſperam progredi animadvertiſſet , ad Govinum por-

Turcarum duces Corcyræ munitiones explorant .

portum quinque paſſuum ab urbe millibus , ut quammaximis 1571
poſſent Corcyræos cladibus afficerent , piraticas ſummo mane venturas ratus , cum die noctuque nullo intermiſſo momento temporis equitaſſet , ante ſolis exortum prope eam ſtationem ſe in inſidiis collocavit ; atque (ut ſibi perſuaſerat) nonnulla a reliqua claſſe , quæ Buthroti conſtiterat , navigia ſeceſſerunt . Horum duo , quibus Turcarum maritimus imperator vehebatur , ſe uſque ad Maripetrum ſcopulum proripuere , inde ſtationem , quam *Mandracchium* vocant , Divi Iſidori arcem , foſſaſque urbis ingenti hominum multitudine , atque impedimentis oppletas intuitus , eam oppidi partem perluſtravit ; reliqua Caracozæ , Caſſani Baphi , & Saramenſium inſignium piratarum erant ; qui cum ad Govini vineta exſcendiſſent , Baphus tribus ſtipatus ſociis in noſtrorum inſidias incidit , e quibus erumpens Murmurius hoſtes acriter eſt inſecutus . Verum cum ii diſpalati eſſent , noſtri equites a prima luce jejuni ſub armis defatigati ſtetiſſent , difficulter per inextricabilia conſita vitibus loca ſeſe explicare , atque militaria munera obire poterant . Baphus tamen cum ſociis vivus in noſtrorum poteſtatem pervenit : erat is Corcyræus genere , e Baphorum familia , qui a chriſtiana religione deſciſcens , acerrimus patriæ hoſtis evaſerat .

Baphus , Corcyræus pirata , a Georgio Murmurio captus .

Id cum a Turcis cognitum fuiſſet , de eo redimendo cum noſtris agunt , cumque nihil proficere potuiſſent , Baſſa eodem momento e Buthroto in altum delatus , explicatis atque in eminentiori triremium parte locatis ſignis , ingenti bellicarum machinarum ſtrepitu ad Maripetrum ſcopulum ſe intulit . Dum in arcis conſpectum veheretur , e muralibus tormentis ingentes globi , irritis tamen , brevibuſque ictibus ob libratorum imperitiam , excutiuntur . Id aſtu factum ſuſpicanti hoſtes , quo propius ad mœnia ſuccedentes vehementius affligerentur , anchoras trans Abramum jecere ; copias in litus expoſuere . Tunc majoribus tormentis , ac colubris centum pondo emittentibus verberari hoſtilis claſſis cœpta ; qua in re Zachariæ Sclavinæ , navalium tormentorum Venetiis cuſtodiæ præfecti , virtus ac diſciplina magno ului fuit , ut non abſque inſigni detrimento claſſem abducere citra paſſus circiter mille Turcæ cogerentur . Qui in litus exſcenderant , ſubur-

Zachariæ Sclavinæ tormentorum tractandorum peritia .

bium

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 bium aggrediuntur. Id quamvis nullo protectum munimento defendi ægre poterat, attamen Aloysius Georgius legatus, vir impiger, cui vividum per bonas artes excultum ingenium, multa ad communem utilitatem, & dignitatem suppeditabat, Philippum Ronconium præfectum cum peditibus ducentis in suburbii extrema parte submittit; illum alteri totidem ab oppido subsequuntur. Sed cum magis magisque numero augeretur hostis, Ronconius dimicando usque ad planitiem pedem refert. Ibi, alia peditum emissa manu, exceptus, densata acie, incumbentes Turcas fortiter sustinuit, qui in planitie amplius congredi non ausi, circumjectas domos flammis adoriuntur. At disploſis ingenti strepitu ex arcibus tormentis, haud exigua illis damna illata, quibus repente obortus horribilis terræ motus, qui cuncta momento quassare, ac disjicere cœperat, accessit; ut eo ostento perterrefacti, suburbio relicto, nondum inalbescente die, properanter classem conscenderent.

Aloysij Gorgii in Corcyrensibus suburbiis defendendis strenuitas.

Postridie majori numero denuo in litus ejecti, acriori impetu suburbium adoriuntur; eodem tempore sexcentis e Delvino equitibus, ac peditum valida manu emissa, ut Sancti Angeli castrum, quo quatuor hominum millia se receperant, aggrederentur. Vota eventus fefellit: qui palantes ad vicos incendendos vagabantur, domos, incolis in tutiora loca dilapsis, vacuas invenere: Angelocastrum frustra tentatum; qui flammis in suburbium sævire statuerant, cominus cum nostris militibus gladiis depugnare coacti, male habiti, inferiores in certamine partes tulere. Franciſci Cornelii, qui tunc præturam gerebat, & Aloysii Georgii legati, & Pauli Ursini militiæ præfecti constantia, atque animi impavida vis emicuit, qui neque numero hostium, neque totius Turcicæ classis adspectu commoti, oppidi occludi portas nequaquam passi, coacto agmine, cunctos ad pugnam incitabant; qua opus erat, opem ferebant; cives, atque incolas ad patriam tutandam impellebant. Id adeo indigne Pertaus tulit, quod eo nonnihil de sui Regis dignitate atque amplitudine detractum videretur, ut abscedere, nisi asuetæ crudelitatis impressis vestigiis, inglorium existimaret. Quocirca phana succensa; in præcipuis semitis insi-

Turcæ terræmotu repente oborto perterrefacti.

insignia ædificia diruta; succisa propinqua urbi vineta. Ex Turcis mille circiter cæsi, e nostris duodecim tantummodo interfecti, septuaginta vulnerati feruntur. Hieronymus Diedus consiliarius, prompto atque expedito ingenio, qui veteri arci præerat, cum hostilem classem in anchoris consistere sub tormentorum jactum ferre non posset, machinis aliquot a Sclavina sublatis excussisque, hostes ad quatuor passuum millia regredi coegit. Eo in loco e suburbio discedentes convenere; digressaque classis Buthrotum tenens, Nicopolim inde, mox Naupactum concessit. 1571

Turcæ Corcyram fœdè incendunt. Hieronymi Diedi virtus.

Ejus discessu etsi trepidatione civitas soluta esset, qua in Adriaticum sinum adventante, correpta fuerat; attamen gravissimis curis Patrum mentes agitabantur; quandoquidem æstate inclinante, nondum fœderatis conjunctis viribus, omnis feliciter rerum gerendarum spes evanesceret; quod classis legatis, qui Cretæ detinebantur, properare in occidentem jussis, ne, ullo subsidio illato, Tamasus tandem in hostium potestatem concederet, vererentur. Itaque tot molestiis id reliquum ruentibus pene rebus perfugium rebantur fore, ut Joannis Austriaci adventum in Italiam enixe urgerent, atque in id potissimum incumberet, Pontificem solicitarent. *Eo suadente* (ajebant) *consiliis pacis abjectis, Senatum ad bellum animum traduxisse; publicum decus privatis commodis antetulisse; jam diu expetitam christianorum Principum in communem hostem socia arma convertendi, oblatam opportunitatem corrumpi noluisse: quidquid virium, quidquid nervorum in Republica esset, contulisse: non potentissimi hostis superbiam; non prævalidas vires; non pericula exhorruisse; an vero, quæ fœderis legibus continerentur, reliquos præstare? matura, ac prope confecta æstate, nondum classes convenisse, Turcas in sinu Adriatico Venета litora incendiis, rapinisque deformasse; oppidum urbesque cepisse; innumeros mortales captivos deduxisse; quid reliquum tot malis cumulum supereſſe, nisi ut Tamaſo potiantur? Huccine igitur ingentem in hominum animos conceptam de fœdere opinionem cecidisse, ut inanes tot civium spectatores essemus? itane cum christiana republica recte actum existimari, si turpi cunctatione victoriæ fructus interciperetur? Nulla tot*

mala

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *mala ſanari ope poſſe, quam ſi unanimi conſenſu, ac conatu hoſtis invaderetur; prælio fortiter, feliciterque inito, & in poſterum ſecuritas chriſtianæ reipublicæ pararetur, & Cyprus ex ejus manibus eriperetur.* His Pii animus vehementer commovebatur; quippe qui & vicem Reipublicæ doleret, & in dies ſeſe ſuſtollentibus hoſtium auſis angeretur. Quapropter omnem operam, ac ſtudium Venetis polliceri, Joannem Auſtriacum crebris nuntiis urgere, nihil prætermittere, quod communibus rebus profuturum intelligeret.

Alexandrini Cardinalis cum Philippo Rege officium.

Sub id quoque tempus Michael Cardinalis Alexandrinus in Hiſpaniam pervenerat, perhonorificeque Madriti exceptus, Pii litteras gravi atque accurata oratione ſubſecutus, *Nihil antiquius Pontifici*, inquit, *quam ut percuſſum Dei Optimi Maximi beneficio fœdus corroboraret, ut non nomine tenus, ſed re ipſa hoſtibus formidandum evaderet: Regem proinde rogare, ut in re tam præclara, atque eximia, qua nulla vel ad chriſtianam rempublicam augendam, vel ad ſui nominis famam propagandam illuſtrior objici poſſet, omnes curas, cogitationeſque defigeret: cuncta ſane ſibi ab eo Rege Pium polliceri, qui pietate a majoribus, tanquam per manus tradita inſignis, Catholici titulo fulgeret: quem licet per ſe ad gloriæ curſum incitatum, nullis adhortationis ſtimulis egere, optime noſſet; attamen ſui muneris cenſuiſſe, quæ chriſtianæ reipublicæ hoc tempore neceſſaria forent, cum eo communicaret; quod ſane officii genus ſi præſenti obire liceret, nihil in omni vita optatius, nihil ei jucundius accidere poſſet: ſed cum ætate ingraveſcente, ac ſenio, minime id illi permitteretur, quem ex ſorore nepotem veluti filii loco haberet, potiſſimum ad eum deſtinaſſe, ex quo intimos ſenſus, atque conſilia ad unicum reipublicæ ac religionis decus ſpectantia pernoſceret.* Ad ea Philippus reſpondit: *Egregio ſemper ſe in rempublicam chriſtianam animo extitiſſe, ictoque fœderi nulla in re defuturum: Joannem Auſtriacum cum claſſe in Sicilia hyemare juſſiſſe, ut vere inſequenti ad ea, quæ Romæ decernerentur, perficienda promptior atque expeditior eſſet: interim non ſtudium, non operam, ut Maximilianum ad ſocietatem ineundam impellat, prætermiſſurum; idque cum antea ſæpius per literas egerit; modo per Petrum Faſciardium, quem in Germa-*

Philippi Regis reſponſum.

Germaniam proficiſci juſſerat, acturum, ut de illius animo, ac voluntate edoctum, auxiliorumque ſpe allectum, facilius permoveret. Hæc Philippus. 1571

Veneti Maximil. Cæſarem ad ſocietatem traducere niruntur.

Senatus eodem tempore maxime enitebatur, ut, quacumque ratione Cæſare ad ſocietatem traducto, terra marique laceſſitus, atque in varias partes diſtractus infirmior redderetur; Pannonicoque bello occupatus, ab iis, quæ in Illyrico adhuc ſupererant, abſtineret. Id ipſum ut a Pio efficeretur, poſtulabat, cujus nomine Joannes Franciſcus Commendonus Purpuratus ad Maximilianum profectus, nihil, ut illius ad fœdus amplectendum mentem flecteret, prætermittebat. At Cæſar in partes varias rapiebatur, ac per ſingula in graviſſima re momenta animum verſabat; hinc egregia perpetuo invadendi hoſtes opportunitas, injuriæ ſæpius acceptæ, ſpes eorum, quæ ſibi adempta fuerant, recuperandi, latiuſque imperii proferendi fines incendebant: inde impares vires; Germanorum in Turcicum bellum parum inclinatæ mentes; ne aliquando dirempto fœdere, univerſum belli pondus in ſuas ditiones incumberet, metu removebatur. Ea cum per Reipublicæ legatum Senatui ſignificarentur, ut nutantem animum præclare rerum gerendarum ſpe inflammaret, re prius cum Pontifice ac regiis communicata, arma in Turcam convertenti viginti peditum, quatuor equitum millia ex fœderatis copiis pollicetur: eas majori chriſtianæ reipublicæ utili majori hoſtibus detrimento iis in regionibus futuras, quæ maritimis in locis tentanda eſſent, triginta peditum millibus confici poſſe exiſtimans. Verum Cæſar, Budenſi purpurato ad pacem cum Selymo ſervandam cohortante, Turcarum arma, quæ nuper infauſta, atque infelicia expertus fuerat, veritus, cum primum ſpe, mox cunctatione Pontificum, ac Venetum legatum detinuiſſet, tandem belli conſiliis depoſitis, Pannonicam penſionem Byzantium mittere ſtatuit. Commendonus vero, Germanica legatione confecta, in Sarmatiam contendit, atque, ut Sigiſmundum ad bellum impelleret, cunctis ingenii nervis adhibitis, cum nihil ex univerſi regni concilii ſententia decerni quidquam poſſe liceret, ac Sarmatæ ab armis in finitimum, ac potentiſſimum Regem inferendis abhorrerent, inanis ejus quoque legationis fructus fuit.

Joannis Franciſci Commendoni Card. cum Cæſare officia.

Joannis Franciſci Commendoni in Sarmatas legatio.

Dum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 Dum hæc fiunt, de Turcarum ex Adriatico ſinu egreſſu nuntiis (ut diximus) Venetias perlatis, Mauroceno in urbem reverſo, belliciſque tormentis in navalia illatis, milites ſex majoribus triremibus, atque onerariis imponi, ac quam celerrime ſe claſſi adjungere, Senatus juſſit. Philippo Bragadeno, ſinus cum ſummo imperio præfecto, injunctum, ut undique triremibus, ac quotquot poſſet navigiis conquiſitis, triremibus quatuor, biremibus totidem illius cuſtodiæ relictis, eodem contenderet; atque ut militum numero claſſis augeretur, Proſperum Columnam Neapolim proficiſci, ibique ut mille peditum delectum haberet, decretum. Ad Regulum quoque Atrienſem datæ literæ, ut quotquot poſſet ex iis ditionibus milites ad claſſem perduceret, qui ſtatim non modo eorum, quos Joannes Antonius filius præſtare tenebatur, numerum explevit; verum quadringentos quoque adjecit.

Philippus Bragadenus: novis inſtructis triremibus, ad claſſem mittitur. Proſper Columna & Atrienſis Princeps militiæ Venetæ adſcripti.

Interea claſſi Venetæ, quæ jam Meſſanam appulerat, Pontificiæ, Hetruſcæ, ac Melitenſes triremes ſe adjunxerant, Joanniſque Auſtriaci adventus ſummo omnium deſiderio expectabatur; cujus moræ impatiens Venerius mirum in modum angebatur, quod nihil agendo hoſtium clades noſtris illatas otioſus intueri, neque quidquam tanto apparatu, aut fœderis fama dignum aggredi, Hiſpanorumque auxiliorum expectatione ſuſpenſus meliorem anni partem conſumere cogeretur: præclaram ſibi dimicandi occaſionem eripi, ex qua & maritimum Venetorum imperium, & chriſtianæ reipublice decus & incolumitas penderet, indigne ferens. His graviſſimis curis ea quoque moleſtia acceſſerat, quod cum Tropiam, in Salentinis urbem, cum triremibus triginta acceſſiſſet, repente oborta tempeſtate, notoque furente, ſex, quæ reliquis minus expeditæ erant, litoribus impactæ, disjectæ fuerant; quarum jacturam infauſtus alter eventus conduplicavit: nam cum Franciſcus Gritus ad naufragii reliquias colligendas a Venerio miſſus, ceteris perfractis, Joannis tantum Mocenici trireme abſtracta, remiges, machinaſque in amico ac fœderato ſolo recuperaſſet; dum tormenti bombo claſſiarii ad conſcendendum evocarentur, in cadum tormentario repletum pulvere, quem parum ſolers librator apertum reliquerat, igne delapſo, momentoque ad cellam, qua ejus generis mate-

Venetæ triremes Neapolitanis litoribus impactæ.

materia aſſervabatur, delato, adeo vehemens atque horribilis flammæ vis repente exarſit, ut remigi, ac militi ſpatium 1571
ſeſe, ut vitæ conſulerent, in altum projiciendi vix relinqueretur, triremiſque partim igne abſumpta, partim profundo merſa deperiret: quo tempore Alberti quoque Contareni triremis, Meſſana Panormum navigans, procelloſo mari agitata naufragium perpeſſa eſt. Venerius, nautica turba in aliis triremibus impoſita, tempeſtate jactatus Meſſanam revertitur.

Joannes vero Auſtriacus Barchinone tandem ſolvens, cum triremibus ſeptem ac viginti, quibus Hiſpanorum peditum quinque millia vehebantur, Genuam pervenit. Ibi pauliſper moratus Neapolim perrexit, magnoque apparatu, ac regia pompa urbem ingreſſus, decimonono kal. ſeptembris fœderis vexillum a Pio miſſum ſolemni ritu ſuſcepit; undecimo kalen. digreſſus, decimo Meſſanam appulit. Sebaſtiano Venerio Venetæ claſſis, Marco Antonio Columna pontificiarum triremium imperatoribus obviam procedentibus, ingenti tormentorum fragore, campani æris pulſu, timpanorum ac tubarum clangore, hominumque plauſu excipitur; ſtatimque incredibilis adeo lætitia cunctorum animis eſt illapſa, ut, præterito mœrore depulſo, jam jam felicioris fortunæ eventus mente præſagire, ac præcipere viderentur. Erant in Joanne Auſtriaco, regio juvene, quem Carolus V. Cæſar ex Belgica muliere, excellenti forma & illuſtri loco nata, ſuſceperat, vel ad amplitudinem & gloriam, vel ad hominum in ſe rapiendos animos, omnia excelſa & egregia: oris eximius decor, animi præclara virtus, expeditum ac promptum ingenium, militariſque laudis appetens; qui licet nondum quartum ac vigeſimum ætatis attingeret annum, ſermone tamen ſenilem quandam gravitatem ac prudentiam præferret, cunctoſque ingenti ſpe commotos in ſui admirationem converteret; cum præſertim tam præclaram & publicæ & propriæ propagandæ gloriæ, & augendæ fortunæ occaſionem prætermiſſurus non videretur, quod nullum ex ſuis ditionibus Carolus illi teſtamento legaſſet, ſed Philippo fratri moriens tantum commendaſſet: quem Tunetanum in regnum, quæque illi in oriente loca obtigiſſent, pollicitum fuiſſe ferebatur. Uſu præſtantium, atque ob res bello geſtas inſignium virorum

Joannis Auſtriaci adventus.

Joannis Auſtriaci elogium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 rum consilio, singulari ornatum dignitate & auctoritate regium juvenem vallandum Philippus censuit; inter quos fuere Bernardinus Requesenius, Castellæ major Commendator; Alvarus Bacianus, Sanctæ Crucis Marchio; Joannes Cardonius, Picii Comes; Antonius Auria, Carolus Avalus, quibus mox Suesanus Dux, ac Ferdinandus Lofredius Trevici Marchio, accesere. Ex horum sententia de gravissimis rebus decernebat. Statim vero ac Austriacus in Italiam venit, Michaelem Moncatam, regium consiliarium, ad Senatum misit, qui de sui itineris ratione Patres doceret, deque Reipublicæ in eum fiducia gratias ageret, simulque omne studium, & operam, in hoste vincendo ac debellando enixe adhibiturum polliceretur. Dum fœderati Mesanæ; Turcæ Naupacto cuncta ad bellum necessaria comparant, classes instruunt, ad prælium se expediunt; in oriente cum diu summo conatu Tamasum Turcæ oppugnassent, ea tandem sunt potiti.

Michael Moncata a Joanne Austriaco ad Venetos mittitur.

Etsi ea, quæ in Cypro insula contigere, ejusmodi sunt, ut acerba recordatione nondum coalita ex illius amissione vulnera recrudescant; attamen quoniam historiæ seriem sequentibus, Tamassi oppugnatio, atque obsidio, a nobis literis est mandanda, minime vereor, ne, dum in plurimis, ac gravissimis rebus, quæ hoc bello accidere, posteris tradendis operam impendo, quasi e via deflexerim, meum studium aliquis carpere merito possit: fortissimorum enim virorum memoria, clarissimorum ducum virtus, invicta in ea civitate usque ad extremum spiritum tuenda nostrorum constantia, oppugnandi, propugnandique artes, astus, consilia scriptorum monumentis sunt consignanda. Ac sane inter præcipuas, quæ vel hac tempestate, vel superioribus ætatibus obsidiones acciderint, non abs re hanc retuleris; sive urbis situm, munitionemque spectes; sive numerum, genusque hostium, tormenta bellica, arma ab iis excogitata, atque inventa intueare; sive propugnatorum paucitatem, die noctuque exantlatos labores, famem, sitim, atque eorum, quæ graviora mortalibus perraro eveniunt, tolerantiam consideres.

Ceterum ut ea, quæ dicentur, commodius percipi possint, de Tamasso urbe (*Famagusta* vulgo dicta) breviter quædam perstringenda sunt, & iis, quæ superius commemoravimus, ad-

Tamassi situs & opes.

addenda. Jacet ea civitas in extrema insulæ regione, qua ad 1571
orientem vergit, inter duo imparia promontoria Carpathium. & Pedalium, quorum nunc alterum *Sancti Andreæ*, alterum græce *caput* appellatur. Hanc Salaminam, vetustate percelebrem, post eversam Trojam a Teucro conditam, nonnulli arbitrantur, qui ab Telamone patre, quod Ajacis fratris necem inultam passus fuisset, ejectus, novam hanc urbem, patriæ retento nomine, excitarit. Ea postea ab Augusta quadam Imperatoris filia, cujus ævo nomen interiit, *Famagustam* nuncupatam ferunt: licet alii (ut paulatim mortalia cuncta tenebris involvuntur) secus existiment, Salaminamque eam esse putent, quæ olim Constantia, hodie *vetus Famagusta* appellatur, quatuorque ab urbe passuum millibus distat, ut ingentes reliquiæ, ruderaque testari videntur. Plano, & demisso litore sita est, qua mare spectat; molli clivo deprimitur: duorum millium trecentum ac quinquaginta passuum interiori ambitu spatium amplectitur: quadrata forma est, at imperfecta. Ex quatuor, quibus constat, angulis, bini continentem respiciunt: ab ea continentis parte, quæ ad austrum vergit, ubi Amathus porta sita erat, usque ad Martinengiam munitionem quingenti ac triginta passus adnumerabantur: ab hac usque ad Adamantem propugnaculum in septemtrionem versum trecenti ac quinquaginta: inde ad navalium hemicyclium, qua despectus in orientem est, septingenti: a navali usque ad Amathi portam quingenti ac quinquaginta censebantur. Inter Adamantem propugnaculum, ac navalia, arx ducentorum ac viginti passuum circuitu sita est: ut in uniuersum passuum bis mille trecentorum ac sexaginta summa expleatur. Regioni, quæ ab Amathi porta ad Martinengiam usque munitionem protenditur, planities octingentorum passuum latitudine, in lenem collem assurgens, subjecta est; in quo tres pagi, Precipola, Sancti Alexii, Pandospitium conspiciebantur. Inter Martinengium, atque Adamantem spatium, inæquali solo qua terreo, qua sabuloso, qua saxeo, erigebat hirsutis, abditis quibusdam, atque amplis ad homines excipiendos receptibus distinctum. Ab eo vero tractu, qui ab Adamante usque ad navalia extendebatur, in altum prospectus erat, portusque in orientem æstivum, & septemtrionem obversus patebatur, quem brevia quædam objectæque mari angustæ rupes tutum

red-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 reddebant; quamvis ad onerarias naves, aliaque graviora navigia, quod aqua minus profunda ſit, ſuſtinenda parum aptus ſit. Ejus fauces craſſiori quadraginta paſſuum catena claudebantur. Arx antiquo extructa opere, quaternis diſtincta turribus, portui imminebat, totamque ſtationem protegebat. Ab eo latere, quod a navalibus uſque ad Amathi portam pertinet, trium paſſuum millium planities terreo atque arenoſo fundo explicabatur, hortis pulcherrimis, atque amœnis conſpicua, qui malis medicis, citriis, omnique fructuum genere referti, aquis ſummo artificio per tubos e puteis ſublatis, irrigui, mira jucunditate intuentium oculos, animoſque mulcebant. Mœnia ſatis firma ex quadrato lapide oppidum præcingebant: qua in continentem deſpectus, aggeres paſſuum duodecim, loricæ pedum viginti latitudine muniebant, ex quibus ad tegendos propugnatores in quatuor pedum altitudinem murus tollebatur. Foſſa fere omnis ex topho exciſa lapide, quindecim, vel minimum duodecim lata paſſus, qua parte oppoſita mœnibus erat, ubi ſaxum defecerat, lapide incruſtabatur. Mœnia ipſa variis diſtincta turribus, ex quibus tamen, ob areæ anguſtiam, minutis tantum tormentis hoſtes offendi poterant. Ab Amathi porta uſque ad navalia quatuor tantum reliquis majores, dimidiatæ lunæ inſtar inſpiciebantur. Harum prima prope portam ſita, Sanctæ Nappæ; ſecunda Andrutia; tertia Divæ Barbaræ, quarta navalium dicebatur. Eæ minus licet idoneæ ad hoſtium repellendos impetus cenſerentur, attamen quod fornicato opere confectæ eſſent, & utrinque egreſſus, unde ſe milites ejicerent, patebant, reliquis tutiores videbantur. Unum tantummodo ab Hercule Martinengio, dum militiæ in inſula præfecturam gereret, ex recentibus præceptis propugnaculum fuerat excitatum, duplici latere, firmo aggere, inferiori parte fornicata, frontibus in ſexaginta quinque paſſuum longitudinem exporrectis, a quo mœnia utrinque protegebantur, ut egregio artificio extructum noſtris tutiſſimo munimento futurum eſſe crederetur.

Hæc nimirum, licet ſpectantium oculis prævalidæ, ac munitiſſimæ urbis ſpeciem oſtentarent; attamen cum multa, quæ ad perfectam muniendarum urbium rationem pertinent, deſiderarentur, ad Turcarum impetum terra, marique ſuſtinendum

dum minus firma exiſtimabantur. Initio, ne qua ſubeuntibus 1571
hoſtibus ſe tegendi facultas eſſet, arbores excindi, hortos vaſtari, domos circumquaque complanari jubent. Ea res miſerando nimium ſpectaculo fuit, cum diuturna centum fere annorum pace incredibili ſolertia, atque immani incolarum ſumptu extructa ad uſum ac delicias loca paſſim dirui ac proſterni cernerentur. Præcipola, Sanctus Alexius, ac Pandoſpitium pagi, fanaque nonnulla urbi propinqua ſolo æquata, ac ne aqua hoſti ſuppeteret, oppleti humo putei fuere. Proxima metendi, atque in urbem convehendi frumenti cura fuit; quod importari nequibat, incenſum, corruptum; agreſtium intra mœnia mille ac quingenti evocati, qui magnam pugnando, majorem in communienda urbe operam præſtitere. Epirotæ etiam equites ducenti circiter ex agro introducti. Franciſcus Thronus, ac Nicolaus Donatus trierarchi, qui cum duabus triremibus inſulæ cuſtodiæ præerant, Ciliciæ litora percurrentes plura hoſti detrimenta intulere; pontem ad peditatum, equitatumque in naves inferendum ab iis ad Seleuciam ſtratum concremavere. In Tripolitano portu onuſtum pretioſa merce navigium cepere. Mœnia interim, ſi qua parte minus firma eſſent, ſarciri cœpta, novæ e gleba ac cœſpite munitiones ſtrui, propugnaculis variique generis munimentis urbs fulciri, interiores aggeres ex artis præſcripto duci, quo, occupatis mœnibus, tutus recurſus eſſet. In his adminiſtrandis ingens omnium ſolicitudo, atque ardor, ut vix noctu ad feſſa reparanda corpora quietis tempus permitteretur; ducesque, & inſignores præfecti manus operi admovendo reliquos exemplo incitarent. In his perficiendis quatuor menſium ſpatium inſumitur.

Franciſci Throni, & Nicolai Donati virtus in Turcis perſequendis.

Tamaſſienſium opera in urbe munienda.

Interea (uti ſuperioribus libris diximus) claſſis Turcica octavo kalen. julii ab occidentali inſulæ promontorio conſpecta, cum ſexto kalen. ad Salinarum portum auſtro objectum, quod fere triginta paſſuum millium intervallo a Leucoſia, & Tamaſſo abeſt, perveniſſet; hoſtes, copiis expoſitis, ad Leucoſiam invadendam proceſsere. Dum ſe ad iter comparant, emiſſi Tamaſſo Epirotæ equites aliquot, minutis præliis Turcas aggreſſi, ex iis viginti cecidere, capita in oppidum, veluti victoriæ omen tulere, Rondacio tantum Comite vulnerato, quo ex vulnere in urbe occubuit. Valmaranus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 nus quoque, Famaguſtanus civis, vir fortis atque impavidus regionis itinerumque peritus, Grecorum juvenum ſtipatus manu, Turcarum, qui ſe ab exercitu ſejunxerant, plurimos in inſidiis præcipitatos interfecit; roſtrata hoſtili trireme ad Sanctam Nappam quatuordecim ab urbe paſſuum millibus capta, cunctis, qui in ea erant, cæſis, armamenta Tamaſſum retulit. Leucoſiam oppugnaturi hoſtes, quingentos equites ad Sancti Sergii pagum, quinto ab urbe lapide, qui circumjectum agrum excurrerent, commeatus interciperent, exitu noſtros arcerent, collocavere; atque haud multo poſt trium peditum millium numerum, quo arctius itineribus inſeſſis, ultro citroque commeandi facultas eriperetur, adjecere. Verum hæc tanti non erant, ut propugnatorum animos auſuſque frangerent, cum ſæpius erumpens equitatus, manum cum hoſte conſereret, atque haud ignobili pugnæ laude victor lætuſque urbem regrederetur.

Heſtoris Baleonii virtas.

At Baleonius militaris gloriæ deſiderio ſuccenſus, noctes dieſque excubare; omnibus locis adeſſe; munia ducis ac militis implere; hoſtium conſilia ſedulo inquirere. Qui cum noſtrorum paucitatem contemni, laxatiſque cuſtodiis, quod nihil adverſum pertimeſcerent, negligentius agere hoſtes cognoviſſet, improviſo adoriri ſtatuit. Pridie kal. ſeptembris ex Italico peditatu quadringentis, ex Græcorum ordinibus trecentis ſelectis, omnique inſtructo equitatu, tertia noctis vigilia egreſſus, duabus ante ſolis exortum horis, ad Sancti Georgii pagum pervenit; ſecuros, ac dormientes in tentoriis Turcas opprimit; tabernacula perfringit, evertit; cæde, ac terrore cuncta implet. Turcarum duces, ſcloppettorum ictibus, quos Græci ob imperitiam immature excuſſerant, expergefacti, in propinquas ſe domos proripiunt; alii in fugam vertuntur; pars conglobati, nocturniſque adjuti tenebris reſiſtunt; timpanorum crotalorumque ſtrepitu palantes, ac ſemiſomnes cogunt. Noſtri, cum res, uti ſperaverant, votis penitus non reſponderet, receptui canunt; hoſtibuſque in ea pugna ducentis cæſis, octo e ſuis tantum deſideratis, exuviis Turcicis onuſti in urbem revertuntur. Sed cum quinto idus ſeptembris Turcæ Leucoſia potiti fuiſſent, triſti nuntio a duobus Epirotis, qui equorum pernicitate ab

ab hoſte ſe ſubduxerant, perlato, incredibilis mœror 1571
cunctorum animos occupavit; rumorque adventantis exercitus civitati inſuetum adeo metum incuſſit, ut plerique ad mœnia currentes jam propinquos cernere hoſtes ſibi viderentur: ſenes trepidare; militum atque civium virtuti, quos juvenile robur ad militiam expeditos reddebat, patriam, uxores, filios commendare: mulieres timore actæ urbem circuire; cum ejulatu ac lachrymis ſacras ædes adire; Dei ac Superum opem implorare. Sed in ea communi imbellis turbæ trepidatione imperterrita ducum ac militum conſtantia cernebatur, quos neque Leucoſiæ expugnatio, neque hoſtium adventus, neque oppidanorum conſternatio permovebant, quin mutuis adhortationibus inſitam animi virtutem excitando, ad egregiam pro religione, ac Veneta Republica navandam operam viciſſim incenderentur.

In primis vero Marcus Antonius Bragadenus, cum ſummo imperio Tamaſſo præfectus, conſilio, virtute, fortitudine ad ingruentem ac propinquam belli molem excipiendam impavidus, cuncta ad potentiſſimi hoſtis impetum ſuſtinendum neceſſaria diligentiſſime curabat. Qui cum optime noſſet, in imperiis urbibuſque tuendis abſque Dei Optimi Maximi auxilio incaſſum mortales eniti, in primis ad Divinam opem confugiendum ratus, præfectis, militibus, civibuſque adſtantibus, in majori baſilica miſſarum ſolemni ritu ſacrificia peragi, Divinique afflatus auram implorari curavit: quibus concelebratis, in hanc fere ſententiam eſt locutus. *Adeſt jam, fortiſſimi milites, ſpectatæque fidei cives, tempus illud, quo, Divino favente Numine, virtute noſtra, vel vivi atque incolumes ingentium laborum præmia percipiamus, vel ſpiritum in patria tuenda efflantes, immortalem non modo apud præſentes laudem, ſed apud poſteros egregii conatus famam adeuſque conſequamur. Quæ etenim aut ad profaciendam virtutem illuſtrior, aut ad bene de religione ac Republica Veneta promerendum præclarior occcaſio ſese nobis offerre potuit? Brevem profecto hujus lucis uſuram nacti ſumus, angustum vitæ curriculum natura nobis eſt elargita; famam facis extendere, atque maximarum rerum memoria cum æternitate certare, id ſingulari quodam beneficio a nobis ſumamus rerum*

Marci Antonii Bragadeni, Tamaſſi præfecti, oratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *opifex posuit. Quis vero ambigat, strenue atque acriter pro christiana religione, pro hac veluti communi patria servanda laborantes, ingentia præmia vel cælo, vel terra manere? In vos, strenui milites, omnium oculi atque ora obversa sunt, tantæ rei exitum singuli expectant; nobilissimi istius regni, reipublicæ christianæ incolumitatem in dextris vestris positam intelligunt. Si qua ex Leucosiæ amissione nota christianæ militiæ inhæsit, eam vos hostium sanguine deleturos sperant. Vosne Italos appellem, atque ad egregiam istam laudem horter, qui, patria ac domo relictis, tanto studio ad defendendam hanc urbem convenistis? quique patrio militiæ decore ad præclara quæque agenda incitamini? An vos, quos omnium artium fecunda Græcia genuit, persuadeam, quibus priscus gentis splendor, majorum gesta, quæ superioribus tempestatibus illustrium ingeniorum calamos defatigavere, faces ac stimulos addunt? Unum in singulorum animis vincendi studium; unum in corporibus robur; una victoriæ spes vos obarmet: non insolens recenti victoria hostis metum incutiat; neque quod modo circumjectum campum tentoriis, litoraque navigiis referta inspecturi estis, commoveamini. Ea est enim anni ratio, ut nisi furenti orientali vento penitus sese objicere, ac procelloso mari committere velint, diutius hic commorari nequeant. Si secus faciant, nobis inspectantibus, hosce apparatus disjici, everti, distrahi, elidi iidemmet cernent. Ne vero in iis tentoriis copias ingentes delitescere putetis; cum multi in Leucosia oppugnanda aut ferro, aut morbo perierint; plerique laborum pertæsi, præda onusti classem conscenderint. In Turcis vero, si numerum dempseris, quid pertimescas? non solida virtute, ac militari robore, sed multitudine tantum freti pugnare consuevere. Demum cogitatio non subeat animum, quod insula universa, horum mœnium tantum ambitu excepto, potiantur; cum, hac urbe servata, brevi cuncta in nostram potestatem recasura, inglorique hostes sint discessuri. Fuerint sane, qui Leucosiam egregiis munitionibus prævalidam tam cito a Turcis occupatam admirentur: nos mœnia lateritia lata ac firmissima habemus; turres imminentes fortissimas; quodque magis refert, externum militem usque ad interitum dimicaturum: atque, ut reliqua deef-*

dessent, pectora pro insuperabili munimento objicientur; hæc primo sternenda erunt, antequam in hanc urbem hostes ingrediantur. Tormentario sane pulvere, ac reliquo belli apparatu minime egemus; commeatus affatim suppetunt; ac, quod etiam atque etiam animos vestros ad constantiam incitare debet, subsidii spes in propinquo est; haud enim longe ab his litoribus christiana classis abest, quæ cum primum in conspectum se hostium dederit, nemini dubium est, quin statim, obsidione soluta, quæ in Cypro amissa sint, nullo negotio recuperentur. Hæc cum ita se habeant, Dei Optimi Maximi, cujus modo supplices atque in genua procumbentes præsens auxilium imploravimus, immensa potentia freti, alacri ac forti animo in ea tuenda civitate enixe insudemus, qua servata, præferoci hoste fracto, ac devicto, virtus vestra & fortitudo omnium gentium prædicatione eximiis usque ad cælum laudibus sublata, immortalitati famam nomenque vestrum consecrabit. 1571

Bragadeni oratione confirmatis militum animis, cum primæ hostiles equitum turmæ propius ad urbem accessissent, neque pedites, neque levioris armaturæ equites a ducibus cohiberi poterant, quin permixti, nullo ordine, magno impetu in vindictam inardescentes, ad conferendam cum hoste manum concurrerent. Sub mœnibus atrox exorta pugna, at paucorum utrinque cæde dirimitur. Nec multo post reliquæ Turcarum copiæ supervenere; classis ad hortorum litora constitit, sed immanium ex colubris globorum jactu procul a nostris arcebatur. Ea in regione castra Turcæ figunt; quotidie levioribus certaminibus dimicabatur; ne exteriori fossæ labro Turcæ appropinquent, nostri contendunt. At illi, octo dierum spatio ductis aggeribus, quidquid a mari usque ad Moratam turrim in octingentorum passuum longitudinem extenditur, occupant; quatuor munitiones erigunt, quatuor ac viginti in iis tormenta constituunt, vineisque protecti per occultas semitas ab una ad alteram munitionem transiliunt. tantumque aggeribus se provexerant, ut inde propugnatores certissimis ictibus sæpius propugnatores prosternerent, e mœnibusque dejicerent. At nostri diligentius custodias obeunt; sclopos ac tormenta in adversos diplodunt; ad labrum vero fossæ

Turcæ castra ad Tamassi oppugnationem admovent.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 fossæ propugnandum diversis in locis binas cohortes, adjecta equitum turma, quibus hostilia opera disturbarentur, disponunt. Vario marte sæpe pugnatum; sed inferiores nostri in iis certaminibus erant; quod eorum egressu hostes ex proximioribus caveis sese in remotiores tuto reciperent; contra nostri cum longius excurrere non possent, in receptu glandibus affligerentur. Dispar quoque equitum pugna ob equorum pernicitatem, atque sagittandi peritiam, cum modo procurrerent, modo fugam simularent; quo fiebat, ut e nostris complures simul cum equis vulnerarentur; licet ex iis multo plures validis hastarum ictibus caderent, pilarumque imbre, qui a fossæ propugnationibus effundebatur, interirent: tormenta quinetiam e mœnibus contorta hostilium aliquot machinarum orificia obstruxere, nonnullas e canteriis dejecere. Eodem tempore, qua parte urbis in boream obvertitur, ad Occam turrim, magnam ac prævalidam munitionem Turcæ moliuntur, ad quam conficiendam cum terra egesta in sabuloso solo non sufficeret, prægrandia tigna jungere, atque ferro connectere aggrediuntur. Sed quod procul a mœnibus locus esset, ne, una in parte omni virium robore collato, minus ad alia loca oppugnanda apti essent, opus imperfectum reliquere. Nostri vero militum manu, atque armatis lintribus egressi, tignorum ac tabulatorum majori parte potiti, ea in urbem intulere. Ceterum haud parum Bragadeni aliorumque ducum commovebat animos, quod ægritudines, quæ passim per urbem grassari cœperant, in militiam irrepsissent: qua ex re, ægris fessisque corporibus animorum impetus sensim languebat: eorum vero, ad quos morbi non pervaserant, vigiliæ, ac labores in immensum adeo creverant, ut diu prægrave onus incolumes sustinere non posse viderentur.

Tamassienſium militum agritudines.

Hoc loco Tamassi res erant, cum repente quinto nonas octobris hostes de christianæ classis adventu certiores noctu facti, a cœpta expugnatione destitere; perturbatique, nullis ducum imperiis expectatis, pavore ac metu perterriti sese recepere; ut constans opinio fuerit, ea nocte, e mœnibus sese nostris ejicientibus, formidinemque augentibus tenebris, facile disjici, ac profligari potuisse. Prima insequentis diei luce divo Francisco dicatæ, egregius nauta Cretensis, Fascidonius nomi-

nomine, cum speculatoria biremi a classe emissus, ad urbem pervenit. Is inalbescente cælo in hostium conspectum delatus, recto ad Turcicam classem itinere simulato, obvius Tamasso factus, repente summa celeritate flectens, velorum remorumque nixu sese in portum intulit; cunctisque eo confluentibus, ecquidnam afferret sciscitantibus, christianæ classis adventum publice nuntiat: secreto magistratui significat, nostros, Leucosiæ expugnatione cognita, e Castro rubro, quo appulerant, in Cretam profectos, recentia quamprimum subsidia in Cyprum missuros. Ingens in plebe ac civibus lætitia; novus in milite ardor; summo in hostium munititonibus silentio auctus; militibus, ac civibus egressus ex urbe permittitur. Statim cuncti in hostium munitiones delati, sarcinis atque armis, quæ in intempesta noctis trepidatione avehere Turcæ nequiverant, potiuntur: nulla injecta mora vineas demoliri, turres atque aggeres solo æquare, nemine obsistente, incipiunt. Nonis octobris profecta classe, terrestres copiæ, quarto ab urbe lapide, ad Pomadamum se recipiunt; equites, ut nostros ab operibus prohibeant, minutis quotidie præliis lacessunt; verum levioris armaturæ equites, Turcarum artes astusque edocti, adeo in eo pugnæ genere excelluerat, ut parva manu ingentem numerum sustinerent, victoresque semper e prælio discederent. 1571

Fascidonius Cretensis cum biremi Tamassum a nostris missus.

Tamassienses ex urbe erumpunt, Turcarum munitionibus potiuntur.

In urbe cuncta, quæ ad diutinam obsidionem perferendam necessaria erant, sedulo curabantur; panis copia suppetebat; molæ manu vel equo ductiles ad molenda frumenta conficiebantur: lignorum tantum ad panes coquendos inopia urgebat; eoque pervenerat, ut plerique lintres, majoraque iis navigia sponte, quod pretium nanciscerentur, in fusta secantes, decies tanto plus, quam impensum esset, percipierent. Iis deficientibus, mortuorum animalium ossa, ac nondum exuta carne cadavera cremabantur, quorum ingens fere numerus fossas oppleverat, quod victus inopia a dominis derelicta jumenta in viarum semitis pereuntia in fossas præcipitarentur; id vero inventum magno usui in ea obsidione fuisse constat. Nec minor in iis, quæ ad bellicos apparatus pertinebant, cura adhibebatur; tormenta conflabantur; pila, igne arte elaborato, excudebantur; tormentarius pulvis conficiebatur; nulla die noctuque quies aderat. Tormentis vero, saxis licet, ac pilis fer-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 ferreis infartis, hoſtes pauci atque equi ſternebantur, cum in ſingulos dies perraro ſupra decem deperirent. E propugnatoribus vero modo unus tantum, modo nemo deſiderabatur. Summum in equorum cæde hoſtium ſtudium, quod, iis amiſſis, aliorum nobis copiam non ſuppetere intelligerent. Noſtri, qui cuſtodias obibant, milites, primi in prælia ruebant; iis ſæpius recentes ex urbe cohortes ſubmittebantur; quæ, prius quam hoſtes ſuccederent, ſubterranea loca ſubeuntes, ſenſim dimicando, ſimulata fuga, Turcas longius illectos ex inſidiis adoriebantur: plerique vulnerabantur, multi ſclopporum percuſſi glandibus procumbebant, exuviis non abſque labore, ac ſanguine noſtri potiebantur; cum vel equi generoſi, vel unius e ſuis interempti cadaveris ornamenta recuperandi ſtudio nullum periculis genus perhorreſcerent. Ut vero equorum uſus hoſtibus adimeretur, præacutis ternis, quaternisve clavis confixas tabulas, cuſpidibus tantum ex terra eminentibus, virgultis, herbiſque noſtri integebant, quo qui pertranſirent, acutiſſimis vallis induerentur. His in parva quadam planitie, qua minutis ſæpe præliis dimicabatur, conſtitutis, eo pertrahere Turcas nitebantur: ſed fervente pugna, noſtrorum quidam in aſtus locum imprudenter delati, equorum jacturam fecere; hoſtes ſolido ferro equorum ungulas obarmare ſoliti, parum detrimenti accepere. Frequenter quoque ſingulari certamine equo dimicatum, multorumque eo in pugnæ genere virtus, ac fortitudo inclaruit. Licet vero ea lex certamini præfixa eſſet, ut equis parceretur, victus victoris captivus fieret, ea tamen neglecta, Turcæ noſtrorum equos vulnerare, victique ſeſe fuga ex victoris manibus eripere adnitebantur. In his præliis Epirotæ, atque Epidaurii palmam tulere. Italorum quoque peditum atque equitum nonnulli voluntarii virtutis ac fortitudinis ingens ſpecimen præbuere. Huic militari theatro, in quo de viris fortiſſimis periculum fiebat, qui intereſſe nollet, nemo erat; non ſexus, non ætas quemquam a ſpectaculo ſummovebat; quinimmo ex editis domorum ſummis contabulationibus, atque ex mœnibus proſpectantes ſæpe ſummis vocibus ac plauſu noſtros egregia edentes facinora, victoriamque de hoſte ferentes ad ſidera uſque extollebant. Dum hæc terra gerebantur, armati lintres e portu egreſſi, haud parum

Tamaſſenſium aſtus contra Turcas in proprium damnum recidit.

rum incommodi hoſtibus inferebant; cum ii, qui in litore 1571
noſtros humum ad opera conficienda egerentes impediebant, a ſcloppettariis cæderentur. Quæ vero Conſtantiæ portum ſervabant Turcicæ triremes, citato remigio, in lintres impetum facturæ, cum ſub tormentorum jactum perveniſſent, ſeſe extemplo recipiebant. Ita duplici certaminum ſpecie cunctorum oculi, atque ora detinebantur, ut a pleriſque ſenſim, timore depulſo, aſſuetudine jam animos, & corpora ad omnia perferenda firmarent; alii inani tantum præſentium rerum æſtimatione freti, adventantium periculorum propinquitate non permoverentur. Sed ii, in quibus tota rerum ſumma cum imperio ſita erat, graviſſimis ſolicitudinibus torquebantur, cum & potentiſſimi hoſtis vires, & propugnatorum paucitatem expenderent. In hac rerum ambiguitate quod pridie kal. januarii hujus anni contigit, præfecti, luſtratis copiis, explicatiſque ſignis, interius civitatem ambiunt. Octo cohortes ab Amathi porta egreſſæ, hoſtiumque equitatu ſpectante, nec quidquam movente, per Adamantinam in urbem revertuntur. Kal. jan. parum proſpere a noſtris pugnatum, idque a multis in futuri eventus omen pertractum. Cum enim Turcæ nuſquam ea die apparerent, milites longius progreſſi in inſidias incidere; in Divi namque Alexii pagi ruinis abditi, equorum velocitate noſtris ad foſſæ labrum ſe ſe recipiendi iter intercluſerant; qui cum neque tormentorum ejaculatione, ne hoſtes ſimul cum propugnatoribus interficerentur, protegi, neque ab equitatu, & peditatu, quod inopinato atque improviſo orta pugna fuerat, juvari poſſent, inferiores eo certamine, evaſere.

Octavo tandem kal. februarii, Marcus & Marcus Antonius Quirini, e Creta cum ſubſidio ſupervenere. In eo cenſebantur Itali pedites mille ac quadringenti, quibus Aloyſius Martinengius, cataphractorum equitum turmæ præfectus, præerat; tormenta ſexdecim, ſulphurei pulveris, atque annonæ copia. Qua ſe æſtuaria quinque ab urbe paſſuum millibus in mare exonerant, ſtatio quædam, ac veluti portus conficitur, quem flatibus orientalibus objectum hoſtes duplici tignorum ordine profundo infixo, intervalloque ſaxis oppleto, quo fluctus allíderentur, mariſque impetus frangeren-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 gerentur, muniverant. In faucibus e cœſpite marmoreis ex veteri Salamina erutis tabulis, loricatam munitionem erexerant: quæ tamen ob areæ anguſtiam minus apta ad ſinum tutandum cenſebatur. Quirinus itaque legatus naves prægredi jubet, eo conſilio, ut prædæ ſpe Turcicas triremes, quæ Conſtantiam cuſtodiebant, alliceret; ſtatimque ac ſeſe in altum intuliſſent, in eas impetum faceret. Res ex voto ſucceſſit: inſpectis navigiis, triremes ſeſe e ſinu proripiunt. Sed noſtrorum, qui ad Græcæ promontorium ſubſtiterant, adſpectu territæ ſe recipiunt; denſatæque, obverſis in altum proris, & in ea, quæ portui imminebat, munitione duobus tormentis impoſitis, noſtrorum impetum expectant, qui cum interea remulco a triremibus navigia in portum protrahi curaſſent, duplici mox triremium agmine, quorum alteri Quirinus legatus, alteri Sanctus Thronus, damnatorum triremibus præfectus, præerat, horrifico tormentorum ſtrepitu ac fragore in hoſtes progrediuntur. Ii pari ejaculatione reſpondent: ſcloppettariorum interim manus e caſtris accurrens, glandium procella ab acceſſu noſtros prohibere nititur. Per quatuor horas acerrime dimicatur; duabus hoſtium triremibus depreſſis, in craſtinum rurſus fortunæ aleam ſummo mane ſubituri Veneti ſe recipiunt. Verum Turcæ, igne reliquis injecto, quatuor apprime inſtructis triremibus, noctu fuga ſeſe eripiunt, atque in proxima Ciliciæ litora delati, cum Venetorum navigiorum in Cyprum adventum nuntiaſſent, multis, qui ex iis locis transfretabant, ſaluti fuere, licet bina navigia, quæ jam ſe itineri commiſerant, imminens fatum evitare nequiverint. Alterum, quo pedites ducenti, inter quos plerique Spachi, & Janizzeri vehebantur, falſa triremium noſtrarum imagine deceptum, ad Carpathium promontorium, nullo repugnante, capitur: hoſtes ad unum cæſi; commeatus in urbem invectus. Alterum Gallicum poſtridie ad Græcæ caput delatum, cum qui in eo erant, aliquamdiu reſtitiſſent, eundem caſum ſubiit; nobiles quidam equi, tentoria, argentea ephippia, inventa, prædæ ducibus, ac militibus ceſſere. His non ſine ingenti laude confectis, Quirinus in Cretam revertitur: in diſceſſu ad Conſtantiam ab hoſte erectam munitionem disjici, ac complanari, aliaque opera ſolo æquari juſſit; navigia, quibus Hieronymi Martinengii milites deve-

devecti fuerant, atque adhuc in portu detinebantur, ſecum 1571
avexit; Cornelia navis, cum vetuſtate fatiſceret, neque procelloſo mari obſiſtere poſſet, in Attalico ſinu undis eſt abſorpta; reliquæ vento ac fluctibus jactatæ, vix naufragium evaſere.

Turcicæ triremes cum milite in Cyprum appellunt.

Idibus vero martii triginta milite atque annona refertæ hoſtium triremes Cyprum appulere: ex iis octo ad Conſtantiam ſervandam ſe contulere; reliquæ, expoſitis ſubſidiis, diceſſere. Jamque pacato & tuto mari e circumjectis litoribus omnis generis navigia ad exercitum confluere, continenter die noctuque milites traduci, commeatus affatim ſuppeditari cœperant, cum pridie idus aprilis Halis Baſſa, maris præfectus, cum triremibus centum appulit: militibus, tormentis, apparatuque bellico expoſitis, celerrime in Aegæum contendit; ut, reliqua ſibi claſſe adjuncta, in occidentem curſum dirigeret. Ex transfuga captivo intra menſem unum militum quinquaginta millia in caſtra hoſtium perveniſſe cognitum. De eorum, qui poſtea trajecere, numero non conſtat: infinita enim propemodum multitudo, ingentium divitiarum fama pertracta, veluti ad certiſſimam prædam confluebat. Interea hoſtes, quæ ad mœnia quatienda neceſſaria erant, ſummo ſtudio comparabant, cunctiſque animi & corporis viribus oppugnationem moliebantur. Noſtri contra, ut quamprimum munitiones perficerentur, urgebant; atque alacri animo, ſumma Divinæ opis ſpe freti, claſſemque propediem ſubſidio venturam rati, Turcarum impetum expectabant. Per eos dies edicto publico pronuntiatum, ut quicumque urbe exire, atque ad ſuos pagos, ac villas ſe recipere vellent, id iis modo ad arma gerenda idonei non eſſent, impune liceret. Triduo ſeptem circiter millia inutilis turbæ exiere, quibus neque victum neque quidquam, quod uſui in urbe tutanda eſſe poſſet, efferre (quæ res maxime cunctorum animos ad pietatem impellere poterat) permittebatur. Sed cuncta charitas patriæ vincebat; tutum ad eorum pagos perfugium hoſtes præbuere. Tum ad militaria munera obeunda idoneis recenſitis, ſeptem millium ac quadringentorum numerus reperiebatur; Italorum nempe peditum tria millia ac quinqueni; ordinum mille ac quadringenti; ex ſex urbis regionibus duo circiter millia & quinqueni; his quin-

Bragadi edicto inutili turbæ Famaſſo exire permittitur.

Famaſſi præſidium

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 quingenti ac quinquaginta Epirotæ acceſſere, qui ob equorum cædem cum in campum deſcendere non poſſent, una cum Italico & Græco peditatu pro mœnibus intrepide decertavere: compluribus vero ex ordinum, atque oppidanorum militia in tormentorum atque aggerum operibus occupatis, univerſum belli pondus quinque circiter millia capita tantum ſuſtinuere. Hoſtes ſexto kal. maji, quo propius ad urbem ſuccederent, aggeres ducere, munitiones inſtituere, in quibus ad mœnia verberanda tormenta locarent, aggrediuntur; non die, nõn nocte opera intermittunt. Bragadenus ingentes apparatus, militum numerum, tormentorum immenſam vim conſpicatus, in mœnibus occumbere, atque animam in urbis tutela effundere paratus, nullum laboris, nullum periculi genus perhorreſcebat. In primis vero, publicis indictis ſupplicationibus, Divinam opem implorabat; nemo erat, qui ſummis votis ac precibus tam anguſtis patriæ rebus præſens Dei, ac Cælitum auxilium non expoſceret.

Baleonii ad milites adhortatio.

Baleonius vero militum animos confirmare, in hoſtem accendere, ſtimulis virtutis ac gloriæ excitare pergebat. *Huc uſque in communienda civitate laboratum, minutis cum hoſte certaminibus dimicatum; modo pro ſalute, pro libertate pugnandum; nunc Turcico furori obſiſtendum. In veſtris dextris* (ajebat) *milites nobiliſſimi, hujuſce regni incolumitatem ſitam eſſe quis neget? Si viget in animis virtus, quam ſæpe verbis patefeciſtis; ſi fortiſſimis in viris adhuc præclari ad gloriam impetus aſſurgunt; ſi libertatis amor nomenque mentibus adhuc hæret veſtris: hoſtis inſolentis atque elati impetum excipere ac obtundere, veſtraque virtute ac ferocia hanc tueri civitatem poſſumus, qua incolumi, adventante fœderatorum claſſe, amiſſa omnia momento ex Turcarum manibus avellantur. Sed quid verbis amplius vos moror? Si is animi vigor, quem in ſingulorum ore ac geſtu intueor, non evaneſcit, jam vicimus, jam Turcæ ſe quoque vinci poſſe intelligent, Chriſtianorumque virium robur verebuntur, atque egregio hoc fortitudinis exemplo a reliquis Venetæ ditionis oppidis abſtinebunt. Hæc tot tantaque in vobis ſita ſunt, milites: conſtantia tantum, atque obſtinata animi vi opus eſt. Urbem cum veteri tum recenti opere munitiſſimam defendimus. Habemus*

bemus Marcum Antonium Bragadenum, ſummum præfectum, ad omnia pro patria, pro religione perferenda jam pridem paratum; qui dies noctesque pro hac urbe excubat. Me quoque laborum ac periculorum veſtrorum vel ducem, vel ſocium habebitis: præibo: quo me cumque belli ardor rapuerit, convolabo: victori, aut victo una eademque mihi vobiſcum conditio, unus exitus erit. Baleonii verbis ſummis militum & civium acclamationibus & plauſu exceptis, ad munera ſua quiſque dilabitur. 1571

Hoſtes tres præcipuos aggeres, quibus tecti ulterius ſe cum aliis minoribus proveherent, inſtituunt; eaque ratione, & artificio foſſas excavabant, ut ex una ad alteram nullo negotio tuti penetrarent, neque a noſtris ſcloppettariis peti poſſent, qui cœſpites, ac ligonum ſumma tantum inſpicientes, fruſtra tormenta intorquebant. Omnes vero conatus in hoſtilibus munitionibus (quod maxime imminerent) diſturbandis adhibebantur; multa damna nondum ad faſtigium perductis inferebantur; ex tecta via in labro foſſæ conſtituta, ſcloppettarii Turcæ vulnerabantur. Verum ingenti foſſorum multitudine (quos quadraginta millium numerum æquaſſe fertur) ingenti labore, Muſtapha ipſo opera urgente, kal. maji ſeſe ad foſſas fere illati, non abſque multorum, ac præcipue foſſorum cæde a noſtris urbe egreſſis repelluntur; qui rurſus quinto nonas, ac ſeptimo idus, ſtrage Turcarum edita, binas aut ternas vineas tranſgreſſi, magno ſcloppettariorum numero atque undique accurrentium turba, quo minus longius ſeſe efferrent, præpediti receptui cecinere. In receptu vulnerati plerique, forteſque nonnulli viri cecidere, dum ſeſe in relictas a noſtris vineas proripientes hoſtes haud dubiis ictibus multos affligerent, ut jam ea pugnandi ratio minus opportuna ob paucitatem militum cenſeretur, cum recenti e noſtribus cæſi, decem noſtrorum militum jacturam non farcirent. Denis tandem prævalidis munitionibus erectis, verberationem inſtituere incipiunt.

Turcarum foſſorum multitudo in Tamaſſi oppugnatione.

Turcæ denis munitionibus inſtructis Tamaſſi mœnia verberare inſtituunt.

Propugnatores, ac præfecti nunquam a mœnibus abſcedunt; panis, vini copia, atque obſonia ad ſtationes perferuntur, tormentarius pulvis, ignicſorum fomes, plumbum ad pilas conficiendas viritim diſtribuitur, menſtruum militibus ſtipendium perſolvitur. Ex ſingulis cohortibus quadringenti ſeligun-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 liguntur, qui majores ſcloppos collimantes in hoſtes diſploderent: horum dimidia pars alternatim e muris in vineis Turcas contrucidabat, ingentemque ſtragem edebat. Sed ut milites in protectoriis aggeribus tuto conſiſterent, in univerſo eo tractu, quem hoſtes occupaverant, in ſummo mœnium cœſpite parvum aggerem in duorum pedum altitudinem, ac paulo majorem latitudinem, frequentibus diſtinctum foraminibus erigi placuit, ex quibus abſque metu globuli jacerentur. Quatuor quoque elaboratis arte ignibus præficiuntur, ſingulis viceni milites tribuuntur, qui & opportune ignem accendere, & longius ejaculari aſſueſcerent. Vigintiquinque pilarum millia, pars ferro, pars ære, quædam e vitro confectæ; lebetes quoque, phialæ, cycli, atque alia jaciendorum ignium inſtrumenta in id parata aderant. Ad ſaucios quoque, atque ægros excipiendos noſocomium erectum, omnibuſque ad ſanitatem neceſſariis inſtructum eſt. Tormentorum major, ac præcipua pars in mœnibus e regione hoſtium conſtituta. Foito equiti, tormentorum præfecto, in pugna defuncto, Aloyſius Martinengius ſufficitur, qui, ſex militum præfectis objecta hoſtibus mœnia in ſingulos partitis muneribus, libratoribuſque conſtitutis, tutanda dedit.

Tamaſſienſium ſedulitas in ignibus elaborandis.

Foitus eques tormentorum præfectus interficitur.

Aloyſius Martinengius Foito ſuffectus.

Jam tormenta in munitionibus hoſtes diſpoſuerant, multiplicatiſque aggeribus, ſub jactum lapidis ad foſſæ labrum perveneranr; cum propugnatoribus petentibus, ut antequam vallo penitus cingerentur, virtutis ac fortitudinis periculum facere liceret, egreſſus permittitur. Quinto kal. junii ex græco peditatu trecenti delecti, quos juvenilis ardor in hoſtem acrius incendebat, cum valida Italorum manu, foſſæ præſidio ducentis ſcloppettariis relictis, ab ea parte, qua navalia ſita ſunt, rarioreſque ac minus propinqui aggeres erant, improviſo e tecta via emicant, atque magno in munitiones impetu feruntur; haſtis, gladiis, contis ſæviunt; hoſtes proſternunt, præcipites agunt: tantumque vincendi ſpe ſubnixi ſe inferebant, ut, qua denſior ſubvenientium hoſtium acies erat, irrumperent. Atrox ac cruentum certamen initur, gladiis, ac ſaxis res geritur. A noſtris initio victoria ſtare videbatur, cum præſertim, Italis ſcloppettariis ſupervenientibus, turbati hoſtes nihil ex diſciplina militari agerent. Ceterum

Turcæ ad foſſæ labrū perveniunt

Tamaſſienſes Turcas aggrediuntur, complures interficiunt.

cum

cum recenti peditatu atque equitatu ſubveniretur, noſtri re- 1571
ceptui canere juſſi, ordinata acie dimicantes ſe recipiunt. In ea pugna triginta cecidere, ſexaginta lethalibus vulneribus confoſſi mox interiere; multo plures ex Turcis (quorum numerus iniri non potuit) occubuere. Is poſtremus extra mœnia conatus fuit, cum duobus ſequentibus diebus tantum promotis aggeribus hoſtes appropinquaſſent, ut non citra certum atque inevitabile mortis periculum invadi poſſent. Ab iis ſummo mane, ac ſub veſperum, horæ ſpatio continens ſclopporum procella, vel ad terrorem propugnatoribus incutiendum, vel ad ingentem militum numerum oſtentandum, emittebatur; quæ in ædes, atque urbis ſemitas decidens, paucis tamen aut vulnera, aut lethum inferebat; cum tamen qui in mœnibus conſtiterant, in caput icti procumberent, cæſorumque in dies numerus augeretur. Eo aſtu quoque hoſtes utebantur, ut ſagittas Perſico more pictas, atque eleganter elaboratas in nuper extructum parvum ex cœſpite aggerem ejacularentur, earumque pulchritudine allectos, potiendarumque deſiderio prodeuntes interficerent: qua arte complures temere ſe ſe objectantes periere.

At decimoſeptimo kal. junii, prima luce, terribili fragore cum ſex ac ſexaginta tormentis, ingenti ſclopporum diſploſione præeunte, verberatio cœpta. Cum ad terrorem noſtris incutiendum, munitiones, atque aggeres innumeris vexillis, ac ſignis, immenſaque omnis generis armorum copia ad ſtuporem uſque Turcæ exornaſſent, noſtri ferreæ grandinis magnam vim, quinque ac triginta majora tormenta in oppugnatores contorquent. Tantus utrinque impetus horrificus adeo ſtrepitus ac fragor erat, ut ruere cælum, diſcinda terra, urbes, oppidaque hauriri diceres. Nunquam ea die intermiſſa verberatio, novem ſequentibus remiſſius aliquanto continuata. Ingentes a noſtris in propinqua munimenta ruinæ editæ, tormentorum quorumdam ora obſtructa, alia ſumi proſtrata, magna hoſtium cædes facta. Turcæ initio parvo detrimento mœnia affecere, quod cum protectorios aggeres proſternere, noſtriſque ſclopporum uſum adimere niterentur, altius librata tormenta mœnia non attingerent, ſed in urbem delata domos ſterneret, atque obvios quoſque ruinis

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 opprimerent, inter quos Franciſcus Francavilla præfectus fuit. Verum cum hoſtes aſſidua verberatione iter ſibi facere ad invadendos noſtros non poſſent, ligonibus, & cuniculis aggreſſi, adeo ad foſſas acceſſerant, ut vix dimidio lapidis jactu a labro diſtarent; cum noſtri adhuc tectam viam tutarentur, ſæpiuſque die noctuque repente e caveis magno numero exeuntium impetum ſuſtinerent. In qua via cum tandem propter frequentes aſſultus, vinearum propinquitatem, hoſtium multitudinem, tuto non conſiſterent; noviſque aggeribus adeo ſe ſe Turcæ inferrent, ut vix dimidiata haſta a noſtris ſejungerentur; atque in opus nocte, prævalidis adhibitis cuſtodiis, incumberent: labrum deſerere propugnatores coguntur. Eo potiti Turcæ, hinc atque inde egeſta humo, illius muro pro aggere uſi, ſclopporum vi ita milites affligebant, ut nemo in foſſa manere incolumis poſſet, licet ex iis locis, in quibus alveolus excavata foſſa erat, per aliquot dies dimicaretur, certiſſimiſque ictibus complures, ſed non abſque noſtrorum interitu, cæderentur, inter quos Sigiſmundus Gazoldi Comes extitit, qui adoleſcens peditum præfecturam gerens, cum uni e ſuis militibus laboranti opem ferret, ſcloppo crus vulneratus, haud multos poſt dies interiit.

Franciſcus Francavilla ruinis obruitur.

Tamaſſienſes labrum foſſæ deſerunt.

Sigiſmundi Gazoldi comitis cædes.

Verumtamen acrius in dies adurgens hoſtis, verberationem continuare, disjicere aggeres, defenſiones eripere adnitebatur. Noſtri contra pro rerum conditione, quacumque poterant, opem ferre, omnibus in locis præſto eſſe. Bragadenus una cum Baleonio modo huc, modo illuc diſcurſare, omnia ad urbem tuendam opportuna diligenter curare, a mœnibus nunquam diſcedere. Bragadenus in Andreutii, Baleonius in Divæ Nappæ, Laurentius Theupolus, Paphi præfectus, vir ætate atque auctoritate gravis, qui belli initio in urbem venerat, in Divæ Barbaræ hemicycliis ſedes ſtatuunt. Aggeres ac munitiones die ab hoſte dirutæ, nocte ſarciuntur. In vineas, ac tormentorum fornices, quo milites libratoreſque peterentur aſſidue, glandium imber a Turcis effunditur. Sed cum ſaxorum ac ruderum fragminibus ex tormentorum diſploſione emicantium haud dubiæ noſtri internecioni objicerentur, alveolum deſerere coguntur. Tum, quo propius mœnibus ſuccederent, Turcæ humo foſſas opplebant; parvis extructis aggeribus, ſe a tormen-

Laurentius Theupolus.

1571 mentorum ictibus protegebant; effoſſis cuniculis, ſubruere mœnia, atque aſcenſum in urbem parare conabantur. Cuniculos ita conficiebant, ut in ima foſſa mœnium fundamenta ſcalpris inciderent; murumque ſubeuntes tecti, atque a noſtrorum injuriis tuti, fornices ad tormentarium pulverem recipiendum ſubſtruerent. Loca in quibus cuniculos inſtituerant, hæc fuere: navalium hemicyclium; mœnia inde protenta; Divæ Barbaræ, Andreutii, Divæ Nappæ, atque exterioris propugnaculi munitiones. Noſtri, qui hactenus hoſtes ſuſtinuerant, veriti, ne ingenti multitudine freti, atque indefeſſa opera decidentibus muris, per ruinas ſcanderent, qua viribus, qua ingenio obſiſtere cuniculis, cuniculos excipere nituntur. Conatus ad Divæ Barbaræ, Andreutii, ac Divæ Nappæ munitiones irritus non fuit; nam operibus deprehenſis, cuniculis diſjectis, aſſervatum, ad ignem ſtatuto tempore concipiendum, tormentarium pulverem eripiunt. At iis, qui ad navalia ducebantur, quod hemicyclio humo repleto, fodientium ſonitus auribus non captaretur, obviam iri non potuit. Idem in exteriori propugnaculo, vacuo licet, contigit, tophaceo ſaxo quindecim pedum craſſitudine (quo mœnia nitebantur) ſtrepitus pernoſceretur, impediente. In his (noſtrorum diligentia reliquis diſjectis) omnis Turcarum labor, atque induſtria impendebatur; tranſverſiſque in foſſa aggeribus, non modo gleba, ſed oppletis lana ſaccis, virgultis, goſſipio, atque omnis generis materia, craſſioribus redditis, ſe ab lateribus tutabantur.

Turcæ cuniculos conficiunt.

Noſtri ad elaboratos ignes confugiunt; ferreos globos, ollas, lebetes ex protegentibus aggeribus fortuito provolvunt. Quo pugnæ genere haud exigua hoſtium cædes conſequebatur, cum ſæpius lana, bombyx, faſceſque igne correptæ attactu pleroſque interficerent. Crebro quoque viginti quinque aut triginta peditum manus irrumpens opera pervertebat, malleoliſque ad ignem injiciendum utebatur; cui detrimento, terra celerrime ſuperimpoſita, Turcæ occurrebant; atque, ut noſtros ab eruptionibus arcerent, ſecundum totæ viæ mœnium, cum antea fere omnibus in locis humus effoſſa eſſet, tentoria fixere, ut præſentia foſſores ad opera accuratius, ac citius conficienda urgerentur. Sclopetarii quoque ex propinquioribus aggeribus noſtrorum funem triginta circiter quotidie

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 die abſumendo, augebant, inter quos Federicus Baleonius, Heſtoris nepos, cum ſe ex aggere, ut hoſtem, quem glande transfixerat, inſpiceret, paululum extuliſſet, ſcloppo caput ictus, occubuit.

Federicus Baleonius interficitur

Obſeſſi ex urbe erumpunt.

Jam cuniculum prope navalia fere ad exitum perduxerant, cum noſtri, ut opus inſpiciant, ac ſi qua poſſent, avertant, duas peditum cohortes, alteram e foſſa, alteram e portu, lintribus impoſitam, impetum facere jubent. Ita rebus conſtitutis, ut qui in lintribus erant, in litore ſitos aggeres cuniculo propinquos adorirentur, alii qua ex mœnibus navalium hemicyclio propinquis verberatio fiebat, labri foſſæ aggeres invadant, eo conſilio, ac ſpe, ut ad eorum tuitionem properante hoſte, operibus relictis, tertia acie ſubeuntes noſtri cuniculum everterent. Sed lintres, ne remorum impulſus exaudiretur, ſilentio e portu egreſſæ aliquanto ſerius, quam ii, qui in foſſam egreſſi fuerant, ad locum pervenere. Jam in labri aggeres impetum milites fecerant; perterritiſque ac turbatis hoſtibus, & in fugam verſis, ii, qui opera cuſtodiebant, ingenti ſtrepitu audito, tormentaque in ipſos e lintribus ejaculari rati, locum deſeruerant. Inde tertio agmini tranſverſos aggeres tranſiliendi, cuniculum viſendi, atque obſervandi facultas, invadendi vero ſpatium non fuit; nam in ea lintrium cunctatione magno numero conglobati hoſtes, duobus licet tantum interfectis, nonnullis ſauciis, non abſque ſuorum cæde, noſtros ſe recipere coegere. Qui in lintribus erant, pejus habiti, quod terreſtri aggreſſione exciti hoſtes jam arma induerant, & aggerum cuſtodes ex remorum motu eos adventare cognoverant: nocturna quoque humiditate tormentarius pulvis tardius, igne concepto, in flammam aſſurgens lintres, & milites jam excenſuros prodebat. Itaque ingenti ſclopporum procella nonnulli cæſi, plerique vulnerati ſunt. Verum eo eventu noſtri nequaquam territi, omnibus in locis, qua mœnia quatiebantur, qua cuniculi agebantur, retractos aggeres excitabant, ex quibus cum hoſte hemicyliis potito dimicarent. Ad eos ſtruendos doliis, atque ex boum, ac bubalorum coriis confectis ſacculis madefacta humo, ac bombyce oppletis, atque utrinque a lateribus clauſis, ac funibus adſtrictis utebantur; eorumque pondus bini vix homines ſuſtinebant. Alii quoque ex tela eadem materia inferti, quod facile ab uno

Obſeſſi cum ſuorum cæde ſe recipiunt.

uno tantum geſtari poſſent, præcipuo uſui ad protegentes aggeres, receptuſque reficiendos fuere, cuniculo a Turcis obſerato, ingens pavor propugnatorum animos, qui in hemicylio cuſtodias obire cogebantur, occupavit; cum irrumpente pulvere, vel ſublato, vel diſſiliente ſolo, abſque ulla ſalutis ſpe præſens lethum intuerentur: ac licet contractus agger aliquantiſper a fronte diſtaret, ut eo ignium vim perventuram non crederetur, attamen ii, quibus cuniculorum impetus notus erat, in magno metu, ac ſuſpicione verſabantur: ſed horrifici interitus timorem eximia in Deum Optimum Maximum pietas, ac ſingularis in Venetam Rempublicam amor diſcutiebant. Eum caſum fortuna leviorem effecit, cum, hoſte cuniculum incendente, militum cuſtodiæ permutarentur, ac nondum omnes ad protegentem aggerem perveniſſent. Prima luce igne cuniculo admoto, repente immenſa tormentarii pulveris vi, ea urbis regio, ex qua proſpectus in portum erat, horribili veluti terræmotu contremuit; ignea nubes repente tetro involuta fumo humana corpora terra, pulvere, lignis, ſaxiſque permixta magno impetu in aera ſuſtulit, quæ partim in portum, partim in foſſam cecidere. Necdum flammis extinctis, Turcarum manus omni armorum genere inſtructa, Jambolato duce, per ruinas aſcenſum molitur. Qui primi ſcandunt, aream nudatam prope bellatoribus inveniunt, quod ex iis, qui, dum cuniculo ignis admoveretur, ibi ad cuſtodias obeundas ingreſſi fuerant, pars flammis abſumpti, pars horribili fragore attoniti, pars in vulneratis, ruiniſque ſemiſepultis, igne ac ſaxis ſauciis fovendis ac medendis detinebantur. Attamen hoſtium inanis labor fuit; nam qua ex cuniculo, a ſiniſtro latere, muri ampla ruina edita fuerat, protectorius agger intactus permanſerat: a dextro vero, aggere comminuto, non tantum muri dejectum fuerat, ut aditus eſſet patefactus. Dum igitur ſcalere conantur, Neſtor Martinengius cum ſua cohorte ſupervenit, ac cum Petro Comite, qui cuſtodiæ præerat, licet ruinis vehementer afflictus, impetum fortiter excipiunt. Baleonius ducis, ac militis ſtrenue munus obit. Bragadenus, ac Quirinus armati ſtimulos bellatoribus addunt, recentes feſſis ſubmittunt, impetum egregie ſuſtinent, aliiſque ſuper aliis

1571

Turcæ, cuniculo igne admoto, per ruinas ſcandere nituntur.

Neſtor Martinengius & Petrus Comes Turcarum impetum fortiter excipiunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 aliis accurrentibus, propellunt. Repulsi hostes nequaquam territi, majore numero atque impetu redintegrant pugnam, explicatisque vexillis, protegentem aggerem subeunt; arcu, acinace, contis, saxorum quoque, ac præustorum tignorum jactu aditum sibi facere nituntur. Nostri a dextro latere cum muro tecti e labro ab hostibus peti non possent, neque ab oppugnatoribus, ob adscensus difficultatem, pertimescerent, sclopporum displosione multos prosternunt. Vexilliferi cum signis in mœnibus consistentes, depressis hastis, scandentes Turcas sese inferentes repellunt, deturbant, ingentem stragem edunt, signa proterunt, præcipites ex aggeribus agunt. Pulsis stimulos duces addunt, hortantur, impellunt; undique copiæ accurrunt.

Tertio pugna instauratur; sagittarum nube, glandium imbre emisso, adeo sese inferunt, ut cominus contis decertent, manuque apprehensas hastas nostris eripere conentur. Verum acriter propugnatoribus obsistentibus, ferrea procella, arte elaboratis ignibus, variique generis missilibus, ingenti cum cæde Turcæ iterum se recipiunt; statimque e Bovis scopuli munitione quinque eodem momento tormenta excutiunt, quorum pilæ summum in aggerem labentes, contos, atque hastas perfringunt, multisque e nostris, quod conferti essent, fragminibus vulnera, aut lethum inferunt. Inde fortunæ aleam, novo semper militum subsidio aucti, experiuntur: pugnam, more gentis, magno ululatu, ac strepitu ineunt, qui tormentorum, atque sclopporum terribili boatu utrinque auctus, neque ducum imperia, neque militum voces exaudiri sinebat: dimidia exercitus pars spe capiendæ urbis certatim confluit. Nostrorum quoque major pars, quod ex eo loco tantum scandere hostes possent, illuc defertur: atrocius, quam antea, certamen oritur. Turcæ acrius instant, propugnatores fortius obnituntur. In ea dimicatione res ejusmodi accidit, quæ nostris gravi detrimento fuit. Nam globi triginta fabrefacto igne confecti, sponte, ac momento tonitrui instar disrupti, quot quot ea in angusta area conferti milites erant, momento humi dejecere, quorum pars interfecti, pars saucii, pars ab iis, qui repentinæ flammæ vim evitare nitebantur, proculcati, ferri fragmentis lethalibus ictibus per-

percussi sunt: selecti sexaginta milites periere. Hujusce rei novitate, atque horribili globorum bombo perculsi hostes, nostrorumque cuniculum esse, qui igne concepto disjiceretur, veriti, trepidi descendunt. Constans opinio fuit, si eo tempore impetum feciissent, propugnatoribus ingenti concussione dejectis, facile ingredi urbem potuisse. Nostris, qui vivi, atque ab ea intacti labe remanserant, ut quisque melius poterat, assurgunt, alios prostratos erigunt, mutuis adhortationibus se ad defensionem expediunt: mortuos milites, gladios, hastas, loricas, quæque areæ impedimento erant, cuncta ex dextri lateris spiraculo provolvunt: saucios ad proprias domos deferri curant. Recens militum manus defunctorum, ac sauciorum loco subit. Aerumna conduplicatur: qui, ut in hostes jacerentur, quini globi, in angusto transeuntium aditu collocati fuerant, delapsa ex sclopporum igniculis favilla, incenduntur: milites decem interfecti, nonnulli vulnerati sunt. Illud quoque casu evenit, ut dum præfectus quidam armatos milites defunctorum loco inclamaret, geminatam *armati armati* vocem, ii, qui procul erant, exciperent, atque adventantem classem esse rati, eo errore sese augente, momento inani spe universam civitatem perfudere, ut plebs visendi studio, qua major pugna ferveret, nullo vel tormentorum, vel sclopporum, aut sagittarum metu perterrita confluret, passimque feminæ, ac pueri mœnia, atque aggeres scanderent. Adeoque in cunctorum animis impressa ea hæserat vox, ut neque verbis, neque minis, neque præsenti mortis metu territi, deceptos se esse intelligerent. Ingenti strepitu, oppidanorum ad mœnia eminentioraque loca concursu, vocibusque cælum lætitia pulsantibus, admirabundi hostes, ingentis illius fragoris, infaustæque lætitiæ causæ ignari hærere, ac veluti stupore attoniti ab armis cessare; propugnatorum virtuti, mortisque contemptui hæc tribuere.

Obsessi spe adventantis classis erecti.

Quarta vero vix horæ parte cum quievissent, recentium militum numero in certamen rursus descendunt. Nostri neque multitudine, neque oppugnatorum obstinatione, neque iis, quæ adversa contigerant, deterriti, pugnam capessunt. Nullum vel telum, vel tormentum in confertos hostes frustra intorquetur: sæpe ob propinquitatem uno atque eodem ictu bini aut terni sternuntur, infestumque signum ve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 xillifero extincto eripitur . Cum per quinque horas pugnatum eſſet, fracti, ac cæſi hoſtes diſcedunt . In eo certamine e noſtris centum ac viginti deſiderati , inter quos Bernardinus Eugubinus, Joannes Franciſcus Gaucus præfecti; totidem vulnerati, in iis Hercules Malateſta, Petrus Comes , Neſtor Martinengius lapide in faciem petitus . Ob rem bene , ac proſpere geſtam grates Deo Optimo Maximo actæ; tactique religione milites, expiatis conſcientiæ ſordibus, divino ſe Sacramento reficiunt , quo mente , ac corpore expeditiores , acerrime decertando , imminens lethum intrepidi ſpe ſupremæ felicitatis exciperent. Poſtridie ejus diei ſub veſperum cum ſpeculatoria e Creta acceſſiſſet , confeſtim triremes quadraginta, naves quatuor commeatu , milite , bellico apparatu refertas propediem in Cyprum venturas evulgatur . Eo nuntio oppidanorum ac militum ſublatis animis , ſummo mane ad mœnia concurritur , eminentiora urbis petuntur loca : ſi forte adventantia ſubſidia conſpicerentur . Ejuſmodi eſt mortalium ingenium , ut vel afflictis , ac perditis rebus fortunæ mutationem ſibi polliceantur . Verum pro inani lætitia verus mœror ſubiit . Nam Barbaræ navis , quæ cum aliis ad importanda ſubſidia inſtructa fuerat , naufragium , Cretenſium triremium , ut ſe fœderatæ claſſi conjungerent , ad Meſſanam profectio nuntiabatur . Inde ſpes omnis auxiliorum ablata: licet Bragadenus , atque ii , penes quos ſumma conſiliorum erat, vehementer commoverentur, attamen , ingenti pectore dolore compreſſo, ſpem vultu ſimulantes , hilaritate perfuſi , cives ac milites ad fortiter dimicandum incitabant : *Tantiſper durarent , donec , invectis ſubſidiis , omnes ex animo curas , moleſtiaſque depellerent : nunc conſtantia opus eſſe ; qui modo veræ virtutis , ac ſolidæ gloriæ ſtimulis ſubnixi furentem tot hoſtium numerum e mœnibus repuliſſent , nullos labores , nulla pericula formidarent* . His confirmati milites , ſe ad pugnam comparant ; non mœnibus perfractis ac ſemidirutis , non defenſionibus ab hoſte ereptis , non tabernaculis in foſſis defixis terrentur ; hemicyclii , retracti , aggeres , qui cuniculo diſjecti fuerant, reficiuntur : quantum diurnis operibus Turcæ demoliuntur , tantum nocturnis a noſtris ſarcitur . Pari diligentia , ac ſtudio aliis

Obſeſſorum duces interfecti .

Speculatoria Cretenſis Tamaſſienſibus ſpem ſubſidii adimit .

aliis in locis aggeres, quo ſeſe milites reciperent , excitabantur . 1571

Ceterum cuniculo ad exterius propugnaculum perfecto , tertio kal. julii , nondum inalbeſcente cælo , igne ab hoſtibus injecto, ingens editur ruina ; prævalidæ arcis quindecim circiter paſſus ſternuntur ; aggeres comminuuntur ; multis in locis propugnaculum diſcinditur . Vix immani ignium furore compreſſo , ſelecti Turcarum milites candentes adhuc ruinas omni armorum genere , arte elaboratis ignibus , quibus in priori aggreſſione uſi non fuerant , aſcenſum moliuntur . Propugnatores acerrime ſeſe in hoſtem proripiunt , mortiſque abjecto metu , quamvis disjectis aggeribus, telis paterent , manum ita ex propinquo conſerunt , ut gladiis , & acinace ageretur . Primo impetu multi hinc, atque inde cadunt . Supervenientibus utrinque militibus, pugna recrudeſcit . Muſtaphas cum exercitus robore aderat; prece , præmio ſuos incitabat ; minis , atque increpatione urgebat . Baleonius cum militum, ac ducum flore obſtare ; modo impetum excipere , modo propellere: utrinque acriter dimicatur. Ducum præſentia irritat animos; gloria impetum auget . Certatim per ſtrata mœnia Turcæ ſcandunt, premunt, convulnerant, cædunt. Propugnatores fortiter reſiſtunt , irrumpere conantes exturbant, propellunt. Mignanus militum magiſter , Eraſmus Firmanus, Cælius Vicetinus cadunt : Soldatellus , Antonius Aſculanus , Joannes Hiſtrianus præfecti vulnerantur ; milites triginta occumbunt . Eodem tempore , quo ad propugnaculum pugnabatur , Turcæ , in navalium hemicyclium impetu facto , ea quoque ex parte aditum ſibi patefacere connituntur . Verum quod cuncta ad defenſionem diligentius comparata , atque in aggeribus firmandis major noſtrorum fuerat induſtria , fruſtra ſumma carpere , inſtauraro prælio , ſæpius conati , cum ingenti cæde , non abſque dedecore (poſt ſex horarum pugnam) pedem retulerunt . Septem tantum , atque in iis Jacobus Fabritius præfectus, deſiderati ; Neſtor Martinengius glande ictus .

Virtutem , ac conſtantiam militum hoſtes experti , cum nec copiarum multitudine , nec ignium ac telorum imbre , neque mortis adſpectu audaciæ quicquam remittere , neque lo-

Turcæ , alio cuniculo accenſo , mœnia ſcandere conantur .

Militum noſtrorum præfecti interfecti .

Turcæ multorum cædes recipere cogunt .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 loco dimoveri posse intelligerent; unicam supereſſe vincendi rationem rati, ſi omnino aggerum defenſiones, atque areas adimerent; propius ſuccedere, atque majori nixu, ac celeritate (ne diruta ſarciendi noſtris opportunitas eſſet) verberationem conduplicare aggrediuntur. Octo dierum ſpatio ſeptem mœnibus propinquiora munimenta extollunt. Ex eis crebro octoginta tormentorum jactu urbis aggeres, atque prominentes munitiones quatiunt; e propugnatoribus complures interimunt; ingentes in Andreutii præſertim, ac Sanctæ Nappæ hemicycliorum fronte ruinas edunt. In noſtris reficiendorum aggerum ſummum ſtudium, quod, muro ab hoſte occupato, quem aſſidue ſcalpris, malleis, atque aliis hujuſce generis inſtrumentis demoliebatur, unicum illud præſidium reliquum erat. Ex recens erectis munitionibus non modo die, ſed noctu dimicabatur; atque ut certius Turcæ collimarent, temperato magnete ferro ad dirigendos ictus utebantur; quibus, licet raro, noſtri offenderentur, attamen ſibillantium ſupra caput globorum metus a ſcloppettariis ſæpe, non abſque militum cæde, in incertum jacientibus, actus ab opere abſterrebat. Ex alio quoque tormenti genere (quæ *mortaria* vocantur) immanis prope magnitudinis lapideæ pilæ in aera jactæ, ingenti adeo impetu in urbem ferebantur, ut in ædes delapſæ, illas diffringerent, atque everterent; paucis licet eo mortis genere intereuntibus, quod omnes propemodum in mœnibus dimicarent; neque ædium cura, dum de ſervanda civitate ageretur, quemquam ſolicitaret. Tigna quinimmo, ac tabulata, vel ad coquendos panes, vel in areis ampliandis uſui erant. Inter hæc ſagittarum continuatus imber in propugnatores effuſus, quoſcumque attingeret, lethalibus vulneribus conficiebat; cui incommodo variis capitum integumentis occurrebatur. Frequenter ex improviſo, noſtros inopinantes, aut ſemiſomnes ſe adorituros rati, noctu ad arma laceſſebant. Verum diſpertitis militiæ muneribus, ſemper cohortes pro mœnibus excubantes ad conſerendam pugnam paratæ erant. Cumque ſaccis conficiendis, quæ (ut antea diximus) potiſſimum in aggeribus reparandis a noſtris adhibebatur, materia non ſuppeteret, panno, tapetibus, veſtibus, ſtragulis, atque pretioſiori ſupel-

Turcæ novas munitiones erigunt.

pellectile utebantur. Ea certatim a Græcis deferebantur, qui 1571
ſervandæ patriæ ſtudio, atque egregia in Rempublicam fide, ſuarum rerum obliti, cuncta liberaliter effundebant. Feminarum quoque vel ex plebe, vel ex nobilitate tres aut quatuor manipuli quotidie ad mœnia ventitabant, Monaco Græco præeunte, qui cruci affixi Servatoris imaginem manibus geſtans, religionem ac pietatem in animis excitabat; atque iis locis, qua verberatio fiebat, horæ ſpatio operi inſervientes, aquam, ſaxa, ligna importabant; neque diſcedebant, quin vi lapidum in foſſam jactu hoſtes, utcunque poſſent, offenderent. Amathi quoque Epiſcopus, e divi Dominici familia, Græcus genere, in Deum pietate, ac vitæ ſanctitate inſignis, aſduis ſermonibus cunctos ad pugnam pro religione ac patria intrepide obeundam incendebat; vexilloque Crucis munitus, qua atrocius fervebat prælium, præſens ſuaſor, & impulſor aderat: qui mox dum in propinquo mœnibus horto orationi vacaret, glande ictus, ex humanis exceſſit. At noctu, diſploſis e munitionibus tormentis, majoribus ſcloppis in Turcas ex caveis ſub dio egreſſos contortis, ingentibus ſaxis e mortariis in vineas atque areas collibratis, complures hoſtium ſternebantur; quacumque humum ad opera conficienda egererent, arte confecti ignes provolvebantur. E noſtris glandium, ac globorum ictibus haud pauci in dies ſingulos deperibant. Tormentorum quoque peritiores magiſtri abſumebantur, quod inter collibrandum detecti in caput vulnerarentur. Ei detrimento ita occurrere; ſingulis tormentis quadratam cubitalem tabulam trientis craſſitudine adhibebant: in inferiori parte parvam pyramidis formam foramine confecto, ex quo tecti vibratores ictus dirigere poterant: id reliquis, qui ſuperfuerant, ſaluti fuit.

Verum in retractis ad exterius portæ propugnaculum aggeribus ingentem adeo ruinam Turcæ effecerant, ut dum a noſtris interius reficiuntur, ab iis tormentorum vi, ac ligonibus exterius ſternuntur, area, in qua milites conſiſterent, penitus ablata eſſet, tabulatiſque inter propugnaculum ac portam erectis, aream, ex qua milites dimicare poſſent, ampliorem reddere neceſſe fuerit. Sed cum ægre tutari dirutum propugnaculum poſſe animadverterent, ut multo Turcis ſanguine neceque conſtaret, ſub ſuorum latus cuniculum, qui

Feminarum Tamaſſienſium in patriam caritas & virtus.

Amathi Epiſcopi pietas & obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 qui, iis ingruentibus, erumpat, ſuffodere ſtatuunt. Tigna quoque ac tabulas pice linunt, ut, vehementiori nitrati pulveris concuſſione in aera ſublata materia, flammis involvantur. Par utrinque oppugnantium, ac propugnantium conatus: illi tormentis, ſcloppis, demolitione, ſuffoſſione urgere, defenſiones eripere, omni generis aſtu, & artificio uti: noſtri reparare, ſarcire, novas ad ſe protegendos munitiones ſtruere, ingenii, atque induſtriæ nervis contendere, ut Turcas repellant, ſeque tueantur. Sed inconcuſſis adhuc, atque impavidis mentibus, robur corporum vireſque, jam tot laboribus atque ærumnis exhauſtæ, minime reſpondebant; cum plerique fortiſſimi viri occubuiſſent, reliqui vulnerati crebro in amicorum ſinu animam effunderent. Tot calamitatibus preſſi, vel laboribus durata virtute, vel auxiliorum ſpe, ne minimum quidem de conſtantia remittebant. Contra Turcæ novis ſemper copiis, commeatibus, bellico apparatu augebantur, e propinquis Ciliciæ litoribus continenter in Cyprum navigiis confluentibus: inde frequentioribus ictibus aggeres, munitioneſque refectas diruere, continuatis operibus in urbem aditum ſibi patefacere aggrediebantur; ut octavo idus julii, atque inſequenti nocte quinque globorum millia ferantur excuſſa.

Turcæ quatuor ex locis urbem aggrediuntur.

Poſtridie ejus diei hora tertia, quatuor in locis, nempe ad navalium, Andreutii, Sanctæ Nappæ, ac propugnaculi hemicyclia adoriuntur. Magna ea die virtus, ingens hoſtium contentio. Duces laudis avidi, nobili fortitudinis æmulatione permoti, ſuos quiſque primos ſubire pugnam, atque ingredi contendunt: ſelectis, ac ſtrenuis militibus præire juſſis, ſi qui gradum referrent, convulnerabant. Noſtri contra præfectorum adhortatione, & exemplo imperterriti, acerrimum impetum ſuſtinere; locum nunquam deſerere; corpora pro muro, glandibus, ac ſagittis objicere; Turcarum conatus irritos reddere. Tum qui inter Janizzeros majori virtutis opinione excellebant, ſubeuntes, pugnam capeſſere, armis, igne viam ſternere conantur. Verum ex aggeribus noctu refectis, atque a latere communitis, repulſi, in præceps a propugnatoribus agebantur. Tunc duces inſtaurare pugnam rurſus præcipiunt, denſa eodem tempore ſagittarum nube, ac con-

continenti glandium procella e labro foſſæ exundante. Noſtri ignibus ac ſcloppis ſcandentes exturbant, proſternunt, ingentique globorum vi ac ſtrepitu, qui ex eminentioribus locis demittebantur, permixtim milites cum bellico apparatu detrudunt. Verum neque ob id quidquam de obfirmata pertinacia Turcæ remittunt; ita enim ex eorum animis vincendi ſtudium, vulnerum lethique memoria abripuerat, ut multi ictibus confoſſi cum recentibus ac prævalidis immixti, obſtinata contentione conſcendere adniterentur. Utrimque vero interfectorum loco recentes, per extinctorum ſociorum cadavera vadentes, obeuntium munera atque officia implebant; in vindictamque inardeſcentes, ſæpius eodem caſu rapiebantur. Certatim conferti adrepere Turcæ adnixi, cum ſibi ipſis eſſent impedimento, aggeribus appropinquantes, aut inflictis vulneribus, aut cæde illata, ſtatim propellebantur. Quinquies redintegrata pugna; quinquies repulſi, cum nihil ſe proficere animaduerterent, ſenſimque nonnihil de priori impetu deperiret, ſuorumque defluentis ſanguinis rivos ipſi duces inſpicerent, ingenti illo animorum ardore imminuto, receptui canere juſſere. Ab ea invictæ fortitudinis laude ne feminæ quidem expertes eſſe voluere, quæ virorum in morem cum certare cum hoſte non poſſent, arma miniſtrabant, aquam ferebant, ſaucios fovebant; nec deerant, quæ panem, vinum, obſonia ad feſſos, diuturnaque dimicatione ſiti enectos milites domo afferrent. Incredibili ea die ignei globi noſtris uſui fuere. Circuli præterea elaborato igne confecti, ferreiſque uncis muniti, in confertam turbam jacti, magno hoſtibus detrimento extitere, cum attactu veſtibus adeo hærerent, ut priuſquam ſe ex iis milites explicare poſſent, miſerrime flammis interirent. Eorum circulorum quidam, in hoſtium colla decidentes, inſueto atque terribili mortis genere extinxere. E noſtris in eo certamine ſexaginta deſiderati, atque haud multo plures vulnerati ſunt; hoſtium ingens cædes facta.

Obſeſſorum virtute Turcæ rejiciuntur.

Hic exitus ea die ad tria hemicyclia, navalium, Andreutii, & Sanctæ Nappæ fuit. Ad exterius propugnaculum improſpere pugnatum. Nam cum hoſtes cunctando prælium in duas horas, ſecus atque aſſueverant, extraxiſſent, nihil noſtri moturos rati, aliquantum diligentiæ, ac ſolicitudinis re-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 remiferant, improviſumque univerſi impetum non excepere; cumque multitudini, quæ furore acta, facibuſque armata incumbebat, pares non eſſent; neque ob areæ anguſtiam haſtis ac fariſſis commode uterentur, perturbati, qua deſcenſus erat, conglobantur. Permixti Turcæ acriter inſequentes convulnerant, cædunt, præque lætitia ululantes, uſque ad Amathi portam ſe proripiunt. Qui cuſtodiæ præerant, impavidi ingruentium impetum ſuſtinent; manum cominus conſerunt. Interim Turcæ, eorum, qui deſcenderant, magna ſtrage edita, turmatim ad propugnaculum concurrunt, victam urbem ingreſſuros rati; tunc cuniculo ignem noſtri parum feliciter admovent: nam in latus urbi obverſum procumbens, hoſtes una cum propugnatoribus oppreſſit; horribilique erumpens fragore, qua Turcas, qua Chriſtianos una cum ruinis in aerem extulit; pontes, ac tabulata pice intecta, flammiſque torrentia ſtravit, ſub quorum pondere e noſtris aliquot periere. Miſerrimum atque horrendum cernere erat, e propugnatoribus nonnullos vulneribus acceptis ſaucios; quoſdam igne peruſtos; alios graviorum lapidum aut tignorum mole ſemiſepultos, vix ægrum ſpiritum ducere; alios in fruſta diſſectos, aut capite truncatos; alios demum aut ferro, aut igne, aut immani ſaxorum, vel lignorum ſtrue prægravatos opem ejulatu ac lachrymis implorantes, quibus ne ſubveniretur tabulatorum flamma, atque ad patentem portam pugna impediebant. Mille circiter hoſtium occubuere, qui dum manibus victoriam tenere geſtiunt, ſeſe recipere, atque portam deſerere coguntur, exteriori tantum propugnaculo potiti: e noſtris ſupra centum ac triginta ceciderе, inter quos Robertus Malvetius. Hoſte digreſſo, primum in ſauciis ſanandis, defunctis humandis; ſecundum illatis ea in parte damnis ſarciendis ſtudium fuit: ſed cum in diruto occupatoque propugnaculo hoſtes non conſiſterent, nec inde adverſum aliquid molirentur; alium ab eodem ſiniſtro latere cuniculum ducere, fornicem quoque ſub ingenti eo tumulo terra aggeſto ſuffodere noſtri ſtatuunt, ne ex ſuperiore loco depugnantes Turcæ, portæque imminentes, defenſiones eriperent. Ut vero portam ipſam ad inopinatos impetus tu-

Obſeſſorum cæde Turcæ exteriori propugnaculo potiuntur.

Roberti Malvetii obitus.

tutam redderent, e connexis tignis tabulatum conficiunt, 1571
atque ferro ad ignem arcendum incruſtatum acutis, incidentibuſque cuſpidibus ſemicubitali magnitudine undique extantibus communiunt; harpagonibus ad portæ fornicem appenſum fune tollunt, quo, ſi occaſio poſceret, repente ſecuri præciſo, magno impetu inferius immani pondere depreſſum, non modo ab ingreſſu hoſtem arceret, ſed etiam acutiſſimo gladii genere conficeret. Iis peractis, humus e disjecto propugnaculo, quod neque in hortis, neque aliis in locis ſuppeteret, in urbem defertur; ex ea aggeres inſtaurantur.

Quatriduo ab hoſtibus quies fuit. Mox a dextra propugnaculi parte, quæ intacta a cuniculo permanſerat, aggeres ducere incipiunt; noſtris terræ effoſſionem impediunt; nemini e porta egreſſum permittunt. At ea diligentiſſimis munita excubiis, quo ad hoſtium diſturbanda opera aditus eſſet, dies ac noctes patebat. Verum cum e propinquo pugnam cum noſtris Turcæ detrectarent, tormenta quatiendo, ligonibus ſuffodiendo rem agebant; eoque ventum erat, ut qua verberationes fieri conſueverant, aggeres, quibus noſtri protegebantur, duorum Cretenſium doliorum, alicubi vero unius craſſitudinem non excederent, ad hemicyclia, & ad portam, nulla intercapedine intercedente, pro libito hoſtes ingreſſum, egreſſum noſtri tentare poſſent. Ne vero e ſuis quiſquam ſtationibus diſcederet, communi periculo arcebantur. Ea propinquitate fiebat, ut aſſidue viciſſim ſermones ſererentur. Noſtri Turcis ignaviam exprobrare, quod cominus gladiis certare non auderent, agreſtium more ligonibus uterentur, iis magis, quam ferro confiderent: prodirent, manum conſerrent, licet numero in immenſum polleret, ipſis neque mœnia, neque areæ eſſent, pugnam nunquam detrectaturos. Illi contra, quid noſtri agerent? quid molirentur? An, ſpe ſubſidiorum amiſſa, urbem tueri ſperarent? cladem Chriſtianorum fugatam, pleraque loca incenſa, direpta, capta: tandem demitterent animos, deditionem facerent, ni omnes acin[illegible]cidi velint. Enimvero ut ab colloquiis noſtri abſtinerent, mortis pœna propoſita, magiſtratus edicto cautum, vel ne ex iis metus propugnatoribus ineuteretur, vel ne quo lo-

Obſeſſorum & Turcarum mutua convicia.

Edictum, ut obſeſſio a colloquiis abſtineat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 loco res noſtræ eſſent, hoſtes facile cognoſcerent. Miles cum adverſus edictum feciſſet, ſtatim lethali ſupplicio, eliſis faucibus, pœnas dedit. Cum igitur provocatos reſpondere nuſquam noſtros Turcæ animadverterent, ſagittarum amentis alligatas literas, qua italico, qua græco, qua turcico idiomate conſcriptas, in urbem jaciunt. In iis ad deditionem faciendam ſuaſiones continebantur; ſtatimque præfecto, ac ducibus deferebantur; neque Muſtaphas ipſe, colloquio per captivos petito, reſponſum tulit.

Eodem tempore, Andreutii, & Sanctæ Nappæ hemicycliis penitus occupatis, ſe ſe ad retractorum aggerum ſuffoſſionem hoſtes provehunt; adverſus ignium vim, qui e ſummo jaciebantur, contabulatis ea magnitudine utuntur, ut deni tecti operi incumbant. Sed a noſtris pice ſulphuri imixta, flammis adhuc excitatis, corripiuntur. Iis ut obſiſtant, recens detractis bovinis coriis eadem tabulata contegunt. Haud diſpari labore ingentem aggerem, vel potius montem in foſſa e regione navalium murorum tollere, atque ſaccis humo oppletis, virgultiſque craſſiorem reddere adnituntur. Propugnatores cum egreſſu in foſſas prohiberentur, ſagittas cum ſacculis infartis pulvere elaborato, & magnis arcubus, altero adducente arcu, altero igniculo admovente, ejaculabantur; quæ faſcibus, ac virgultis impactæ vehemens incendium excitabant: flammis terra impoſita extinctis, conduplicata materia, hoſtes detrimentum farciebant. Sæpius noctu armis laceſſebant, intempeſtis nonnunquam tenebris taciti ſeſe uſque ad ſumma verberationum loca, quo melius ſitum perdiſcerent, illati a noſtris aſſidua ſclopporum excuſſione ſummovebantur. At quoniam pleriſque in locis, qua verberatio fiebat, protegentibus ſtratis aggeribus, ab una ad alteram munitionem trajicientes milites, ſagittis, ac glandibus hoſtium patebant: foſſa in quinque pedum altitudinem in aggeribus ipſis, qua tuto ultro citroque commeari poſſet, perducitur.

Jam ad tertium idus julii ventum erat, cum indignabundi Turcæ per ſummum copiarum contemptum præcipuam civitatis portam adhuc apertam teneri, cum præſertim

1571 tim exteriori propugnaculo potiti, promotis aggeribus, tres aut ad ſummum quatuor ab ea paſſus diſtarent; noſtros depellere, atque occupare portam aggrediuntur. Pugnaciſſimorum militum manus dirutum propugnaculum ſcandit; ex iis quinquaginta per clivum deſcendentes, a fronte pugnare non auſi, ex utroque latere auxiliorum ſpe freti invadunt, vexilla ante portam ſtatuunt. Heſtor Baleonius, atque Aloyſius Martinengius, qui portæ defenſionem ſuſceperant, infeſtis ſignis inſpectis, cum fortiſſimorum bellatorum manu ſummo impetu ſeſe proripiunt; primos vulnerant, cædunt: reliqui perterriti, armis vexilliſque relictis, adeo perturbati fugam capeſſunt, ut plerique incomperto ad ſuos itinere e lateribus in foſſas deſilirent: alii qua parte in propugnaculi fornicem aditus erat, ingredi certatim adnixi, in anguſtiis periere. Eodem momento, igne cuniculo a noſtris disjecto, ingens Turcarum ſtrages eſt edita. Octingentos nonnulli extinctos ferunt: quatuor in iis Sangiacchi ex exercitus primoribus, plurimum Muſtaphæ dilecti, occubuere: qua ex re adeo barbarus noſtrorum virtutis impatiens ſpectator excanduit, ut ad eorum ſanguinem ulciſcendum nullum crudelitatis genus prætermiſſurum jurejurando teſtaretur.

Turcæ ad oppugnationem redeũt. ingẽti ſtrage rejiciuntur.

Inſequenti die, qui fuit xvii. kalend. auguſti, cuniculum ad navalis mœnia ductum incendunt; qui quod a noſtris antea exceptus eſſet, parum detrimenti attulit, neque Turcis, uti ſibi perſuaſerant, aſcenſum præbuit. Eo conatu irrito, novo atque inſueto pugnæ genere aggrediuntur; virgulta, & ligna, pice illita tigna, infertos tormentario pulvere ſaccos, omnemque materiæ vim ad ignem concipiendum ideoneam comparant, eamque in aream inter propugnaculum ac portam congerunt: igne in aridam ſtipulam, & ad rapiendas flammas opportunam injecto, vehemens adeo incendium exoritur, ut noſtri tum inopinatæ rei novitate, tum terrimo tiliæ arboris afflatu correpti, haud parum commoverentur. Verum, ut poterant, flammis obviam ire conati ſunt, prælongis haſtis incendii fomites disjiciunt; harpagonibus ligna abripiunt: ſed nulla arte imminui, ne dum extingui atrox incendium poterat: cuncta fumo atque nigra cali-

Turcæ, maximo incendio excitato, noſtros ſummopere affligunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 caligine intermicantibus flammis involvebantur. Igitur immensa caloris vi adacti, se intimius intra portam nostri recipiunt; ex aggeribus plena aquis dolia præcipitant, quæ aucto ex casu pondere diffractam materiam, perfunderent, licet, assidue novo ingesto pabulo, incendium incrementa susciperet; cum illud quoque accessisset, ut per eos dies furens notus, auctis flammis, fumum vehementi calore, tetroque odore permixtum in urbem propelleret. Tandem quatriduo ea peste civitate affecta, cum nec igni, nec multitudini obsisti posset, porta occluditur.

Obsessorum angustiæ.

Ceterum cum quidquid vel humano ingenio, vel viribus in gravissima, ac diuturna obsidione fieri poterat, id nostri summo studio, indefesso labore præstitissent; hostes contra novis in dies & copiarum & commeatuum incrementis augerentur: brevi exhausta, atque afflicta civitate potituri videbantur. Propugnatores ad paucitatem redacti; munitiones, atque propugnacula strata, atque eversa; tormentarii pulveris angustia; cunctorum, quæ ad victum necessaria erant, indigentia; non obsonia, non vinum, non satis ad explendam famem panis, licet pessimi generis, suppetebat: acetum pro vino erat, atque illud quoque defecerat: jam asinina, atque equina caro, feles quoque ipsi, aliaque tetra, & infanda cibaria pro alimento fuerant: pauci ex militibus incolumes, atque iidem adeo assiduis laboribus, vigiliisque defessi, atque fame enecti, ut non homines, sed umbras potius diceres: ingens sauciorum numerus, qui licet minime lethalibus vulneribus confecti essent, medicamentorum tamen, victusque inopia deperibant. Iis tot calamitatibus, atque ærumnis pressi a Divino tantum Numine opem cadenti patriæ expectabant. Secundum Deum, nullum iis perfugium, nisi in præfecto, ac ducibus erat. Vivida in Marco Antonio Bragadeno virtus, infractus animus, adhortationibus, exemplo milites ad labores subeundos impellere, animos augere, hilaritatem vultu præseferre minime cessabat: ab ejus consiliis Baleonius eadem constantia, animique vigore suffultus nunquam discedens, militis, ac ducis munera implebat: quæ ingentem adeo in illos vel benevolentiam, vel admirationem hominum excitaverant, ut nemo esset, qui, in eos conjectis oculis, non

Marci Antonii Bragadeni & Baleonii virtus & constantia.

omnia

1571 omnia auderet, vitamque certissimæ mortis periculo objiceret. Mustaphas, quo loco res essent, licet ex nostris, quorum summa, atque incredibilis fides extitit, perdiscere non posset, attamen conjectura assequebatur, quod neque crebra verberatione, neque fabrefactis ignibus, uti assueverant, uterentur, neque operibus incumberent. Verum cum tantum in ea oppugnatione copiarum absumptum animadverteret, ne obstinatio in rabiem versa, clades suorum accumularet; quacumque ratione oppidanos ad deditionem impellere conabatur. A literis in urbem emittendis, qua minis, qua pollicitis refertis nunquam cessare, colloquium per suos poscere, æquas ac perhonorificas leges offerre: quibus neque nostrorum animi flectebantur, neque responsi quidquam afferebatur. At primarii cives, populi, domesticorumque precibus defatigati, qui propinquum patriæ interitum, barbarorum crudelitatem veriti, tantis subtrahi se calamitatibus & periculis exoptabant, libellum supplicem a plerisque subsignatum magistratui, ac ducibus obtulere, quo ea continebantur, quæ diserta, ac prolixa oratione in hanc sententiam Matthæus Golfius enunciavit.

Mustaphas obsessos ad deditionem hortatur.

Matthæi Golfii ad Bragadenum & duces oratio.

Nisi innumeris, egregiisque argumentis in horrifica hac obsidione sustinenda nostra in periculis constantia, in laboribus virtus, in hostibus propellendis fortitudo, in Rempublicam Venetam inconcussa fides, atque obsequium satis superque enituissent; nunquam hac die calamitosorum civium nomine, quos ad extremum patriæ excidium fortuna servavit, in conspectum vestrum, Rector clementissime, fortissimi duces, supplex prodiissem. Sed cum eo loco res sint, ut nihil a nobis amplius aut expectari, aut desiderari queat, omnique accisa humani auxilii spe, cuncta lethum, ruinas, exitium minentur, quis jure carpere nos possit, si ad vestram opem, auxiliumque confugiamus? Jam enim annus elabitur, quo potentissimus hostis urbem hanc terra, mariqu[e] aggressus ferro, igne, tormentis, aggeribus, munitionibus oppugnat. Quid a civibus vel pro patria, vel pro Veneto imperio, vel pro christiana religione præstari potuit, quod non emulate effectum sit? Una vobiscum Turcarum impetum, atque arma sustinuimus, ingenti cum internecione ab hisce mœnibus hostem repulimus, scandentem exturbavimus, sæpius in campo cum il-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *lo decertavimus, intra hoſce aggeres manus conſeruimus: fortunæ amiſſæ, ædes dirutæ, complanatæ, ſupellex in munitionibus ſarciendis inſumpta, quæ ad vitam ſuſtinendam neceſſaria erant, italicæ militiæ communicata: noſtri fere omnes acriter pugnando in tuendis hiſce mœnibus, vobis inſpectantibus, occubuere: qui adhuc ſpiritum trahunt, ſi ita videatur, uſque ad interitum dimicare, atque animam efflare parati ſunt. Tot ærumnis oppreſſis, parentes ſenes, uxores imbelles, innoxia pignora tantum ſuperſunt; horum lachrymas ſiccis oculis aſpicere qui poſſumus, ni omni humanitatis ſenſu exuti pene videri velimus? Horum tibi ſalutem, præſtantiſſime Rector, enixe commendamus; id unum ſupplices tantum poſcimus, ne verendos patres ab immani hoſte ante oculos noſtros interimi, ne efferatæ militum libidini uxores exponi, ne e complexibus parvulos filios abripi, atque a ſalutari Chriſti Servatoris religione ad impiam mahumeticam ſuperſtitionem traduci patiaris. Quid enim vel Senatui Veneto, vel chriſtianæ reipublicæ proderit, ſi una cum hujus urbis amiſſione egregiæ fidei civium, atque præclari hujus militiæ roboris jactura fiat? Atqui ſi, quæ (mihi credite) infelici nos fato eximendi occaſio adeſt, eam hoc tempore non arripitis, fruſtra poſthac requiretis. Hoſtis vel curarum pertæſus, vel rerum noſtrarum inſcius, ejuſmodi conditiones proponit, quas hoc rerum ſtatu vix exoptare audeamus. Excepto enim hoc urbis dirutæ ambitu, his ſtratis mœnibus, atque aggeribus, quibus jam fere potitur, reliqua nobis, vitam, liberos, bona pollicetur. Fuerit ſane invictæ fortitudinis veſtræ pro hac civitate tot adiiſſe labores, tot iniiſſe certamina; eminus, cominuſque cum potentiſſimo hoſte depugnaſſe; immenſos illius conatus qua vi, qua arte ſæpius vel fregiſſe, vel eluſiſſe. Quidquid hucuſque exhauſtum eſt, uni virtuti veſtræ tribuatur. An ſpe omni abjecta, cum prope in viſceribus Turcæ hæreant, cum fame, ſiti, totque incommodis pene conſumpta corpora vix ad arma ſuſtinenda idonea ſint, adhuc inſiſtendum vobis eſſe arbitramini? An non prudentiæ veſtræ potius erit tandem modum tot malis imponere, neque ultro vos hoſtili ferro mactandos objicere, atque omnium pernicie, propinquum civitatis occaſum cumulare? Si qua igitur in animis miſe-*

miſeratio viget, per eam, quæ mentibus veſtris chriſtianæ 1571
coaluit pietatis laudem, vos demiſiſſime obſecramus, ne inſontem plebem, quam hoſtes quoque incolumem volunt, ſupremis circumveniri periculis patiamini. Hæ ſupremæ reſtant lachrymæ, quas ærumnis undique circumſepti ad vos ex omnium pectore, ac ore manantes deferimus; quas ex ſqualido hoc aſpectu, ex lugubri hac oratione intueri licet. Univerſæ hujus civitatis reliquiæ ad vos ſupplices manus tendunt, exorant, obteſtantur, ut tandem aliquando egregiam hanc animi conſtantiam, quæ omnium gentium ſemper prædicatione extolletur, flecti aliquantiſper ſinatis; ſalutem, libertatem, fortunas, ac ſi quid eſt, quod poſt tot ingentes calamitates, poſt duratos tot malis animos carum, ac pretioſum eſſe, ſecundum Deum, poſſit, pietati veſtræ, ac clementiæ omnes acceptum referent.

Marci Antonii Bragadeni reſponſum.

Gulfij oratione cunctis excuſſæ lachrymæ. At Bragadenus, licet vehementer commoveretur, imminentemque urbi caſum animo ſubjiceret, tamen cum extrema quæque pati, ac quidquid humano conſilio fieri poſſet, id ſibi faciundum ſtatuiſſet, brevibus labantes civium animos ad meliorem ſpem erigere conatur: *Ne adeo ſe demittant, neve ita ſe afflictent; adhuc vires in aliquot dies ſuppetere, auxilia in propinquo procul dubio eſſe: ſe pro communi omnium ſalute excubiturum. Dei Optimi Maximi tanta in re conſilium opemque implora-turum.* His, atque aliis cives ſolatus dimittit, ſtatimque, iſdem petentibus, nequa in re defuiſſe videatur, nocte celocem in Cretam citato itinere mittit; quo loco Tamaſſi reſſint, magiſtratibus ſignificet; quamprimum ingentia ſubſidia ſubmitti petat. Eam celocem in Cretam perveniſſe poſtea cognitum eſt, cum, jam omni de Cypri auxiliis cura depoſita, Venetæ triremes, ut ſe reliquæ claſſi, fœderatiſque conjungerent, Meſſanam iter intendiſſent. Igitur nullo imminentium periculorum metu territus Bragadenus, quæcumque ab hoſtium impetum frangendum magis opportuna arbitrabatur, indefeſſa ſolicitudine, ac diligentia curabat; neque ſumus, neque perennes vigiliæ, aſſiduuſve labor reliquorum militum ſpiritus debilitabant, qui vel eo præſertim angebantur, quod nullum præclarum virtutis ſpecimen juſto marte edere, nec generoſo

Marcus Antonius Bragadenus celocem in Cretã mittit ad auxilia poterda.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 letho ærumnis finem imponere liceret; cum Turcæ aggeribus ducendis, terræ ſuffoſſione, ligonibus, non gladiis certando, noſtros adeo in arctum redegiſſent, ut ſolo quoque cui inſiſterent, adempto, citra cædem, & ſanguinem pereundum eſſet.

At Muſtaphas, ne cunctando præſens ſibi e manibus victoria elaberetur, metuens, æmulique Mehemetis invidiam, qui ſemper a Cypria expeditione averſus fuerat, perhorreſcens, conficere bellum nitebatur; denuo per captivos copiam loquendi petit, denuo perhonorificis conditionibus, humaniſſimiſque verbis, ſupra quam credi de homine barbaro poſſet, allicere ad deditionem contendit. Sed cum jam omnes pugnando mortem oppetere ſtatuiſſent, ſurdis hæc auribus jactabantur. Cum prece, ac ſuaſionibus propugnatorum conſtantiam, ac pertinaciam frangi non poſſe animadverteret, ad vim converſus, concilio ſuorum vocato, in quo Baſſæ, Sangiacchi, atque alii bello clari duces aderant; *Verbis apud fortiſſimos viros opus non eſse* (inquit) *verum obfirmato hoſtium animo, præter morem, ad dicendum impelli: quem enim ferre poſſe, ut quibus modo tormentis, cuniculis, ſcalpris, ligonibus, dolabris quaſſata, ac ſtrata mœnia, templa everſa, complanatæ domus fuerint, ii nondum tot ingentium malorum turbine territi faſtum demittere, deſponere animos, oblatas pacis leges non modo non accipere, ſed ne audire quidem velint, atque ita nobiſcum agant, tamquam intactis mœnibus, ſalvis propugnatoribus, rerum omnium copia affluant? Id ne eorum virtuti, an potius noſtræ ignaviæ tribuendum exiſtimem? Cur igitur fortiſſime dimicando maculam iſtam præclaræ hujus militiæ non eluimus? Res tota in vobis poſita eſt; ſi ſtimulos veſtris militibus addere, ſi, direptione urbis pronunciata, faces adjungere velitis. Ejuſmodi profecto res eſt, quæ animos noſtros inflammare, atque incitare debet: una Tamaſso devicta, ampliſſimi, ac nobiliſſimi regni Ottomanorum imperio facta acceſſio erit: omnia victoriæ præmia virtus veſtra poſſidebit, theſauros diuturna pace congeſtos, arma, tormenta, ac ſi quid aliud eſt, quo ad militiæ decora alti milites rapi poſſint. An in dubio fortaſſe victoria eſt? At quiſnam veſtrum, ſi robur, ſi afflictas ac*

Muſtaphæ ad ſuos oratio.

perditas obſeſſorum res intueatur, certiore unquam exitu cum hoſte conflixit? Si quid certe ſuperioris virtutis, ac roboris ingenti hoc in exercitu manet, jam vicimus, jam incruentam victoriam tenemus. Trium mihi dierum continuata pugna cunctorum indiſcriminata cæde, urbiſque direptione, Chriſtianorum pertinaciam frangere, ac perdomare conſtitutum eſt. Itaque militibus edicite, arma parent, corpora curent, impetum cras in hoſtem facturi, finem tot laboribus felicibus auſpiciis impoſituri. His dictis, Muſtaphæ virtutem, ac magnanimitatem præfecti extollunt, imperata enixe curaturos pollicentur. Dimiſſo concilio, ſtatim imperatoris edictum pronunciatur. Eo incenſi milites ſtationes ſuas quiſque occupat, cuncta ad oppugnationem expediunt. 1571

Noſtri quoque incredibili pugnæ deſiderio incenſi, ſeſe ad impetum non minori animi, quam corporis robore ſuſtinendum communiunt. Res in decimam nonam diei horam dilata, quo tempore quatuor cuniculi eodem momento flammarum vi erumpunt; magnaque murorum mole, quæ incubuerat, in altum ſublata, ingentem ſtrepitum, ac bombum efficiunt, editioremque munitionem ſternunt. Unus tantum ex propugnatoribus Rondacius, equitum ductor, ſaxo ignis vi in altum ſublato, mox decidente, percuſſus, interiit. Cuniculorum fragore compreſſo, hoſtium aliquot temere per munitionis ruinas repere adnixi, cum acclivi loco diffidis atque impeditus aſcenſus eſſet, abſque noſtrorum cæde repelluntur. Qua ad Divæ Nappæ, Andreutii, atque navalis hemicyclia verberationes conſtitutæ erant, confertis ignis infeſtis, magno ſtrepitu ululatuque ſuccedunt. Sed cum in mediis ſemitis conſiſtentes gladiis cominus unum conſerere nollent, complures a propugnatoribus ſclopporum ictibus ſternuntur. Atrocius ad navalium hemicyclium mars ſæviit; atque adeo utrinque acriter certatum eſt, ut nunquam nec major cædes, nec vehementior ardor extiterit. Nam cum vi cuniculi dextrum hemicyclii latus penitus diſſiliſſet, aditu patefacto, ejuſmodi via pandebatur, qua triginta æquo paſſu gradientes hoſtes excipiebantur; diruiſque penitus iis aggeribus, ex quibus noſtri tecti dimicaverant, aper-

Turcæ quatuor cuniculos incendunt.

Rondacius equitum ductor interfectus.

Prælium atrox ad navalium hemicyclia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 to campo res gerebatur . Quoties a Turcis propugnatores pulsi interius se recipiebant , toties ab iisdem Turcæ vulneribus confossi deturbabantur . Verum adhortationibus , atque ducum vocibus redintegrata pugna , nostri ingenti amittendæ urbis periculo permoti , desperati dimicant : salus in dextris est . Horribili cuncta tormentorum , armorum inclamantium strepitu reboant : utrinque glandium , ac sagittarum imbre milites prosternuntur ; utrinque sociorum interitu iræ sæviunt . Voluntariorum militum manus , qui Selymo militabant , accurrit ; ferro , atque igne iter moliuntur , recentes fessis subeuntes . Milites nostri Turcarum fervorem compescunt ; igne ac missilibus eminus , gladiis cominus decertant . Dubio , atque incerto marte dimicabatur ; cum Baleonius , qua majus atque atrocius prælium erat , in medias cohortes illatus , propugnatorum virtutem incendit . *Eja* , inquit , *milites* , *urbium arces* , *firmissimaque civitatis munimenta* , *non mœnibus tecti* , *non fossa sejuncti* , *virtute tantum* , *ac fortitudine vestra hodie decernendum est* . *Cum iis pugnatis* , *quorum jam sæpius periculum fecistis* . *Exerite vividum animorum impetum* ; *irruite in confertam multitudinem* ; *exturbate hostem* ; *in dextris vestris civitatis istius non modo* , *sed totius regni salutem geritis* . Ducis aspectu , & cohortatione magis magisque incitati milites , pauci adversus innumeros acerrime depugnant ; protractoque usque ad occasum solis certamine , Turcæ cum ingenti cæde , quinquaginta tantum e nostris desideratis , repelluntur ; lætisque vocibus e mœnibus præteritæ noctis minæ ab obsessis irridentur .

Turcæ ingenti cæde repelluntur.

Irrito eventu indignabundus barbarus furit : ab immensa fere multitudine paucos , cunctisque rebus destitutos vinci non posse ; suorum acervos , quorum corporibus ac sanguine adscensus in urbem sternebatur , torvis oculis atque infrendens inspicit . Ira exæstuans , quæ in sequentem diem ad urbem denuo invadendam spectent , perfici curat . Indefesso fossorum opere viæ ea nocte complanantur , ex fossæ margine in retractos aggeres nunquam verberatio intermittitur . Nostri nihil eorum , quæ pro rerum statu fieri pot-

poterant , prætermittunt : nulla quies ea nocte fuit ; ad certamen postridie ineundum animos , corporaque comparant ; omnes certatim operibus insistunt : duces huc , atque illuc discurrant ; qua magis opus erat , succurrunt . Bragadenus omnia circumspicere , cunctis locis adesse , milites hortari , fortitudine , & prudentia militis , ac ducis munera obire . Qui cum ad Amathi munitionem , ubi frequentiores milites , ac cives erant , substitisset , *Jam* , inquit , *egregii cives* , *fortissimi milites* , *quod maxime exoptastis* , *unico certamine supremum virtutis ac fortitudinis vestræ periculum est faciendum* ; *in quo* , *nisi me fallit animus* , *devicti hostis* , *servatæ patriæ* , *atque nobilissimi istius regni eximiam laudem toto orbe retuleritis* ; *nisi ab hesterna die* , *in qua fortiter adeo scandentes Turcas repulistis* , *omnia immutata sunt* . *Idem certe est hostis* , *iidem vos fortissima hujusce urbis munimenta* . *Ille multitudine tantum* , *non vera virtute fretus* , *ducum suorum impulsu pugnam ciet* . *Vos pro libertate* , *pro patria* , *pro religione dimicatis* : *cum iis vobis manus sunt conserendæ* , *quos sæpe vicistis* , *quos nuper ingenti cum cæde repulistis* , *quorum cruore madefacta hæc mœnia intuemini* . *Quæ sane si animos vestros ad certam victoriæ spem non inflammarent* , *an non rerum nostrarum conditio impellere* , *an non necessitatis telum urgere debet* , *quo sæpe meticulosi* , *repente strenui ac fortes effecti* , *humanæ fortitudinis fastigium sunt supergressi* ? *Intra hæc* , *quæ cernitis* , *eversa mœnia* , *diruta aggeres* , *complanatas munitiones* , *nullus receptui* , *aut fugæ locus* : *cras* , *ac perendie in hoc solo vobis aut victoria læta aut generosus obitus manet* . Plura dicere parante , multum plausus vocem intercepit ; omnes uno ore inclamare : *Non verbis* , *neque imperiis amplius opus esse* ; *calamitatibus* , *quæ victis ab hoste immineant* , *ad acriter dimicandum* , *fortiterque se tuendum* , *unumquemque incitari* : *nec ambigeret* ; *omnes supremos conatus adhibitaros* , *potiusque in frusta se discerpi passuros* , *quam vel minimum ex stationibus recedant* .

Marci Antonii Bragadeni ad cives & milites adhortatio.

Tertio kalend. augusti , inalbescente die , prævalida Turcarum cohortes , omnibus prius dispositis tormentis , verberationum loca scandunt , statimque aggeribus succedunt : acerrime di-

Turcæ ad urbis oppugnationem ruunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1517 dimicantes per propugnatorum arma iter ſibi facere nituntur. Noſtri e refertis aggerum lateribus glandium ejaculatione ſubeuntes proſternunt; miſſiles ignes in confertos jaciunt, exturbant. Qui primi ex hoſtibus ſeſe proripuerant, cadunt; inde reliqui fracti animis pedem referunt, neque ducum adhortationibus, nec minis, neque vulneribus ſiſti poſſunt. Cum per ſex horas incredibili propugnatorum virtute, at fortitudine pugnatum eſſet, Turcæ ſeſe in tabernacula recipiunt. Ingens ea die hoſtium cædes, quinque millium numerum explevit; pauci e noſtris interfecti, complures vulnerati, quorum pleriſque cum medicamenta, atque ægris opportuna cibaria non ſuppeterent, periere. Supremus iſte militum conatus, atque hoſtium in urbem aſſultus fuit; in quo reliqua vi ſulphurei pulveris inſumpta, quinque tantum cadi obſeſſis remanſere. Nemo ea die fuit, qui non laboranti, & cadenti patriæ opem ferret; non ſexus, non ætas, non ordo a certamine abſtinuit; religioſi viri arma induti, acerrime dimicavere; feminæ, pueri, effeti ſenes, vel arma miniſtrando, vel lapidum jactu, quo virium imbecillitate, vel ætate ulciſci carorum vulnera ac cædes conabantur. Mulieres quoque nonnullæ ſexus imbecillitatem virtute ſupergreſſæ, arreptis armis, virorum fortitudinem æquavere; inter quas Græcæ cujuſdam feminæ præclara laus enituit, quæ, ubi major hoſtium erat impetus, dimicans, ſagitta humeros trajecta, ſanguine exundante, dum eæ, quæ vulnus fovebant, territæ lachrymas effunderent, utque ſe domum reciperet, adhortarentur, altiori voce, ut a pleriſque exaudiretur, *Si vos*, inquit, *adeo vita oblectamini, ite, uti ignavæ ſolent feminæ; complorationi veſtris in ædibus operam date: ego vero, quæ vitulem hanc auram nihil æſtimo, hinc non abſcedam, neque ſtationem derelinquam, ni prius reliquum ex me ſanguinis exhauriatur; animamque iſtam pro conjuge, pro patria, pro religione effundam.* Hæc effata, impavida iterum ſe certamini immiſcuit. Aegri quoque ipſi, ac ſaucii, quibus ad artus regendos ſpiritus ſuppetebat, hi celerius, hi tardius in ſupremo occidentis patriæ periculo ad mœnia confluebant; claudicabant nonnulli, alii manibus terram carpebant; quidam obvoluto capite, vel inflicta vulnera vincti inſpiciebantur: qui licet vix voce ferre opem poſſent; attamen igna-

Obſeſſorum virtute Turcæ magna cæde rejiciuntur.

Græcæ feminæ virilis animus.

ignavum, ac turpe vel in privatis domibus, vel in publicis xenodochiis occumbere exiſtimantes, ea arma geſtando, quibus uti non poterant, in obnixe patriæ tutandæ ſtudio, honeſto lethi genere vitam amittere, quam belluarum more in lectulis jugulari malebant. 1571

Ceterum Muſtaphas noſtrorum conſtantiam, atque ingentes animos admiratus, immenſum prope ſuorum vel interfectorum, vel ſauciorum numerum in ea bidui oppugnatione recenſebat. Præcipui duces, ac præfecti illum exorabant, *ne tertio aleam certaminis ſubiret; cum deſperatis rem gerendam eſſe: ne temere, tot amiſſis, reliquum fortiſſimorum virorum robur certæ neci objiceret: hortari, ſuadere, ut aggerum tantum refectorum ſuffoſione ac ruina, omnem hoſti facultatem ſe tuendi eriperet: non illi operas, non materiam, non nitratum pulverem adeſſe; abſque prælio, atque armis in ejus poteſtatem caſurum: flecteret aliquantiſper animum, neve inglorium arbitraretur, incolumi tot fortium virorum numero, incruenta atque opima victoria potiri.* His permotus Muſtaphas, a diei tertiæ oppugnatione abſtinere ſtatuit; opera acriori ſtudio augentur; continuatis tormentorum ictibus, reliqui aggeres, receptuſque ſternuntur. Noſtri licet Baſſæ mutata ſententia haud parum commoverentur, quod fortiter prælium capeſſendo, fortunæ extremam aleam experiri, atque generoſo conatu non ſine Turcarum cæde ac ſanguine vitam amittere, quam ſenſim abſumi malle; attamen ut erant tot anguſtiis oppreſſi, qua magis urgere hoſtis, ſuccurrere, humum tollere, cuncta expedire nec tiquam deſinebant, imminenſque urbis fatum interriti expectabant. Itali pedites ad ſeptingentos redacti, dimidia pars fugæ, neque ad pugnam idonei erant; reliqui aſſiduis vigiliis, ac laboribus, victuſque inopia ita feſſi atque afflicti, ut vix arma ſuſtinerent. Græcorum quoque numerus valde imminutus, cum pars in tormentorum, atque aggerum opere, pars pro mœnibus extincti eſſent, plerique ſaucii, complures inteſtinorum difficultate (quod genus morbi inſalubres cibi, atque immenſi prope labores pepererant, laborarent.

Hoc rerum ſtatu denuo Muſtaphas colloquium petit, æquas pacis leges offert. Inſigniores cives Bragadenum, ac Baleonium conveniunt; ſupplices, ut eorum incolumitati, feminarum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 rum pudori, æternæ filiorum ſaluti conſulant, poſtulant; ne pacem ab hoſte oblatam, ſumma hac rerum omnium deſperatione aſpernentur. Iis bona ſpe confirmatis, dimiſſisque, inſequenti nocte præcipui militiæ duces in concilium vocantur; de urbis deditione diverſis ſententiis diſceptatur. Bragadenus eam vehementer improbabat; extremos quoſque caſus ſubire, atque pugnando occumbere ſatius ducebat: neque ab ejus ſententia Laurentius Theupolus, Paphi præfectus, diſcedebat.

Obſeſſi de deditione conſultant. Bragadeni oratio contra urbis dedendæ ſententiam.

Non ignorare ſe (Bragadenus inquit) *quo in periculo civitas verſetur: animo, ac pene oculis, quæ patriæ funeri ſuperſtites maneant, intueri: tamen hiſce honorificis a barbaro hoſte oblatis conditionibus non parum commoveri: nullum apud Turcas jusjurandum valere, nuſquam fidei locum eſſe. Quis porro arbitretur* (ait) *tantam ſtragem, tot incommoda, ac pericula diutina hac obſidione perpeſſos, a nobis tot acceptas injurias obliviſci poſſe? Secum reputent, quid ad gloriam illuſtrius, quid præſtantius: an infidis ſe hoſtibus committendo, omnium miſeriarum, atque ærumnarum certiſſimis ſeſe periculis objicere; an fortiſſime dimicando, ingenti cum laude brevem lucis hujus uſuram, innumeris ſeſe eximendo calamitatibus, amittere? Inter tot undique circumfuſas tenebras aliquam adhuc, pertenuem licet, ſalutis ſpem intermicare; dum rerum noſtrarum inſcius hoſtis, ab impetu in urbem faciendo abſtineat, dum operibus iterum aggrediatur, neque milites haud dubiæ morti objiciendos arbitretur. Cur igitur cunctis corporum animorumque nervis adnixi, continuato diei ac noctis labore, ſummi contentione, poſtremum hoc telum non exciperent? Annonam adhuc in aliquot dies ſuppetere; tormentarii pulveris inopiam, ignium vim, quæ adhuc ſupereſſet, expleturam. Durarent, neque in ſupremum malorum ſe præcipites darent: tempus quantum poſſent, protraherent; momento maximarum rerum conatus interverti; vix credendum eſſe, propediem ſociorum ſubſidia non adfutura; atque hanc in mortalium animis de fœderis potentia ac viribus conceptam opinionem convelli paſſuros. Qui igitur tot pericula, vigilias, labores perpeſſi fuerant, qui terribile hoc oppugnationis obſidioniſque pondus ſuſtinuiſſent, intrepide hoc, quidquid reliquum eſſet, laboris exantlarent; neu Turcarum impetus, quos toties*

e mœ-

e mœnibus repulerant, neu tela ac gladios formidarent: 1571
Deum Optimum Maximum, pro cujus religione ac cultu decertarent, præſentem opem laturum; cujus incircumſcriptæ, nulliſque erroribus obnoxiæ ſapientiæ, ſi ſecus viſum ſit, noſque pro noxis; criminibuſque mortalium pendere pœnas velit, quis non probe ſecum actum putet, ſi hoc nexu abſolutus, beatam atque immortalem vitam conſequatur? Bragadeni orationem Laurentius Theupolus eſt ſubſecutus, qui prudentia, gravitate, atque eximia in patriam pietate civis, cum jam ſeptuageſimum annum exceſſiſſet, Paphi magiſtratu functus, licet legibus ei in patriam reditus permitteretur, nihilominus difficillimo Reipublicæ tempore Tamaſſum ſe contulerat, quo poſſet, operam, atque ingenium in ea tuenda civitate collaturus. Is cum in Syria, atque Aegypto Venetorum negotiatorum præturam (quam *conſulatum* vocant) geſſiſſet, Turcarum mores, ac Muſtaphæ præſertim ingenium probe noverat: nullamque hoſti fidem habendam, immo, quo æquiores conditiones proponeret, humanioribuſque uteretur verbis, eo magis ſuſpicandum cenſebat. Itaque vel nihil omnino de concordia agendum, vel ſi nulla, niſi in deditione, ſalus eſſet, nihil præpropere decernendum, ſed mature ac ſolerter, quam tutiſſime fieri poſſet, rem conficiendam eſſe arbitrabatur. Ab hiſce ſententiis cum Baleonius diſſentiret, multis deditionem ſuadebat, qui, ut ii, qui rei interfuere teſtati ſunt, in hanc ſententiam dicere eſt orſus.

Laurentius Theupolus Bragadeni ſententiæ ſuffragatur.

Etſi ea eſt rerum noſtrarum conditio, ut in quamcunque partem vertimur, ingens nobis ſeſe periculorum facies objiciat; attamen ſummopere vereor, ne dum fortitudinis laudem captamus, audacioris nimium temeritatis pœnas demus. Ea enim, ut ego arbitror, vera fortitudo eſt, pro patria ſervanda nullum laborum, nullum periculorum genus perhorreſcere. Sed lapſis ac perditis rebus, in ſumma deſperatione occidentis civitatis involvi ſe potius ruinis malle, quam ad æquas concordiæ pactiones cum hoſte deſcendere, id ſummæ temeritatis, ne dicam amentiæ, videtur. Quo labores noſtri ſint, nemo ignorat. Non milites, non tormentarius pulvis, non areæ, quibus potiſſimum arcium, atque oppidorum tuitio nititur,

Heſtoris Baleonii oratio de urbe Turcis permittenda.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *tur, nobis adsunt. Nec est, quod in hostium cunctatione quisquam sibi præsidium polliceatur; cum dies noctesque in singula momenta intenti, qua aditum sibi faciant, qua in urbem irrumpant, soliciti exquirant: milites vero ad eam, quam nostis, paucitatem redacti singulis locis adesse nequeant, ut maxime verendum sit, ne tandem improviso undique circumventi, hostili ferro pereamus. Sed ut hostis cunctatione, nostrorumque operibus urbis excidium per aliquot dies differri posse concedam, quisnam tot laborum exitus erit, cum arte nulla, nulla vi immensæ prope hostis potentiæ obsistere possimus; classisque legatis Messanam profectis, omnis auxiliorum spes adempta sit? Quid igitur supereſt, nisi ut paucos post dies cuncti hostium gladio contrucidemur? Utinam vero id, incolumi Tamasso, fieri posset; quis esset, qui id non summis votis exoptaret, atque ex animo poscceret, anguſtumque hoc vitæ curriculum, pro religione ac pro Veneta Republica egregie pugnando, conficiendum non arbitraretur? Neque nunc profecto aut consilio, aut disceptatione opus esset. At cum nulla nobis spes reliqua sit, has fortissimorum ducum ac militum reliquias tot laboribus, ac vigiliis duratas servare; hos egregiæ fidei cives, innoxios infantes, matronarum pudicitiam tueri, id ego in primis reipublicæ conducere, ac religionis proprium esse reor. Huic sententiæ unum tantummodo, lubrica nempe, ac fallax hostium fides, objicitur. Metu hoc ne commovear, duo potissimum efficiunt: alterum eorum utilitatis ratio; quid enim ex incolarum cæde ac direptione emolumenti accipient? cum potius ad colendos agros, ad vectigalia augenda, ad varii generis opera exercenda usui illis esse possint: alterum, quod non parva exempla percensere possem, quibus in Pannonia, ac Græcia pacta servasse, strenuos atque acerrimos propugnatores nonnunquam donis oneratos dimisisse constaret. Ut vero nobis Italis, quibus infensiores sunt, fidem aut nece, aut servitute violarent, Græcis vero præstarent, e sententia minime decederem; atque id Dei Optimi Maximi gloriæ tribuendum putarem, ut tot infantium ac puerorum animi ab impia Mabumetis superstitione vindicarentur. Neque est, quod quis deditione aliquam nostræ existimationi ac famæ inuri notam arbitretur. Rhodus sex menses*

ses a Sukimano, hujus Selymi patre, ingentibus cum maritimis, tum terrestribus copiis oppugnata, strenue ac fortiter Hierosolymitanorum equitum virtute defensa, cum frustra christianorum Principum subsidia imploraſſet, tandem necessitate compulsa, deditionem fecit; cujus leges exacte servatæ sunt, ac nemo christianorum Principum extitit, quin ejus casum summopere doleret, equitumque virtutem ac fortitudinem maximis laudibus efferret. Quod si cum iis ita præclare actum fuit, cur eadem nos quoque, ac majora multo non maneant? Vtramque obsidionem, utriusque oppidi arcium situm, tuendi artes si attentius intueamur, Rhodus situ, ac mœnibus Tamasso præstabat; quod prope tota mari obversa, triplici muro præcincta propinquior, atque ad subsidia excipienda opportunior esset. Illa sæpius militum, tormentarii pulveris subsidia, exercitu licet circumsepta, obtinuit; nobis semel tantum auxilia subvecta sunt: illa sex mensium obsidionem, intermissis nonnunquam certaminibus, passa est; urbs hæc tredecim menses, nullam requiem permittente hoste, oppugnationem est experta. Multo majores copiæ urbem hanc, quam Rhodum oppugnavere, quod sane hostium immensa ad stuporem usque opera testantur. Quid porro exhaustos per tot menses labores, vobis, qui tanto studio in hac tutanda civitate incubuistis, commemorem? An non decem editiores munitiones extruximus, quæ pro interiori muro nobis fuere? an non has fossas egesta humo sæpius perpurgavimus? aggeres protulimus? nova latera, ex quibus hostis offenderetur, confecimus? egregia certamina extra oppidum inivimus? hæc mœnia proteximus? egressi nonnunquam hostium stragem edidimus? tot ferocissimorum militum ingredi urbem conantium ingentes impetus excepimus, sustinuimus, repulimus? Dei Optimi Maximi ope atque auxilio tamdiu immensis prope copiis obsessi, continuata muralium tormentorum verberatione petiti, nihil de constantia ac virtute remisimus; atque, ut uno omnia verbo complectar, nullum ærumnarum genus est, quod invicto ac pertinaci animi robore non subierimus. Et erunt, qui adhuc a nobis virtutem vigoremque animi postulent? Nemo profecto, nemo erit, qui, si res a nobis gestas æquo animi sensu emetiri velit, quidquid ab humano conatu, atque ingenio profici-

sci

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *ſci poterat, a nobis omnino præſtitum eſſe non intelligat. Longiorem orationem tempus non expoſcit, adſpectus iſte urbis; militum fame, vigiliis, labore ſqualidi vultus; mœſta hæc ac lugubris civium facies; cuncta denique deditionem ſuadere mihi videntur. Hæc cum mea ſit ſententia, ſi forte quid adverſum ſtatueritis, quamcumque fortunam alacer ſubire, ac pro Dei Optimi Maximi gloria, pro Veneti Senatus dignitate, cuicumque diſcrimini, præſentique letho vitam objicere paratus ſum.*

Cum ita Baleonius peroraſſet, a ceteris, prout quiſque in tantis difficultatibus permovebatur, varia in medium allata ſunt. Aloyſius Martinengius, licet a Baleonio non diſſentiret; attamen ſi concordiæ leges abjicerentur, ejus erat ſententiæ, ut, ſelectis ad pugnam idoneis, ſauciis, ægriſque media acie conſtitutis, noctu eruptione facta, in hoſtes iretur, obſtinataque contentione certando, neque inultum noſtrorum ſanguinem dimittendo, ingenti cum laude finis tot laboribus imponeretur. Ceterum cum tota fere nox diverſis conſiliis dicendis inſumpta traheretur, tandem ea vicit ſententia, quæ deditionem urbis decernebat. Poſtridie, qui fuit quarto nonas auguſti, albis utrinque elatis ſignis, induciæ pactæ, ab armiſque diſceſſum: ut ad deditionis leges pertractandas bini inſignes auctoritate viri cum amplis mandatis a Muſtapha in urbem, totidem obſides in caſtra hoſtium a noſtris mitterentur, convenere. Interea vero nihil de priori diligentia in cuſtodienda urbe, ne Turcarum inſidiis, ac dolis locus eſſet, intermittebatur. Horribili tormentorum fragore ceſſante, cui per tot menſes cunctorum aures aſſueverant, ingens repente ſilentium obortum; ſtuporeque omnes defixi, ac veluti attoniti, de repentina, atque inopinata deditione varia animo circumferebant: pleriſque mœſtitia quædam, atque inſuetus languor futurorum malorum prænuntius obrepſerat, ut inter lætitiam, ac metum ancipites incerta quadam ſuſpenſione detinerentur. Poſtera die, prima luce Muſtaphæ, atque Janizzerorum præfecti vices obtinentes, decem circiter ſervis ſtipati, equo vecti, armis ac veſtibus auro & argento fulgentibus egregie ornati, per Adamantis aditum, obviam Baleonio cum ſcloppettariis aliquot procedente, urbem ingreſſi, honorifico hoſpitio excipiuntur: cibaria, omnibus fere in urbe conſumptis,

Tamaſſienſes deditionem decernunt.

e ca-

ſtris allata. Obſides ex Italis Hercules Martinengius, 1571
ex civibus Matthæus Coltus in caſtra mittuntur. A Muſtaphæ filio ſplendide excepti, ad patris tentoria perducti, poſt multa benevolentiæ atque honoris argumenta, aurea veſte donati, ad præfecti Janizzerorum tabernacula deduci jubentur.

In urbe de pacis legibus actum, ac fere momento, cum omnia, quæ noſtri peterent, ultro a Turcis impetrarent, deditio decernitur, & in ſcripta redigitur; quæ ſubſignata, ac ſigillis munita, ad Muſtapham mittitur. Is ſtatim, obſidibus noſtris præſentibus, jurejurando in Regis, ſuumque caput, atque Mahometis Alcoranum, more gentis, conditionibus ſubſcripſit, impreſſoque ſigillo firmavit. Summa hæc erat. *Ut in Cretam italici pedites cum armis, ſignis, impedimentis, Epirotæ quoque, & Græci cum familiis ac bonis, Turcicis navigiis perducerentur: Qui ex Græcis diſcedere nollent, iis vita, fortunæ, filii, ac conjuges ab omnibus injuriis immunes, tuto in chriſtiana religione permanere poſſent, binaque illis templa, in quibus Græcorum ritu ſtatas ceremonias, rituſque paternos celebrarent, permitterentur: Quina, quæ magis noſtris collibuiſſent, ænea tormenta, totumque æs campanum aſportandi jus eſſet: Qui ex Græcis decennio ſolum non verterent, ab omni penſione liberi eſſent.* Legibus utrinque firmatis, ex quindecim triremibus, quæ Arabametæ Juliæ Cæſareæ præfecto ad hortorum litora in anchoris ſtabant, ſex; ex quadraginta vero varii generis navigiis, quæ ſubvectandis militibus, annonæ, atque militari apparatui ea æſtate inſervierant, quatuor; ad hæc hippagogas nonnullas Tamaſſi portum ſtatim ingredi Muſtaphas jubet, ſpecie ad oppidanos, ac milites ſubducendos, re, quo tutius id, quod dudum concoquebat, exequi poſſet. Tertio nonas auguſti a ſauciis, atque ægris initium profectionis factum; quibus cum armis, ac ſarcinis intra navigia exceptis, Græci cum familiis, Epirotæ cum ſuis bonis conſcendunt; noſtris nondum, qui corpore valebant, militibus, a retractorum aggerum cuſtodiis diſcedentibus, ne Turcæ præfixos communi conſenſu in medio clivo limites tranſilirent. Mirum profecto, ſpectatuque in primis dignum fuit, cum repente noſtrorum obtutui ſeſe hoſtilis exercitus objecit; nam ex tentoriis vallo, ſub-

Tamaſſienſis deditionis pacta.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 terraneiſque caveis ingens adeo Turcarum numerus in conſpectum ſe dedit, ut circumquaque trium paſſuum millium ſpatio candentes turbines e capitibus extantes nivis nuper e cælo demiſſæ ſpeciem intuentium oculis præberent. Admirationem auxere expanſæ, ac leni clivo aſſurgentes viæ, quibus per ſtrata verberatione loca iter ſibi in urbem paraverant. Editæ munitiones, prælti aggeres, opera in foſſis ſtupendo artificio extructa, quæ, ereptis ab hoſte defenſionibus, tuto a noſtris antea perluſtrari non poterant. Neque minori admiratione hoſtes capiebantur, exiguum propugnatorum numerum, macie confectum, tabidis membris ad armorum pondera ſuſtinenda vix idoneum, tantum vivida animi virtute ac conſtantia potuiſſe, ut mœnium anguſtias adverſus inexhauſtas Selymi copias, immaneſque tormentorum continuatos ictus tamdiu tutati fuiſſent. Eo vero demum aucta eſt admiratio, cum propius ſeſe inferentes, tapetes, ſtragulas, veſtes, biſsum, pretioſioremque ſupellectilem humo imbutam, in aggeribus, ac propugnaculis inſpexere. Atque cum ea vis virtutis ſit, ut ſuo fulgore hoſtium quoque mentis aciem perſtringat, ac vel ab invitis laudes exprimat, Turcæ, quamvis tantum in ea obſidione ſuorum roboris amiſiſſent, uſque ad ſidera noſtrorum fortitudinem, ac invictos auſus extollere, ad optime ſperandum adhortari, neque quidquam de ſui imperatoris fide hæſitarent, ſuadere nitebantur. An ea ex animo affirmarent, quod omnibus infenſus Baſſæ in noſtros animus nondum patuiſſet, an diſſimulatione uterentur, ne deſperato prorſus conſilio, obortam in pleriſque de Turcarum fide ſuſpicionem eximerent, incertum; id conſtat, vinum, variique generis obſonia, nullo pretio accepto, affatim militibus ſuppeditaſſe, ſermoneſque blandos adeo omnibus locis inſeruiſſe, ut tot illatorum, acceptorumque vulnerum, cædium, injuriarum memoriam prorſus extinctam crederes.

Tamaſſienſes Turcis diffidentes ad arma conclamant.

Verum dum ea, quæ ad concordiæ conditiones ſpectant, procurantur, res inopinata evenit, quæ cuncta fere interturbavit. Nocte etenim, quæ tertium nonas auguſti ſubſecuta eſt, cum ex Turcis aliquot ſtatutos tranſgreſſi limites, uſque ad noſtros ſeſe aggeres, tamquam ingreſsum in urbem

urbem tentaturi intuliſsent, in Andreucii hemicyclio primum, mox aliis in locis, a propugnatoribus ad arma conclamatum; momentoque ingens adeo ſtrepitus eſt coortus, ea inter nocturnas tenebras omnium permixtio, ac confuſio extitit, ut turbata omnia, abruptas deditionis leges, armiſque rurſus decernendum eſse militum vulgus, non abſque multorum lætitia, crederet. Verum qua major clamor, ac tumultus exaudiebatur, accurrentes Turcæ, auctoritate, adhortatione ſævientem impetum reprimunt; blando ſermone, excuſationibus omnem ex noſtrorum animis eximere ſuſpicionem conantur; tandemque motu compreſso, pacata omnia fuere. Nonis auguſti ſummo mane milites naves conſcenſuri, relictis mœnibus, ad portum progrediuntur; Janizzeri in ſtationibus ſummo ſilentio ſuccedunt, urbeque potiuntur: ab iis ne verbo quidem ullus ex noſtris læſus fertur: nemo ex tot copiis, vel in bona, vel in corpora victoriæ libidinem expleturus per ruinas ſcandere in urbem auſus: ex triremibus tantum piratæ aliquot furtis aſsueti, nullo ordine, per maritimam portam ingreſſi, propinquas ædes diripuere. Eo rumore ad Bragadenum, & Baleonium perlato, ſtatim per Neſtorem Martinengium literas Muſtaphæ perlegendas mittunt, quibus, ne quid adverſus ſancitam fidem in noſtros agi permittat, petunt. Literis ab interprete perlectis, ob piratarum inſolentiam maximam moleſtiam ſe percipere; quæ acciderint, ſe inſcio atque invito eveniſse; fidem perſancte ſervaturum Baſſa affirmat; illico ex urbe prædones expelli jubet, qui ſtatim a Janizzeris fuſte ejecti ſunt, reliqua deinde mandata Martinengius exequitur. *Bragadenum* (inquit) *urbis præfectum, alioſque civitatis primores ſub veſperum conſcendere, atque retineri ſe committere ſtatuiſſe; id antequam faciant, ad eum viſendum, claveſque civitatis deferendas accedere cupere. Theupolum interea in civitate ad noſtrorum res cuſtodias manſurum.* Muſtaphas hilari vultu, *Ex animo fio*, inquit; *quorum enim virtutem, ac fortitudinem præclaris editis facinoribus expertus eſſet, de facie cognoſcere quamprimum optare; ſeque non modo apud Selymum, ſed ad quoſcumque regiones adiiſſet, præclarum tantæ virtutis teſtem, ac præconem futurum. Cur vero Theupolus, quo cum ei vetus*

Neſtor Martinengius cum literis ad Muſtaphan miſſus. Muſtaphæ reſponſum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *amicitia intercedebat, acceſſurus non eſſet, mirari*, ſubdit: *attamen, ut ſibi collibuiſſet, ageret.*

Hæc cum Martinengius renunciaſset, poſt meridiem, hora diei vigeſima, Bragadenus Baleonio comitatus urbe egreditur; eos Joannes Antonius Quirinus, Aloyſius Bragadenus, arcis præfectus, Bragadeni nepos, Aloyſius Martinengius, Eques Haſtenſis, atque alii ſubſequuntur. Equo omnes vehebantur, pedites ſcloppettarii armati, ſuccenſis igniculis, ad quadraginta ſtipabant. An a Muſtapha accerſiti, an ſponte in caſtra iverint, incompertum eſt. Perhonorifice ad tentoria deducti: præfectus una cum Baleonio, ac reliquis inſignioribus viris a dextra, lævaque de more gentis, binis Turcis ſubnixi, gladiis ſepoſitis, Muſtapham adeunt; ſcloppettariis vero ingenti Turcarum numero, qui pro tentoriis excubabant, ſeptis, lychnos extinguere mandatur. Baſsa perhumaniter Bragadenum, ac reliquos excipit; conſidere juſsos, variis ſermonibus benigne aliquantiſper detinet. Dein culpandi anſam quærens, multa atque abſurda percontatur; *Quis vadem, navigia in Cretam proficiſcentia a Chriſtianis detentum non iri, ſe conſtituat?* Hic præfectus, *nihil ejuſmodi ſibi verendum*, inquit: *interpoſitam ſemel fidem nunquam noſtros fallere aſſueviſſe. Verum ſi ita ſibi videatur, unum, vel binos vades daturum.* Adſentitur Muſtaphas; tum ex compoſito aſsurgens Arabametes, exclamat, obteſtatur, ſe in Cretam iturum negat, ne in Chriſtianorum captivitatem labatur. Hæc licet Janizzerorum Agæ, atque aliis purpuratis, præcipuiſque Sangiacchis ſummopere diſplicerent; nemo tamen hiſcere audebat. Bragadenus interritus magno ſemper animi vigore, ſolidis ſubnixus rationibus, reſpondit. Ac licet ex Muſtaphæ verbis, ac vultu quid mente agitaret, ſatis appareret, præſenſque lethum prope oculis noſtri cernerent, nihil demiſse agunt, partamque tot egregiis geſtis gloriam ne verbo quidem abjecto, atque libero homine indigno inficiunt. Tandem cum nihil æquitati conſonum crudeli obtendere conſilio poſset, ad commentum confugit. Adverſus fidem, ac jusjurandum præterita nocte ducentos captivos Turcas a noſtris in arce interemptos conqueritur. Falſiſſimum, atque ſtudiose inventum facinus Bragadenus audacter, con-

Muſtaphas anſam culpandi Chriſtianos quærit.

Muſtaphæ callidum commentum.

conſtanterque negat. Tum irarum œſtro percitus Muſtaphas omnes ſtatim vinciri jubet. 1571

Extemplo Turcæ, injuſſi cædem noſtrorum repente facturi, irrumpere nituntur. At Muſtaphas ſæviores, quo tardiores pœnas ratus, dum ſinguli manus ad terga revincti necem expectarent, milites ſummoveri, tres e Græca nobilitate cives, atque obſides ſolvi, a dextroque latere ſecedere, ſibi ante pedes Bragadenum ſterni imperat; bis terve cervices exerere, atque adſtanti, evaginato acinace, militi jam jam caput amputandum præbere jubet. Ille impavidus, nullo edito timoris ſigno, intrepide offert; ſed majoribus contumeliis, atrocioribuſque pœnis ſervando, auriculas ambas præcidi mandat; ut reliqui ſtatim in fruſta ſecentur, præcipit; extra tabernaculum abſtracti, ſinguli viceniſacinacibus, indigno tot fortiſſimis præfectis letho, contrucidantur. Eodem momento inauditæ perfidiæ, ac proditionis exemplo, Itali quotquot, ac Græci in caſtris erant, inter quos plerique viſendi ſtudio eo ſe contulerant, diſcerpti, ac interempti ſunt. Haud abſimilem oppidani caſum ſubiiſſent, ni Janizzeri cuſtodias obeuntes obſtitiſſent. Eo patrato facinore, ingens clamor, atque ululatus in univerſo exercitu, lætitiæ certus index, excitatur, qui ad eos, qui jam naves conſcenderant, reliquoſque perlatus, ſingulis miſerandum præſagientibus exitum, inſuetum terrorem incuſſit. Neque eventus triſtem mentibus objectam imaginem fefellit: qui in navibus erant, partim ad tranſtra ablegati, partim, ademptis armis, detenti. Qui adhuc conſcenſuri in circumjecto litore conſtiterant, fuſte ac acinace in lintres detruſi; bona cuncta, ac ſepellex direpta. In urbe triginta circiter Itali cum primum impetum evaſiſſent, ſecreto Turcarum aliquot, quos lucri cupido illexerat, captivitati ſe addixere, adverſus Muſtaphæ edictum, quo, ne privatus quempiam captivum faceret, vetabatur. Is enim prædam omnem ad Selymum deferre, atque ingenti captivorum numero decorato triumpho ingredi Byzantium ſtatuerat. Eamdem, qui jam naves ingreſſi fuerant Græci, cum eorum familiis, fortunam iunt perpeſſi; licet ſtatim, penſione ſoluta, evaſerint.

Muſtaphas Bragadenum & alios vinciri jubet.

Chriſtiani a Turcis necati & in ſervitutem redacti.

Poſtridie mane Laurentium Theupolum in editiore Amathi munitione Muſtaphas ſuſpendio necari jubet, qui eadem,

Laurentius Theupolus Muſtaphæ juſſu ſuſpenſus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 quam in obsidione constantiam præsetulerat, interitum subiit. Pari lethi genere senior Epirotarum præfectus extinctus. Inde a privata ad publicam crudelitatem transgressus, defunctorum cadavera, quæ in majori basilica divo Nicolao in publico foro dicata christiano ritu tumulata fuerant, e sepulchris extrahi, eorum ossa infringi, canibusque exponi, divorum imagines divelli, aras dirui, sacra vasa comminui imperat, totamque superstitioso gentis ritu dealbatam ecclesiam e Christi veri Dei templo, Mahometis meschitam effecit. Iis peractis, septimo idus augusti cum copiarum parte victor, ordinata acie, summoque militum silentio, urbem ingreditur; sanguinem adhuc, cædes, ac perfidiam spirans phanum adit; dein quæ ad civitatem regendam pertinent, disponit. Edictum, vitæ, bonorum, ac filiorum amissionis propositis pœnis, pronunciat: arma cujuscumque generis ad se deferantur: quicumque Italos in suis domibus habeant, ni nomina in tabulas publicas referant, iisdem pœnis subijciantur. Græcis arma adempta; Itali captivi a Turcis occulto in castra perducuntur.

Ceterum cum Mustaphas duodecim dies in tentoriis Bragadenum detinuisset, atque sæpius impudenter, ut, christiana ejerata religione, mahometicam sectam amplecteretur, necquicquam suadere conatus esset, tandem vita exuere inaudito tormentorum ac sævitiæ genere constituit. Decimo sexto kal. septembris ad eam civitatis regionem, quam muralibus tormentis hostes quassaverant, perductum, atque in fossas emissum, singulis locis, qua mœnia verberata fuerant, oppletum humo cophinum ex imo ad summum, atque ex summo ad imum deferre, penesque se transeuntem deosculari terram jubet. Mox extra urbem via ad portum deferri, lintreque, quo triremes constiterant, devehi præcipit. Ibi in sella considens, ac vinctus triremis antemnæ appensus, sublatusque miserando spectaculo universæ classi, ac præcipue captivis fuit. Inde pedibus a porta maritima per latam semitam, qua recta ad forum itur, ex prætorii umbone, cui tota ea via subjecta est, Mustapha inspectante, umbella purpurea, qua tectus illius tentorium ingressus fuerat, perducitur, compluribus ad crudele, atque insuetum spectaculum in-

Mustaphæ in Bragadenum immanis crudelitas.

invisendum confluentibus. Cum in forum ventum esset, 1571
vestibus exuto, manibus, ac pedibus vincto, facie in dimidiatam conscleratorum columnam obverso, Mustaphæ jussu, qui diræ crudelitatis spectator esse voluit, pellis vivo detrahitur. In iis acerrimis cruciatibus incredibilis viri constantia ac fortitudo extitit. Non querelas, non gemitum fædissimus tortor expressit; eximia in Deum pietate, Christi humani generis Servatoris amore, cujus opem atque auxilium continenter implorabat, confirmabant; ora in ejus tantum nominis frequenti invocatione solvebat; neque spiritum, donec ad umbilicum perveniretur, efflavit. Cum eo ventum esset, in divinas laudes, ac preces fusus, invictam animam Deo immortali reddidit, humanasque mortalitatis exuvias æterna ac beata vita commutavit. At barbarus horribili tormentorum genere excarnificatum, ac lacerum fortissimum virum propriis spectasse oculis non contentus, in defunctum quoque sævire voluit. Funi, cui vexillum in foro illigatur, appensum, feris cadaver objecit; cutem palea infartam, viventis instar, vaccæ impositam, per urbis semitas umbella in ludibrium tectam circumduci voluit; mox triremis antemna sublatam, Ciliciæ atque Syriæ litoribus ferali spectaculo exhibito, Byzantium detulit; ut nullus fere esset locus, in quo crudelitatis, ac perfidiæ ipsius impressa vestigia non inspicerentur. Is exitus Marci Antonii Bragadeni, Tamassi præfecti, fuit, cujus ingenium, fortitudinem, constantiam hostes quoque ipsi sunt admirati. Causæ, quæ ad immane hoc facinus Mustapham impulerint, variæ afferuntur. Sunt qui ingentes in ea oppugnanda civitate suorum cædes efferum, novo vindictæ genere ultum affirment. Sunt qui diripiendæ urbis spe, in qua magnos divitiarum thesauros congestos esse percrebuerat, frustratos, ac furentes milites, execrando facinore delinire voluisse contendant. Denique nonnulli isti prodidere, nutantem barbari animum tum demum ad facinus impulsum fuisse, cum purpurea veste indutum, umbella tectum, armatisque militibus stipatum, spectatorem potius victoris, quam victi, ad ejus tentorium progredi præfectum invitus, in ejus responsis nihil humile, nihil abjectum, ut sibi suaserat, animadvertisset. At si quis hac in re conjecturæ locus

Bragadeno vivo pellis, Mustapha spectante, detrahitur.

Bragadeni insignis constantia & religio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 est, præmeditato consilio barbarum rem aggressum fuisse crediderim, tum quod ante urbis deditionem ad fidem frangendam, uti multi postea tradidere, proclinatus esset; tum quod non in unum tantum, paucosve, sed in omnes eodem tempore sævierit; non ætas, non sexus, non conditio ab effera rabie immunis fuerit. Neque enim verisimile est, ex concitato animi impetu ea, quæ narrata sunt, effluxisse. Id certe constat, indignum Turcis quoque ipsis facinus visum fuisse, ut plerique eorum non absque causa Bassam eo præcipitem descendisse, captivorumque interfectorum commentum veritate non carere arbitrarentur. Verum haud multo post, confecto crimine comperto, perfidiam illius, crudelitatemque detestati, omnium maledictorum, ac probrorum genere incessere, Bragadeni immeritam necem lachrymis prosequuti sunt.

Hæc Tamassi, celeberrimæ in Cypro urbis, expugnatio fuit. In ea ex nostris partim intra, partim extra mœnia, præter insigniores præfectos, Italorum militum duo & octingenti, Græcorum tria millia periere. Ex Italis septingenti, ex Epirotis sexaginta captivi in hostium potestatem pervenere. Græci octingenti in urbe mansere. Hostilium tormentorum ictus centum ac quinquaginta millia numerati feruntur; quod mirum videri non debet, si quis quinque ac septuaginta dierum continuatam verberationem, initio sexaginta quinque, mox octoginta machinis fuisse intellexerit; ut si cuilibet tormento triginta in singulos dies ictus tribuantur, multo majorem quoque numerum conficiant; idque indubiæ rei adstipulatur, quod tum ex ruinis ac ruderibus, tum ex fossis atque ædibus erutæ pilæ ferreæ supra centum ac quadraginta millia in forum illatæ sint. Hostium defunctorum numerus licet certo iniri non potuerit, attamen supra sexaginta millia vel ex Turcis ipsis fuisse constat; nonnulli octoginta millia affirmant, quorum quarta pars morbis, laboribus, vigiliisque interierit. Neque ob id hostium copiæ, affluentibus undique e Cilicia, Syria, finitimisque regionibus, ad opulentissimæ urbis famam, mortalibus, imminui visæ sunt: cum, deditione urbis facta, ducenta cujusvis generis hominum millia, quorum centum ac viginti arma gestarent, uti spectatæ

Turcarum numerus in Tamassi oppugnatione interfectorum.

fidei viri testati sunt, in exercitu recenserentur. Agrestibus vero hominibus partim ad rura dimissis, partim operibus una cum Græcis, qui in urbe permanserant, destinatis, fossas, terra egesta, perpurgari, humum complanari, munitiones atque aggeres dirui Mustaphas præcepit. Quæ omnia quadraginta dierum spatio perfecta sunt. Interea missione exercitui permissa, milites navigiis impositos in suas regiones deportari jussit. Mussaferrum Bassam cum equitum manu Leucosiæ, Frambularum Rhodium cum sex circiter peditum millibus Tamasso præfecit. His peractis, octavo kal. octobris, quatuor triremibus Cypri custodiæ relictis, cum reliquis præda onustis, nobilissimi regni victoria ovans ac tumens, Byzantium contendit. 1571

Finis Libri Decimi.



EPI-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571

EPITOME.

Foederata Christianorum classis Messana solvit. In ejus conspectum classis Turcica ad Echinadas venit. Atrox praelium commissum est. Dubio certamine per aliquot horas pugnatum. Tandem justa victoria foederati potiti sunt. Ingens praeda ex foedere divisa. Vergente in hyemem autumno, Joannes Austriacus Messanam, Marcus-Antonius Columna Romam reversi sunt. Veneti Malgaritinum in Epiro occupatum direptumque, solo aequavere. Soppotum a Turcis relictum, ab Epirotis incensum est. Leucadis expugnandae consilium irritum cecidit, nostris terra marique male habitis, ac cum aliquo damno, majorique periculo discedere coactis. Pius V. Romae importuno christianae reipublicae tempore decessit. Gregorius XIII. Pontifex Maximus est salutatus. Hispani per otium cunctando adultam aestatem transegere. Ad Rhizonicum sinum Neocastrum cum Sarra Martinengio Sebastianus Venerius aggressus, multiplici accepta clade, oppugnationem deseruit. Joannes Austriacus Hispanicam classem Venetae conjungere, obortis inter Hispaniae, & Galliae Reges suspicionibus, aperte abnuit. Veneta classis & pontificia, missis ab Austriaco aliquot Hispanorum navigiis aucta, Corcyra solvit, cum Turcis congressura. Uluzzalius Christianis obviam factus. Ipso primum mirificis artibus pugnam declinante, deinde, cum id ille non posset, Marco-Antonio Columna, quam ob rem incertum, cessante, rei praeclare gerendae, profligandique hostis occasione manibus elapsa. Joannes Austriacus, Regis jussu, Hispanicam classem foederatae conjunxit. Uluzzalio detrectanti frustra a foederatis pugnandi copia saepe facta est. Omnia sana consilia Hispanis turbantibus, tempus gerendae rei consulendo insumptum. Navarini tandem in Peloponneso expugnatio decreta, atque Alexandro Farnesio, Parmae Principi, demandata. Vix prima ad opus expedita fuerant, cum Hispanis, Veneto frustra secus suadente, incepto desistere visum est. Austriacus Messanam reversus. In Illyrico Clissa, & Macarsca irrito successu tentatae sunt. Ascrivii obsidionem Turcae meditati, munitionem praevalidam ad Rhizonici sinus ostium excitavere. Hanc Jacobus Superantius captam & direptam, a fundamentis, suffoso cuniculo, dejecit. Pax inter Turcas ac Venetos sancita. Pontificis animus ob id commotus, Nicolai Pontii legatione delinitus est.

HI-



HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER UNDECIMUS.

1571



Is, quæ varia atque acerba Tamasso contigere, longiore opere exaratis, ad alia, quæ memorandum in omnem posteritatem hunc annum effecere, nos institutum opus vocat. Jam fœderati imperatores universumque fere, ut diximus, classis robur Messanam appulerant; cum Joannes Andreas Auria, Alvarus Bacianus Sanctæ Crucis Marchio, cum Hispanicarum manu, ac paulo post Antonius Canalius, & Marcus Quirinus legati cum duabus ac sexaginta Cretensibus supervenere; recensitaque classe, ducentæ ac viginti triremes, galeatiæ sex, naves viginti quinque, minora navigia complura inventa sunt. Marco Antonio Columna, ac Sebastiano Venerio in concilium a Joanne Austriaco vocatis, cui Augustinus Barbadicus legatus, major etiam Commendator Pompejus Columna, interfuere, in Corcyram iter communi con-

Fœderatæ classis navigiorum numerus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 conſenſu decernitur, ut loco valde opportuno ex hoſtium progreſſu, atque ex rerum eventu conſilia caperentur. Luſtratis copiis, nullo gentis diſcrimine, ordinariis ſingularum triremium militibus, centum extra ordinem ſcloppettarii adjunguntur. Exinde ad Divinum Numen propitiandum ſolemni ritu ſupplicationibus habitis, cuncti cæleſti, Divinoque pane refecti, in vota, preceſque effuſi, fauſtum iter ac victoriam de hoſte a Deo Optimo Maximo efflagitant; denuoque præcipuorum ducum ac præfectorum concilio coacto, de fœderatis viribus, de Turcarum claſſe, deque tota belli adminiſtrandi ratione diſſeritur. Tres fœderati imperatores, Major Commendator, Joannes Paulus Odeſcalcus, Pontificis internuntius, Franciſcus Maria Urbinas Dux, Paulus Jordanus Urſinus, omnes in eamdem ſententiam conveniunt, ut quamprimum prælio cum hoſte decernatur, quem ad Gomenicias detineri, certis rumoribus perferebatur. Itaque quintodecimo kalen. octobris Meſſana cum claſſe, ita ex militari diſciplina inſtructa, atque ordinata digrediuntur, ut ſi ſe occaſio daret, cum hoſte egregia victoriæ ſpe confligi poſſet. Ioannes Cardonius, Siciliæ Prorex, cum octo triremibus anteibat; tum Joannes Andreas Auria cum tribus ac quinquaginta primam aciem obtinebat; mox tres imperatorias una ac ſexaginta ſubſequebantur; inde Auguſtinus Barbadicus legatus pari cum Auria numero incedebat: poſtremum triginta triremium agmen Alvarus Bacianus ductabat. Atque ita procedebant, ut in prælio conſerendo Cardonii triremes ſeſe utrinque intra extremas acies reciperent; primum agmen mari circumductum dextri cornu locum obtineret, cujus exterius latus Auriæ, interius Siciliæ prætoria clauderet: Barbadicus vero in terram flectens lævum cornu tueretur; quo in medio Antonius Canalius, in lateribus Marcus Quirinus, Barbadicus conſiſterent; mediam aciem Auſtriacus, Columna, ac Venerius cum imperatoriis tenerent. Latera hinc regia, & Genuenſis prætoria, inde Aloyſii Requeſenii, Majoris Commendatoris, & Sabauda fulcirent. Quartum agmen aliquantiſper extra ordinem ſummotum in ſubſidiis eſſet. Majores vero Venetæ triremes reliquam claſſem quingentos circiter paſſus eo ordine antecedebant, ut Franciſci Duodi prætoria, & Jacobi Gauri quinqueremis mediam

Fœderatorum claſſis ordo.

aciem

aciem; Andreæ Piſauri, & Petri Piſani dextrum cornu; ſiniſtrum Antonii, & Ambroſii Bragadenorum quinqueremes prægreſſæ, claſſi univerſæ pro munimento eſſent: cunctæ vero naves, Carolo Davalo, atque Nicolao Donato ducibus, milite, commeatu, bellicoque apparatu onuſtæ Corcyram præmiſſæ fuerant. 1571

Eo ordine inſtructa claſſis in Salentinos, inde ad Sunium promontorium eſt delata; ibi vel reflante vento, vel quod Auſtriacus triremes aliquot Tarentum ad milites ſubducendos miſerat, Venerius vero copias ab Atrienſi Duce coactas, octingentoſque Toralti præfecti milites expectabat, cum aliquantiſper ſubſtitiſſet; ſexto kalen. octobris Buthrotum, poſtridie Corcyram pervenit: ad Caſſiopeumque promontorium, jactis anchoris, conſtitit: ibi ab Gildandradio, qui cum Joanne Baptiſta Contareno Zacynthum uſque ad res hoſtium explorandas ſe intulerat, hoſtium claſſem Naupacti comorari, Uluzzalium cum navigiis octoginta Methonem profectum fuiſſe, cognitum eſt. Illico quid eo rerum ſtatu faciendum ſit, conſulitur: in diverſas partes præconſultores ſcinduntur. Quidam recta proficiſcendum, prælioque decernendum; alii in Selymi ditiones impetum faciendum, opugnandam arcem aliquam, aut oppidum cenſent. Erant qui Pylum (quod hodie *Navarinum* vocant) invadendum arbitrarentur; eo expugnato, ac Methone in diſcrimen adducta, cum hoſte ſinu abſtracto certiore ſpe dimicari poſſe. Huic ſententiæ, qui a certamine ineundo abhorrebant, in primis adſtipulabantur. Conſtat enim cum ad Hiſpanorum aures inſuſurratum eſſet, nautici panis eam, quæ ferebatur, copiam non adeſſe, anſam inde a prælio Auſtriacum deterrendi arripuiſſe: qui cum Venerio, ac Barbadico per Marcum Antonium Columnam ſignificaſſet, ob annonæ angustiam, atque hoſtilis claſſis diſceſſum, ſatius ſibi videri, Margarittinum, aut Suppotum, vel Neocaſtrum tenuari; ab iſque reſponſum eſſet, in duos menſes panem ſuppetere, proinde in Helleſpontum uſque perſequendos hoſtes: tum Columnam ſubjeciſſe, terminum itineri figerent: ni ſecus facerent, Auſtriacum commeatus inopiam veritum, Coronam non moturum: noſtros, re conſultata, ut in Cretam uſque iretur, petiiſſe: *Summopere cavendum eſſe, ne, autumno prope in hyemem vergen-*

Fœderatorum ducum conſultatio.

gen-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *gente, maris tempestatibus ac jactationibus ea classis temere objiciatur, cui totius christianæ reipublicæ robur ac vis niteretur; cum præsertim in hostili regione depugnandum esset, in qua tot triremibus ac navigiis non portus, non tutas stationes ultra Zacynthum futuras: ex ultimis Hispaniæ oris triremes advenisse, quibus longinqua peragranda essent maria, antequam, sæviente hyeme, se in suas regiones, opportunaque loca reciperent. An vero adeo sibi certam victoriam pollicerentur, ut neque classis Turcicæ numerum, nequæ vires, neque dubiam fortunæ aleam expenderent? tuta consilia dubiis atque ambiguis anteferenda, neque momento rerum summam, specioso potius, quam maturo ac solido consilio, dubio marti credendam.*

Sebastiani Venerii & Augustini Barbadici ad prælium committendum adhortatio.

Verumtamen Sebastianus Venerius & Augustinus Barbadicus, omnes moras tollendas, atque adversus hostem eundum statim, censebant: *Hoc uno fœderis tanto studio ac labore confecti decus niti: non longe Turcicam classem esse; brevi, inito prælio, tot clades, atque injurias sarciri posse: an ideo fœdus ictum, ut inerti cunctatione Turcarum victorias, Christianorum cædes ærumnasque spectarent? Cyprum jam in eorum potestatem pervenisse, Cretam, aliasque insulas vastasse, oppida pleraque, atque urbes Epiri occupasse. An expectandum, ut in sequentem annum, cum maritimis, tum terrestribus viribus aucti, insolentioresque facti, exitium universæ christianæ reipublicæ minitentur? Cur igitur classem tot laboribus, immensa auri vi, triremibus, navibus, commeatu, tormentis instruximus, cujusmodi neque patrum, neque avorum nostrorum ætas vidit? Cur in ea Europeæ militiæ florem imposuimus? Cur tot insignes viros ex remotis regionibus in hanc præclaram militiam ascivimus, si pugna detrectatur, si, nulla re egregie administrata, inglorii discessuri sumus? Hiccine exitus fœderis summa totius christiani orbis expectatione celebrati? Principes legationibus defatigavimus; populos novis vectigalibus, ac pensionibus exhausimus; auri, atque argenti immensam prope vim effudimus, ut huc tot conatus, ac labores deciderent? Quid cunctando, nisi hostium audaciam ac fastum augemus, nostrorum animos ac spiritus deprimimus? Certe si alias unquam, hoc*

hoc tempore potissimum, cuncta ad certamen hortantur, im- 1571
pellunt; militum pugnam deposcentium ardor, hostium nihil ejusmodi opinantium securitas, nostrorum numerus auctus, illorum ob eos, qui in Cyprum confluxere, imminutus; demum hæc navigia, hæ triremes neque firmitate, neque præstantia cum Turcicis conferendæ. Nec vero ii audiendi sunt, qui hac anni tempestate oppidum aliquod, aut urbem invadendam putant, cum & longiori opere & mora indigeant, neque ingentem hanc classem diutius detinere e re communi sit. Quid porro id ad totius rei summam collaturum arbitramini? Bellum cum eo hoste gerimus, qui copiis, commeatibus, classe abundat; cui ex immenso fere, quem terrarum possidet, tractu semper nova adjumenta suppetunt; cujus vincendi nulla alia ratio est, quam si maritimo prælio illius potentia ac fastus infringatur. At dubius belli eventus, incerta fortunæ alea? An non ea bellum suscipientibus in mentem venerant, cum potentissimo hoste certandum, bellique casus subeundos esse? At jam Pertaus iter Byzantium versus arripuit. Secus ab exploratoribus accepimus: lætus Turca, captivis prædaque onustus, tardo gradu incedit. Ut vero itineri se committat, neque illum assequamur, generosi saltem conatus laudem a cunctis feremus; ictæ societatis existimationem, decusque retinebimus. Quod si in Cretam usque progrediendum erit, agrestium tumultu compresso, insula confirmata, hostium, qui jam ad illam anhelant, spiritus obtundemus. Sed quid de Creta modo? cum ea nobis optio data sit, ut vel conjugendo immortalem nominis gloriam cum totius reipublicæ christianæ utilitate conjunctam comparemus; vel pugnam abnuendo, hoc quidquid tanto studio collectum est virium, cum summo dedecore, atque ignominia conteramus?

Hæc licet vehementi oratione a Venerio, ac Barbadico differerentur, attamen tanti non erat, ut, qui secus sentirent, a sententia decederent. Ob id cum nihil certi, discrepantibus sententiis, statueretur, mediam viam iniri placuit; ut in Cephaleniam navigationis cursus dirigere-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 geretur, indeque e recens de hoſte allatis nuntiis firmiora conſilia caperentur. Itaque pridie kalen. octobris, Corcyræo freto trajecto, ad Gomenitias viginti a Corcyra paſſuum millibus ſe contulere. Ibi adverſo vento triduum ſubſiſtere coacti, ab Auſtriaco luſtrata claſſe, ſingillatim remiges, tormenta, ac copiæ recenſentur; die noctuque continenti ſclopporum diſploſione milites virtutis periculum faciunt. Eo in exercitationis genere cum ingens ſulphurei pulveris vis efflueret, una die ducentis circiter cadis inſumptis, in temere excutientes edictum, graviſſimis propoſitis pœnis, pronunciatur. Dum vero omnia ad iter comparantur, res accidit, quæ ingentia cœpta pene cuncta interturbavit. Nam in Andreæ Calergii, Cretenſis trierarchi, triremi a Mutio Tortona, regiæ cohortis, quæ ſub Sanctæ Floræ dynaſta merebat, præfecto, viro turbidi atque inquieti ingenii, contentione atque certamine exorto, cum diſſonus clamor ad Venerii aures, qui non longe aberat, perveniſſet, ſtatim ſuæ triremis ductorem, mox maris magiſtrum, ac ſocios nauticos ad tumultum ſedandum, feroceſque Mutii ac militum compeſcendos ſpiritus mittit. At is, pugno in os miniſtri impacto, concitatos milites in reliquos acuit, contumeliis inſuper, ac probris onerat, neque Veneto nomini parcit. Nonnulli ex comitibus vulnerati, ſanguineque reſperſi Venerium extemplo adeunt. Ille indignum imperatoris nomine, indignum Reipublicæ majeſtate facinus, intolerandumque arbitratus, in claſſe ſibi commiſſa peſſimo exemplo inulta hæc perpetrari, ut reliquorum in poſterum temeritatem ſeveritate diſciplinæ reprimeret, præfectum ac ſocios comprehenſos, ſuæ triremis antemnæ ſuſpendi imperavit. Ea re vehementer commotus Auſtriacus, iræ impatiens fremere, violatum imperii jus, præreptam auctoritatem, in ſibi ſubjectos, ipſo inſciente, ſævitum; id nequaquam paſſurum.

Mutii Tortonæ & ſociorum audacia.

Mutius Tortona & ſocii Venerii juſſu antemnæ ſuſpenduntur.

Itaque ſtatim concilium ſuorum indicit; Columnam advocat; ſententias exquirit. Cuncti Venerii factum deteſtantur; imminutam auctoritatis majeſtatem, proculcatam dignitatem; tantam rem inultam non permittat. Aloyſius Requeſenius, ac Joannes Andreas Auria acres illi in Venerium ſtimulos addunt. Tum Auſtriacus, quid ſentiret, a Columna

Joannis Auſtriaci ob Mutii necem perturbatio.

mna petit. Is ad deliberandum tempus poſtulat, mora interjecta, leniri ejus animum poſſe ratus. Barbadicum ſtatim convenit; quæ agitata ſint, in concilio exponit, turbata omnia, neque ex eo portu exire, neque hoſtem inſequi amplius Auſtriacum velle; temperare ſe iras adnixum, culpam in præfecti ac Hiſpanorum inſolentiam contuliſſe: at ne exigua ſcintilla incendium cuncta arſurum excitaretur, vereri. Barbadicus negotium prius cum claſſis legatis, atque Franciſco Duodo quinqueremium præfecto communicat. Omnes Columnam adeunt, orant, obteſtantur: Auſtriaci mentem ad ſaniora conſilia flectere nitatur; ne immortalem ſibi paratam gloriam levi momento corrumpat; ne chriſtianam rempublicam, quæ univerſa ex eo eventu pendeat, deſerat; ne privatas injurias publicis a communi hoſte illatis anteponat. Ni Auſtriacus acquieſcat, neque de communibus rebus cum Venerio agere amplius velit, ex eorum ſaltem aliquo, quæ ab ejus concilio decernantur, intelligat, remque totam Senatus judicio permittat. Columna regium juvenem aggreſſus, incredibili ingenii dexteritate atque prudentia lenire conatus, qua ratione, qua prece, qua ſuaſionibus tantum effecit, ut æſtuantem animum mitigaret: ut vero cum Venerio conſuleret, aut ageret, adduci non potuit. Inde per Auguſtinum Barbadicum legatum cuncta agitabantur, cujus temperatum ingenium, magnoque rerum uſu comparata prudentia, difficillimo tempore incredibili Reipublicæ uſui fuit. Erant in eo viro cuncta, vel corporis, vel animi bona præclara atque eximia: procera, & auguſta ſpecies: decorus totius corporis habitus, ſuavitatem majeſtate quadam mixtam præſeferens: vividus in vultu, atque oculis vigor. Has corporis dotes animi virtutes æquabant. In conſiliis capiendis prudens, in exequendis ſolers; mira in magnis rebus pertractandis prudentia, ingenii flexibilitas ſingularis, quæ illi omnium benevolentiam, ac gratiam conciliaverant. Is itaque cum nihil conducere Reipublicæ jam tum conſilii altitudine intelligeret, quin ut omnia contentionum ſemina tollerentur, animique invicem ad magnas res conficiendas coaleſcerent; in eo conatus omnes, ac nervos adhibuit, atque ad præclaram, de qua dicturi ſumus, victoriam con-

1571

Marcus Antonius Columna Auſtriaci animum lenire nititur.

Auguſtini Barbadici elogium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 ſequendam fundamenta jecit . Eo turbine diſcuſſo , nutantes ſpes noſtrorum erigi cœptæ , atque hæc nocte , quæ quintum nonas octobris ſubſecuta eſt , hora decima , peracta .

Eodem tempore ex Gildandrada , ac Joanne Baptiſta Contareno , qui ad hoſtium res explorandas a Sunnio promontorio digreſſi fuerant , affertur , centum ac quinquaginta turcicas triremes in Naupacti ſinu commorari ; Vluzzalium cum quinquaginta ad panem nauticum importandum Methonem profectum ; lethales per univerſam hoſtilem claſſem morbos graſſari . Tum in altum e portu chriſtiana claſſis evehitur : in digreſſu Auſtriacus Venerio ſignificari præcipit , Leucadem ſibi tentandam videri : ille in ſententia perſiſtendum reſpondet , arceſque in Corinthiaci ſinus faucibus ſitas oppugnari , ut inde prælio decerneretur , oportere . In Cephaleniam obverſis velis , tertio nonas octobris in Viſcardi , pridie nonas in Vallis Alexandriæ portum ventum eſt . Ibi a Paulo Contareno , Zacynthi prætore , per recentes nuntios , quæ nuper de hoſtium claſſe allata fuerant , confirmantur . Sub veſperum ex Vallis Alexandriæ portu Petalam verſus motum , ut inde in ſinum ad faucium arces inſpiciendas mitteretur . Mane nonis octobris , exoriente ſole , ad Echinadas ſcopulos , qui hodie *Curzolares* vocantur , perventum ; inde hoſtilis claſſis in conſpectum ſe dedit . In ea triremes ducentæ ac triginta , biremes ſexaginta numerabantur , licet Vluzzalium , nuntiis e Zacyntho allatis , abeſſe , atque minori ob id numero noſtri conſtare credidiſſent . Haud abſimilis quoque Turcas error deceperat , quod Caracoza , qui ad claſſem fœderatorum explorandam uſque in Viſcardum portum ſe intulerat , adnumeratis triremibus , ſexaginta deeſſe , reliquas parum inſtructas procedere nuntiaſſet . Quibus permotus Halis e ſinu Corinthiaco proficiſci , Cephaleniam uſque progredi , fœderatoſque adoriri ſtatuit : in mandatis enim a Selymo habuerat , ut quacumque ratione cum chriſtiana claſſe confligeret ; ſi ſecus nequiret , in Adriaticum quoque ad eam invadendam penetraret . Regiis juſſis accenſum Baſſæ animum , non minus partæ a reliquis purpuratis terreſtris victoriæ , claraque trophæa excitabant ;

Turcica claſſis in Chriſtianæ conſpectum venit , & ejus numerus .

bant ; eſſe non parum ſuo decori ademptum exiſtimans , ſi 1571
tam propinquam præclare rei gerendæ , penituſque exuendi maritimis viribus Chriſtianos opportunitatem elabi per ſocordiam ſineret ; quamvis non deeſſent , qui vel penitus in ejus ſententiam non deſcenderent , vel ei palam adverſarentur .

Scillocus diſſuadet prælium .

Scillocus multis a pugna ineunda dehortari rationibus nitebatur , quibus & rerum maritimarum uſus , & gravis ſenio ætas haud parum ponderis addebant . *Cur enim in ſummam belli aleam tot egregias eo anno partas victorias demitterent ? An non ſatis gloriæ comparatum ? an non undique terra , marique devictos hoſtes ? Nobiliſſimum Cypri regnum in poteſtatem redactum ; Cretam , Cytheram , Corcyram , aliaſque inſulas direptionibus atque incendiis deformatas ; uſque in Adriaticum ſinum penetratum ; Olchinium , Antibarim , Dalmatiæ atque Illyrici complura oppida capta . Cur fortunam , quæ votis hucuſque adſpiraſſet , experiri rurſus vellent ? abſque certamine , ac periculo debellari hoſtes poſſe , qui non animorum nexu , ſed metu Selymi , potentiſſimi Regis , tantum continerentur : Byzantinm contenderent , optimam prædam , exuviaſque hoſtium Regi referrent ; nullo adhibito conatu , mora tantum hoſtium vires debilitari , ac frangi poſſe . Cur certa dubiis , cur explorata ambiguis commutarent ? Sæpius , immutata fortuna , victores e victis evaſiſſe ; ſæpe parva manu ingentes copias fuſas ; quandoque deſperata ſalute , impavidos ad victoriæ faſtigium evectos . Minime vereri , ſi Selymus hoc anno præclare geſta bene cognoſceret , impetum illum animi compreſſurum , neque anciputi eventu certa trophæa , optataque gaudia inturbaturum* . In hanc ſententiam ferme Scillocum loquutum fuiſſe ferunt . At Pertaus , gravis annis , atque occulto Halis gloriæ æmulus , ancipiti ſermone neque probabat certamen , neque detractabat , ſeque in omnem eventum vel culpæ immunem , vel gloriæ conſortem ſervabat . Verum Halis Selymi juſſu , Pialis anno ſuperiore ob pugnam prætermiſſam ignominia , Caracozæ archipiratæ conſiliis certa victoriæ ſpe inflammatus , omnem cunctationem amovet : milites ad pugnam conſerendam hortatur , impellit , incendit : *Ad certam*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *tam prædam irent ; quos toties vicissent , in fugam verterent : triremium numero , copiis , tormentis inferiores hostes esse : truces vultus , præferocem impetum non laturos .*

Cunctis ad pugnam expeditis , novo remigum delectu , ac senis millibus equitum ex proximis Aetoliæ , Acarnaniæ , & Peloponnesi præsidiis deductis , confirmata classe , idoneum nactus ventum , e Corinthiaco sinu digreditur , sinuosaque fronte in dimidiatæ lunæ similitudinem formata acie procedit . Mehemetes , Alexandriæ præfectus , cognomento Scilloeus , dexteram ; sinistram Vluzzalius , Juliæ Cæsareæ prorex , ductabant : mediam aciem Halis imperator , ac Pertaus obtinebant : extrema utrinque cornua prætoriæ triremes claudebant : in subsidiis biremes triginta sub Amuratis Dragutis imperio , aliaque minora navigia locata fuerant : Caracoza leviorum navigiorum magno stipatus numero anteibat . Eo ordine exeuntes cum e Naupacto Galatam pervenissent , ibi noctem commorati , postridie , nondum inalbescente die , in Cephaleniam , nostros adorituri , iter intendunt . Fœderati eodemmet tempore in Corinthiacum sinum cursum dirigunt . Qua Ionium mare sinistrum Peloponnesi latus abluens , Acarnaniam , Aetoliam , & Epirum præterlabens , omnem illorum litorum tractum lambit , curvata veluti facies explicatur , quæ ab Ambratio usque ad Corinthiacum sinum , inde ad Tornesium castrum pertinet . Ex opposita regione Leucas , Cephalenia , ac Zacynthos cernuntur . In patenti hoc tractu , haud procul ab Acheloo amne , tres in altum tolluntur scopuli , qui hodie *Curzolares* dicti , a priscis Echinadum nomen sumpsere , quod Echinadas nymphas , ob Acheloi fluminis spretam divinitatem , in eas rupes conversas , poetarum fabulosa ingenia prodidere . Horum præcipuus , valde editus , horridus , ac præruptus ab occidente Alexandriæ Vallem , Cephaleniæ insulæ portum , respicit . Huic alter , editior , cultior , humanoque usui accommodatior contra assurgit , a nautis *Malus angulus* vocatus ; ejus radices ab oriente Acheloi amnis æstuaria alluunt , qui in Aetolia e Pindo monte exortus , limpidissimis aquis fluens , Aspropotami nomen accepit . Inter hasce mille passuum latitudine fretum

Turcicæ classis instructio .

fretum interjacet : ab eo exeuntibus ad lævam fauces Corinthiaci sinus panduntur , quarum prospectum Malus angulus , ac fabulosa quædam brevia ab Acheloo in mare labente profecta adimunt . 1571

Nostri fretum ingressi , cum ob loci angustiam classem explicare non possent , densare agmina coguntur ; superatisque angustiis , eminus circiter passuum quindecim millia hostes expansis dolonibus , in semet contendentes animadvertunt . Ex mutuo classium conspectu ingens utrinque admiratio , lætitia ob victoriæ spem intermixta , quod impari cum hoste dimicaturos sibi hinc atque inde suaderent . Ac repente vento concidente , quo secundo ac placido Turcæ e sinu provecti fuerant ; discussisque , tollente se sole , nubibus , ea maris malacia , cælique serenitas est subsequuta , ut illustrem ad dimicandum campum præberi diceres . Sunt qui affirment , non defuisse qui tunc Joannem Austriacum monerent , priusquam in prælium descenderet , mature deliberaret ; neque tanto discrimini temere classem regiam objiceret : monentibus respondisse , *audacia , non consilio opus esse* : extemploque fœderatorum Principum vexillum tolli , pugnæque signum edi jussisse , ingeminatasque voces *victoriam* acclamantium intonuisse . Ipse armatus celoce classem circuit , acies instruit , milites humanissimis verbis ad acriter pugnandum incendit ; officii monet , victoriam ostentat , hostium spolia , ingentem prædam ob oculos ponit . Venerius haud absimili ardore suorum vires ac spiritus ad certamen conferendum exacuit : *Totius christianæ reipublicæ causam agi ; pro patriæ dignitate atque incolumitate dimicandum , pro qua pulchram mortem oppetere , innutriti ad decus animi , non dubitarent : viris fortibus pericula minime pertimescenda : eo loco res esse , ut pugna detrectari non posset ; ingens telum necessitatis pavidis quoque atque ignavis impetum audere : expedirent corpora atque animos , alacres congrederentur ; victoriam certam , Divino aspirante Numine , potiturum* . Erat in Venerio eximia oris majestas , proceritas corporis , purpureus in facie decor , quem senilis ætas nondum pallore infecerat ; artuum robur ac firmitas , ut ad arma tractanda anni non essent impedimento . Huic corporis formæ vivida virtus , atque audens animus insidebat ,

Joannis Austriaci præclarum responsum

Sebastiani Venerii elogium .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 bat, quo imperatoris munera intrepidus obibat : quæ omnia ingentem illi auctoritatem apud milites pepererant.

Interea iis freti, de quo diximus, anguſtiis in altum elata claſſis, directa acie inſtruitur ; tantoque ſingulæ triremes intervallo ſejunguntur, quanto eodem altera ſpatio excipi poſſet, quo facilius ſingulæ ſeſe inferrent, referrent, ac circumflecterent : ea, qua diximus, forma, nullo navigiorum diſcrimine, Venetis, Hiſpaniſque triremibus intertextis, ordinata agmina hoſtes præſtolabantur. Ceterum Halis, claſſis turcicæ imperator, ſcopulorum objectu nondum ſiniſtro cornu inſpecto, triremium numero inferiores noſtros ratus, Auriamque, qui, ut reliquæ claſſi ſeſe explicandi locum daret, in altum evehebatur, cernens ; initium fugæ fieri arbitratus ; adornata vexillis claſſe, ingenti timpanorum, buccinarum, ac crotalorum ſtrepitu, inconditoque, ac truci remigum & militum, ut mos gentis eſt, clamore, & ululatu alacer ferebatur. Sed fere ad tormenti jactum illatus, inſtructas acies, fœderatos ad certamen ineundum expeditos, terribilem majorum triremium ſpeciem, præter ſpem, intuitus, haud parum commotus fertur. Sed cum declinandi certaminis locus non eſſet, intercidente vento, contractis velis, remiſſo curſu provehitur.

Prælium inter Chriſtianos & Turcas ad Echinadas.

Initium pugnæ a galeatiis factum : primus Franciſcus Duodus, earum præfectus, contorqueri in hoſtes grandia tormenta jubet ; atque illico immanes globi in hoſtilem triremem impacti in flammis graſſantur. Ab Ambroſio Bragadeno altera eadem vi deprimitur ; nec minori impetu Antonius Bragadenus in oppoſitam claſſi aciem ſæviſſimas machinas diſplodit. Idem ab aliis galeatiarum præfectis efficitur. Inopinata atque ingenti procella territi hoſtes, intento remigio galeatias prætervehi, atque earum certiſſimis ictibus, qui a fronte, a lateribus, a tergo imminebant, ſe ſe eripere nituntur. In ea contentione ac nixu, impari rimigum conatu, ſemel perturbata Turcarum agmina, ob hærentes a tergo galeatias, redigi in ordinem nequivere. Quæ res eis exitio fuit, cum perturbati certamen inire cogerentur. Extemplo ingens hinc atque inde majorum, minorumque tormentorum excuſſa vis horribili boatu circumjectis montibus marique reſultantibus, adeo intonuit at-

Turcica claſſis a galeatiis perturbata.

atque infremuit, ut ruere cælum, dehiſcere terram, ad ima- 1571
que ſubſidere tartara viderentur : tetra quoque caligo denſis involuta tenebris, creberrimiſque intermicans luminibus, obtutum fere adimebat. Verum ex ea horribili tormentorum tempeſtate diſpar exitus erat ; noſtris parum damni ab hoſte inferebatur ; quod ex eminentioribus triremium proris globi ejaculati navigia ſupergrederentur. Contra vero ex chriſtianis triremibus, quæ depreſſiores erant, humiliorique prora, detruncatis roſtris conſtabant, nunquam fere incaſſum machinæ contortæ : inde complures ex hoſtilibus perforatæ, incenſæ, aquis demerſæ ſunt. Primos hoſce conatus varia atque atrox pugna undique excepit, qua Turcis, qua noſtris ingruentibus, impetumque excipientibus.

In ſiniſtro fœderatæ claſſis cornu, quod Auguſtinus Barbadicus legatus ductabat, acrius dimicabatur ; adnitente Scilloco, qui dextero hoſtium præerat, qua inter litus noſtraſque triremes aditus patebat, irrumpere, ac, navigiis circumactis, aciem a tergo adoriri ; vel, ſi ſecus accideret, in propinqua litora deſiliendo, fuga ſaluti conſulere. Ceterum Marino Contareno, Vincentio Quirino, Marco Ciconia, Petro Franciſco Maripetro interjectum ob latitudinem ſpatium ægre tutantibus, Scilloco prætergreſſo, octo triremibus circumventa Barbadici prætoria, ſummo in diſcrimine verſabatur. Ipſe interritus, neque præſenti periculo commotus, ſuos ad pugnam hortatus, egregii ducis, ac militis munere fungitur. Antonius Canalius, qui diverſa in parte ingentem hoſtium ſtragem edebat, ab hoſte circumſeptum Barbadicum intuitus, in Scilloci triremem, quam eodem tempore Joannes Contarenus e Comitum Joppenſium familia, tormentorum ejaculatione, magna remorum parte, temone quoque ipſo perfracto, nudaverat, impetum facit. Scillocus cum navigium pro arbitratu flectere nequiret, congreſſum perhorreſcens, abjecto pugnæ conſilio, in fuga ſalutem ponit ; ingentiumque globorum ex prætoria legati Canalii jactu depreſſa ac demerſa triremi, in mare ejiciens, natatu evadere adnixus, a Contareni claſſiariis capitur, eique jam lethali vulnere confoſſo caput detruncatur. Eodem momento Marinus Contarenus, Barbadici, cujus ex ſorore nepos erat, periculo permotus, dum avunculo opem ferre conatur,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 tur, glande trajectus occubuit. Ejus vices ſtatim ſubiens Paulus Urſinus, qui eadem triremi vehebatur, ducis ac trierarchi partes explens, pugnam capeſſit. Strata cadaveribus triremis præfecti, milites complures, inter quos Baro Baronius Eugubinus, Fabius Toranius Vicetinus, cæſi, multi e ſuis domeſticis extincti, cuncta ſanguine reſperſa, atque exundantia. Ipſe dexterum pila plumbea humerum transfixus, fabrefactique ignis olla collum, latuſque ambuſtus, jam prope in manus hoſtium pervenerat; cum laboranti ſuppetias laturus Vincentius Quirinus, progrediens cadit. Sed tantum ex ejus triremis adventu animi Urſino, ac reliquis acceſſit, ut, acerrime redintegrata pugna, hoſtes pulſi, undique lethalibus vulneribus confoſſi proſternerentur. Inde captivi Chriſtiani, qui ad tranſtra alligati erant, perruptis atque diffractis catenis, reliquos ſuperſtites Turcas contrucidavere, libertatiſque nomen ſummis inclamantes vocibus, ſeſe uſque in Urſini triremem intulere. In ea dimicatione Dominicus Molinus, Vincentii filius, egregia virtute atque præclaro auſu adoleſcens, pugnaciſſimorum militum delecta manu, in ſuæ triremis prora fortiſſime dimicans, plumbea glande frontem ictus cecidit. Barbadicus propria virtute, Antonii Canalii auxilio ſubnixus, hoſte ſemoto, cœptis incumbens, quacumque invehitur, cædit, proſternit, deprimit. Turcæ, navigiis in terram vehementi vi impactis, evadere adnixi, ſumma ſcopuli Mali anguli petunt. Interea Barbadicus in hoſtilem triremem, quæ in prætoriæ ſuæ puppim invehebatur, obverſus, lævum ſagitta oculum, ferrea cuſpide hærente, transfigitur; motu, ac voce deſtitutus pugna excedit; lethali vulnere medicam opem nequaquam admittente, ingentis victoriæ, cujus magna pars fuerat, moriens, ſenſum vix uſurpans, cum læto ejus nuntio accepto, ſublatis ad cælum manibus, immortales ſe pro eximio beneficio Deo Optimo Maximo gratias agere, generoſi fortiſſimique ſpiritus reliquiis ſignificaſſet, paulo poſt ex humanis exceſſit, atque ad beatas ſedes, ut par credere eſt, evolavit. Egreſſo e prælio Barbadico, univerſum pugnæ pondus in Federicum Nanium, quem ille, ſuum veluti fatum præſagiens, ſibi ſucceſſorem delegerat, virum ſtrenuum, maritimarumque rerum uſu præſtantem, incubuit. Is cum in eo certamine impa-

Turcæ a captivis cæduntur.

Auguſtinus Barbadicus ſagitta ictus occubuit.

pavidus Turcarum impetum ſuſtinuiſſet, multis adverſo pectore acceptis vulneribus, ſanguine madens, fervidior inſtat, Cauraliumque, ſummi nominis apud Turcas præfectum, una cum ejus triremi capit. 1571 *Federicus Nanius Cauralium capit.*

Nec minori ardore in altera dexteri cornu parte decertabatur. Nam Marcus Quirinus legatus acerrime dimicando, ceteroſque inflammando, ejuſmodi ſtragem Turcarum ediderat, ut haud dubie, inclinata hoſtili acie, noſtris victoria adſpiraret. Verum medio in agmine, ubi fœderati imperatores ducum ac præfectorum robore ac flore ſtipati erant, atrocior pugna ſæviebat. Auſtriacus, ac Venerius in Halis, Turcici imperatoris, triremem magno impetu delati, cruentum atque anceps prælium ineunt. Milites hoſtilem proram conſcendentes, atque in puppim proripere ſe adnixi, haud ſemel ſummoventur; ipſe Halis armatus ſeſe uſque ad malum inferentes propellit. Caracoza, Aulonis; Mamutes ac Saidebergius, Mitylenes præfecti; Pertaus Baſſa pugnam fortiter capeſſunt. Aliæ ex iis, quæ phanalia geſtant, triremes ſuperveniunt, undique ad eam partem concurſus fit. Id Alvarus Bacianus, qui in ſubſidiis erat, conſpicatus, celerrime cum triremium manu accurrit. Eodem tempore Joannes Baptiſta Contarenus a latere triremem Sebaſtianum Venerium adorituram invadit, ac deprimit. Joannes Lauretanus, ac Catharinus Maripetrus opem noſtris ferre contendentes, dum obſtantium hoſtium conatus frangere conantur, interfecti, eorum navigia male habita ſunt. Vivida vero imperatorum virtus tunc maxime eluxit, dum ſinguli ſuos adhortando, faces incenſis per ſe militum animis ſubdunt. Ipſi fulgentibus armis conſpicui, militari gloria incitati, capita pro religione ac chriſtiana republica objiciunt. Auſtriacus proterere Halim contendit. Columna, qua denſius hoſtium triremes, ut Baſſæ ſubvenirent, ſe conglobaverant, invectus, acerrime dimicat; hoſtes proculcat, proſternit; duabus triremibus captis ad majus decus annitur. Cernere erat Sebaſtianum Venerium, Venetæ claſſis imperatorem, ea ætate, galea, lorica, varioque armorum indutum genere, iuvenili auſu in hoſtiles triremes irrumpere, allidere, disjicere, cuncta ferro, atque igni demetere.

Halis claſſis Turcicæ imp. interficitur.

Tandem cum binas horas pugnatum eſſet, Halim glande inter-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 terempto, ejus imperatoria triremi noſtri potiuntur; ſtatimque, vexillo triplici dimidiatæ lunæ facie intertexto, quo in bellis Turcæ uti ſolent, depreſſo, ſignum, quo humani generis Servatoris cruci affixi effigies impreſſa præferebatur, repente explicatum, atque ſublatum eſt; quo conſpecto, incredibili lætitia cunctorum perfuſis animis, lachrymiſque ex oculis manantibus, ingeminatis, atque ſæpius iteratis vocibus, tota claſſe fauſtum victoriæ nomen detonuit. Halis caput haſtæ infixum lætiſſimum ſpectaculum præbuit. Eodem momento altera, in qua imperatoris filii erant, Pertaique, & Caracozæ triremes in poteſtatem noſtrorum conceſſere. Pertaus in lembum deſiliens, fuga Naupactum pergens, vitæ conſuluit. Caracoza in prælio cecidit. In ea Turcarum conſternatione, media jam acie profligata, triginta triremes a reliquis ſubductæ, dolonibus expanſis, remorumque pulſu evadere conabantur. Ea re Canalius, ac Quirinus, qui jam in ſiniſtro agmine egregie dimicaverant, animadverſa, ex proximis triremibus viginti circiter ſelectis, prætervecti, itinere intercepto, fugientes a latere adoriri parant. Earum aliquot circumactæ, ad pugnam conſerendam ſe expediunt. Chriſtophorus Condocalius Corcyrenſis in Alibegum, qui Arabametis Rhodiæ cuſtodiæ præfecti locum obtinebat, invectus, eo extincto, triremi potitur. Reliquæ perterritæ, pugnæ conſilio abjecto, cum aliis in Malum angulum ſcopulum impegere; claſſiarii in mare ejecti letho ſe eximere ſunt conati. Conducalius poſtea, hoſtium ſignis Venetias delatis, a Senatu in equitum ordinem eſt adſcriptus.

Chriſtianæ claſſis victoria. Pertai fuga.

Anconius Canalius & Marcus Quirinus Turcicas triremes perſequuntur.

Chriſtophori Condocalii Corcyrenſis virtus.

Uluzzalius noſtras triremes aggreditur & fundit.

Eodem tempore adhuc in dextero cornu atrox & cruenta pugna edebatur. Uluzzalius cum extremam aciei partem circumire, uti ſtatuerat, nequiviſſet, converſis proris, reflectere iter conatus, in quindecim fœderatarum triremium agmen, quod interjecto maris ſpatio a reliquis ſejungebatur, illatus, cum impar ad illius impetum ſuſtinendum eſſet, ingentem cædem edit: an fortunæ, an calliditati, parumque propenſo nonnullorum ſtudio id tribuendum ſit, in incerto eſt. Joannes Andreas Auria, qui dexterum ductabat cornu, in altum adeo ſe evexerat, ut triremes nonnullæ, vel quod illum celeritate aſſequi non poſſent, vel quod aſtu id efficere ſuſpicatæ, ne a media ſe penitus acie ſejungerent, vererentur, ſubſtiterint: quæ res Uluzzalio ſubeundi, atque acriter manum conſerendi certa prope victoriæ ſpe, magno noſtrorum damno, dedit. Id ex rei militaris præſcripto factum Auria tuebatur, ne ab hoſte, qui jam triremes longo circuitu ducere cœperat, circumveniretur: ſatius fuiſſe ampliori ambitu aciem protendere, quo tutius a latere Turcas, eorum evitato impetu, aggredi poſſet: pleriſque factum improbabatur, quod provectum nimis extra fortunæ aleam, ex eventu conſilia capturum dicerent. Verumtamen haud dubie conſtat, poſt longas ambages, adhuc hærentem ſuppetias ſociis triremibus laborantibus jam diffractis, ac fere ab hoſte captis, attuliſſe. His a Pontifice Maximo cognitis, dixiſſe fertur, *Auriam piratæ potius, quam ducis munus obiiſſe*. Non defuere, qui culpam in alios congererent, Joannemque Cardonium, primi agminis ducem, cui mediam inter aciem, dexterumque cornu in prælio locus obvenerat, nec dum inſpecto hoſte, in Petalam portum antegreſſum, ſero adeo ſuperveniſſe dicerent, ut aditus hoſtibus ad proximiores invadendas triremes intercludi non poſſet. Alii quoque in Alvarum Bacianum, qui ſubſidia ductabat, eventum rejiciebant, quod mediæ aciei ſuccurrendo, ubi cardo prælii vertebatur, intentus, laboranti dextero cornu opem non tuliſſet. Erant tandem qui Auriæ rerum maritimarum diſciplinam extollerent, ac ſumma ratione id actum contenderent, ut & ſolis beneficium captaret, & tutius a latere fortiſſime hoſtem invaderet. Melitenſis prætoria capta, quæ haud multo poſt Sancti Ubini ſociæ præfecti, & aliorum Melitenſium equitum virtute e Turcarum manibus eſt erepta. Benedicti vero Superantii triremis una cum remige ac milite flammis abſumpta, aquis obruta eſt.

1571

Uluzzalii fuga.

Eventui inſtandum Uluzzalius ratus, cum roſtratis Algerii, atque aliis ſelectis triremibus in mediam noſtrorum aciem a latere invehi aggreditur. Verum reliquis in locis labare Turcas, deſperata victoria, cernens, atque hinc Auriam cum prævalido agmine, inde complures ex media acie triremes jam jam in ſe ipſum impetum facturas animadvertens, quamcelerrime ſeſe periculo eximere ſtatuit, patentique mari, in Echinadas obverſis proris, cum triginta navigiis per medium fœderatorum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 rum classem impune evasit : cetera , quæ illum insequebantur , agmina , cum velocitate imparia essent , pleraque a dextero cornu , acieque media intercepta , nullo fere negotio fuerunt oppressa . Quæ cum Uluzzalio fugam triremes abripuerant , passis velis Leucadem fere omnes incolumes appulerunt . In subsidiis constitutæ , totam aciem disjectam , ac profligatam conspicatæ , sese in Corinthiacum sinum incolumes recepere . Nostri victoriæ cursum persequentes , nullo adversante , qua cuique magis libuerat , deferuntur ; hostium reliquias contrucidant ; triremes in potestatem redigunt ; præda exuviisque potiuntur . Detruncata brachia , crura succisa , dissecta cervicibus capita , stratum cadaveribus , aut semivivis hominibus mare , sanguine mixtum conspiciebatur : vela , mali , remi , omnisque generis arma aquis innatantia , insuetum ad stuporem usque spectaculum præbebant .

Fœderatorum militum & sociorum quot desiderati .

Pugna a decimaseptima diei hora usque ad vigesimam alteram protracta est . E nostris in universum militum , remigum , navalium sociorum quinque mille cæsi , totidem vulnerati feruntur . Qui certiorem numerum ex tabulis publicis referunt , quater mille octingentos triginta octo interfectos , quater mille octingentos sexaginta quatuor saucios tradunt . Ex hostibus triginta millia , præter vulneratos ac captivos , occidisse , omnes fere affirmant : inter quos Halis , classis imperator ; Jafferus , Tripolitanus Bassa ; Chidirus , triremium præfectus ; Scillocus Alexandriæ ; Cambiucus , Suprassari Sangiacchi ; Mustaphas Celebinus navalis scriba ; ejusdem , ut vocant *Eminus* Caracoza ; Delius præfectus ; Alibegus , Arabameti Rhodii præfecti vices obtinens ; Halis Genuensis , & Cara Celebinus , piratarum duces ; Caraperius , aliique apud eos vel rerum bellicarum peritia , vel fortitudine insignes viri . E nostris vero periere Augustinus Barbadicus , classis cum summo imperio legatus ; Benedictus Superantius , Andreas ac Georgius Barbadici , Antonius Paschalicus , Marinus ac Hieronymus Contareni , Jacobus Medius , Marcus Antonius Landus , Franciscus Bonus junior , Catharinus Maripetrus , Joannes Lauretanus , Jacobus Trivisanus , Vincentius Quirinus ; tres quoque præclaræ indolis , ac virtutis adolescentes fratres , Hieronymus , Fran-

Turcarum occisorum numerus .

Veneti Patritii & alii proceres interfecti .

Franciscus , ac Sebastianus e Cornelia gente , qui in Hieronymi Contareni fororii triremi militabant , cum pari ardore in hostem charitate patriæ , ac fraterno amore succensi raperentur , gladiis confossi occubuere . Hæc patritiæ nobilitatis funera aliorum præstantium virorum cædes cumulavere , in queis Hieronymus Bisantus Ascrivienſis , Jacobus Trissinus Vicentinus , Joannes Baptista Benedictus Cyprius , Jacobus Medius , Andreas Calergius Cretenses , Petrus Bua Corcyrensis . Clari quoque bello duces , Germaniæ Prior (quem *Bajulum* vocant) eques melitensis , Horatius ac Virginius Ursini , Joannes ac Bernardinus Cardinei Hispani , Ferdinandus Bisbalius Neapolitanus Briatici Comes , atque alii , quorum nomina ad memoriam posteritatis insignia , summis præconiis concelebrata sunt . 1571

Turcarum triremes & captivi in fœderatorum potestatem redacti .

Ingens præda , opima hostium spolia , triremes , captivi victoriam nobilitavere ; septemdecim supra centum triremes in potestatem redactæ , complures depressæ , undisque haustæ ; paucæ admodum ex tanto numero evasere . Quinque millia hostium captivi , atque in iis clari & insignes viri vigintiquinque ; innumera Christianorum multitudo ferreis compedibus a miserrimo remigii servitio libertati restituta . Sub solis vero occasum , turbato cælo , cum propinquæ tempestatis signa apparerent , a memorabili aciei campo digressa classis , puppibus hostiles triremes trahens , impedito sex passuum millium itinere , in Petalam portum , e regione Echinadum situm , lento gradu concessit ; undique cadaveribus collisis , diffractisque triremibus , malis , remis , velis , rudentibusque referto mari , in quo complures adhuc vitalem spiritum ducentes , præfixis tabularum fragmentis innixi , lamentis ac vocibus fletu intermixtis , supremam opem implorantes exaudiebantur ; qui passim confossi in orcum detrudebantur , horribilioremque adspectum innatante undis sanguine præbente , qui Acheloi in mare fluentis cursu ferebatur ; ut classis in portum primis tantum tenebris pervenerit , undique ardentium triremium collucentibus flammis , circumfusa . Postridie summo mane corporibus humandis , sauciis vulneratisque medendo navata opera : inde in laceris triremibus reficiendis sarciendisque studium collocatum . Privatorum insigniorumque virorum quorumdam controversiæ , quæ ex captis hostibus aut triremibus exoriebantur , di-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 diremptæ; agitatumque inter classis imperatores de Naupacto; vel Neopatra, in eo victoriæ cursu invadendis. Sed cum ob eos, qui in prælio defuncti, ac vulnerati fuerant, quinque tantum millia puguæ idonei recenserentur, oppidorumque munitione ac situ, longiori opere expeditio indigeret, ne comparatæ victoriæ laus difficili rei exitu aliqua in parte minueretur, est prætermissa.

Offredus Iustinianus victoriæ nuncius Venetias mittitur.

Sebastianus Venerius, qui exoptatum nuntium afferret, Offredum Justinianum citatissimo cursu Venetias contendere jubet. Is, decem dierum spatio itinere confecto, xv. kal. novembris divi Nicolai portum ingressus, adventuque trina ex tormenti excussione significato, mox in fori conspectum se dedit, quo tempore ex universa civitate majori conventu frequentius esse solet. Exuviis hostium induti plerique, excelsoque, in metam Turcarum more assurgente, pileo capita tecti, insuetam speciem prospectantibus, atque hæsitantibus præbuere. Inde, propius sese inferente triremi, cum hostilibus signis ac vexillis undas converri esset animadversum, & inclamantium ingeminantiumque summis vocibus victoriæ nomen, atque in lætitiæ signum tormentorum fragor exauditus, repercussa e foro victoriæ vox momento ad aulam Principis delata, per universam statim civitatem intonuit. Undique in forum confluitur; relictis ædibus, cuncti se in vias effundunt, obvios quosque sciscitantur, incredibili gaudio exultantes in amplexus, ignotorum etiam, ruunt. Repente tota urbs æris campani strepitu personuit. Illico Princeps cum Collegii Patribus inter confertam fori multitudinem basilicam auream adit; in preces, ac vota effusi in genua procumbentes ex imo pectore, ac sensibus Deo Optimo Maximo ac Cælitibus gratias agunt; divorum Ambrosii & Augustini hymnum sacerdotes, quo divinæ laudes celebrantur, concinunt; missarumque solemni ritu sacra celebrantur. Postera die, civibus, qui in prælio occubuerant, justa, universo adsistente Senatu, persoluta sunt. Illorum laudes atque egregia pro patria gesta Joannes Baptista Rasarius, elegantis ingenii vir, qui publice græcas literas profitebatur, luculenta oratione extulit. Nemo fuit, qui ob amissos parentes, fratres, filios, propinquos, cognatos, ullum mœstitiæ signum publice daret. Non atratæ vestes, non detracta, ut in quotidianis funeribus solet,

Venetorum ob victoriæ nuntium lætitia.

Venetorum pietas & religio.

Ioannis Baptistæ Rasarii defunctorum in prælio encomium.

ædium

ædium ornamenta; non privatus luctus, ulla in parte publicam lætitiam asperšit, domesticas calamitates, ac dolores publica charitate, ac lætitia comprimente. In urbe, atque in universa Reipublicæ terrestri ditione, Senatus decreto, triduo supplicationes habitæ; Deo Optimo Maximo Reginæ cæli, divisque grates actæ; nolarum sonitu, tormentorum displosione, ignibus, naumachiis, hastiludiis, variique generis ludicris signa edita publicæ lætitiæ sunt. Vt ipse victoriæ dies Justinæ Virgini sacer, ac solemnis in posterum haberetur, atque ad ejus templum quotannis venerabundus Senatus accederet, decretum. Monetam quin etiam victoriæ testem cudi jussum, qua se memorem Justinæ Virginis in perpetuum Respublica futuram testaretur. 1571

Senatus decretum de Iustinæ Virginis festo die celebrando.

Hæc memorabilis ad Echinadas fœderatorum Principum victoria fuit, qua (quod vix ea tempestate credendum videbatur) Turcarum maritimæ vires attritæ, ac debilitatæ sunt; formidandumque antea hostem, vel disciplinæ militaris peritia, vel bellatorum fortitudine, vel armorum genere vinci, ac debellari posse compertum est. Præcipuum ad victoriam consequendam momentum, ipsis etiam Joanne Austriaco, & Marco Antonio Columna testantibus, majores triremes attulere; quæ egregia navigii forma præstantes, dum ingenti immanium tormentorum vi a fronte, a tergo, ac lateribus in hostem sese inferentem globos contorquerent, inopinata procella perculsum, perturbatis triremibus, certamen inire cogere. Offredus Justinianus, qui victoriæ nuntium patriæ attulerat, publice grati animi ergo torque aurea a Senatu donatus, in Equitum ordinem est adlectus. Haud multo post Joannes Baptista Contarenus, triremis præfectus a Venerio missus, ad urbem pervenit, ut singilatim de iis, quæ in prælio acciderant, Patres doceret, atque proceres quoidam in Italiam ab Austriaco ad christianos Principes legatos deferret. Cum eo Petrus Zapata Venetias accessit. Principi ac Senatui Joannis Austriaci literas dedit, quibus quæ gesta fuerant, expositis, partam victoriam congratulabatur: in re tam præclara nullos labores detrectantem, nullis periculis commotum incubuisse, neque minus pro Reipublicæ incolumitate ac dignitate, quam pro Philippi Regis fratris gloria, ac

Offredus Iustinianus equestri dignitate donatus.

Ioannes Baptista Contarenus à Venerio Venetias mittitur.

Petrus Zapata, Ioannis Austriaci ad Venetos orator.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 ac ſuimet decore tot diſcrimina ſubiiſſe: eodem ſtudio, pari ardore pro chriſtiana republica in poſterum enixurum; neque, ut victoriæ fructus corrumperetur, paſſurum. Auſtriaci literis a Senatu reſpondetur: egregia illius virtus, atque in chriſtianam rempublicam ſtudium extollitur; immortales gratiæ aguntur; ad victoriam proſequendam inflammatur: ne cœptis deſiſteret, parta decora nova acceſſione gloriæ cumularet, in turcicas ditiones penetraret, claſſe exutos ac territos hoſtes facile perdomari poſſe. His, atque aliis regium juvenem ad cœptum iter, minime intermiſſo curſu, perſequendum Senatus adhortabatur. Ad Principes quoque chriſtianos eodem tempore datæ literæ, quibus, poſt victoriæ nuntium, adjectaſque gratulationes, ſocii ad ſtrenue magnarum rerum jactis fundamentis inſiſtendum, reliqui ad danda in fœdus nomina, atque ad communem cauſam amplectendam, incitabantur.

Venetorum ad Auſtriaci literas riſponſum.

Venetorum ad Principes chriſtianos de victoria literæ.

Venerius, claſſis imperator, Senatus conſulto ſcriptis literis, ſummis laudibus efferebatur; quod rempublicam ſtrenue, ac fortiter adminiſtraſſet, quod conſilio ac fortitudine tantam victoriam peperiſſet: claſſem inſtauraret, atque omni contentione victoriæ inſiſteret; naviter ageret, ne tempus cunctando tereret; maria illi undique patere: ſi vires, atque anni tempus permitterent, Helleſponti fauces ingrederetur: veriſimile eſſe, Byzantium atque omnem circumjacentem regionem tot ad claſſem atque exercitum mortalium confluentium acceſſu nudatam præſidiis eſſe; Selymum ac purpuratos inopinato percuſſos caſu, in magna rerum ambiguitate ac perturbatione verſari; triremes, navigia, ligna, atque omne bellicum maritimum apparatum quacumque ratione poſſet, hoſtibus adimere eniteretur. Auguſtini Barbadici loco Jacobus Superantius eques cum ſummo imperio ſuffectus eſt; atque ad ærarii publici inopiam immani ſumptu exhauſti ſublevandam latum, ut, perſeverante bello, a continentis ditionis urbibus tres in ſingulos annos in ſubſidium penſiones pro cujuſque portione penderentur. Senatus quoque conſulto, majoribus comitiis confirmato, ſancitum, ut urbani magiſtratus, atque alii, qui publica obibant munera, ſemeſtre dimidiatum ſtipendium, atque emolumenta quæſtoribus dimitterent.

Iacobus Superantius Legatus cum imp. Barbadici loco eligitur. Senatus ſedulitas in pecuniis colligendis.

rent. Venerius, ne quemquam publicæ liberalitatis expertem ſineret, eos, qui ob crimina remigio obnoxii erant, ac ſtrenue dimicaverant, libertati reſtituit, publicumque omne debitum remiſit, ea conditione, ut, donec triremes, præfectis in urbem redeuntibus, in navalia ſubducerentur, ære conſueto ad tranſtra mererent. Permiſſus exulibus, qui prælio interfuerant, in patriam reditus, aliaque publicæ liberalitatis ſigna edita. 1571

Fœderatorum victoriæ ad Echinadas nuntius per univerſam Europam, aliaſque regiones ac provincias delatus, cunctorum animos ad ingentem maximarum rerum ſpem erexerat: tot cæſos hoſtes, omnium fere maritimarum virium jacturam a Selymo factam, præclaros militari diſciplina præfectos, inſignes duces amiſſos. Eas ſpes ſummopere augebant Epiri ac Græciæ incolæ, qui turcicæ ſervitutis jugum peroſi, novas res appetere ac moliri ſoliti, tam eximiam ſeſe ab indigno ſervitio eximendi occaſionem prætermiſſuri non videbantur. Nec deerant qui Byzantium, regni ſedem, petendum contenderent: felici fortunæ afflatu multa, atque egregia confici poſſe; non alio præferoces Annibalis ſpiritus victoriam ſpirantes, quam inerti luxu, ac laſcivienti Capuano otio perdomitos fuiſſe: pulchrum vincere, pulcherrimum victoria uti ſcire. Pari cupiditate ſociorum imperatorum animi commoveri atque incendi videbantur, cum poſt victoriam, obliteratis iis, quæ acerba inter Venerium atque Auſtriacum ſimultatum initia contigerant, juvenis imperator grandæva ætate ſenem complexus, ſe in ejus voluntate futurum diceret. Inde inter fœderatos duces variis agitatis, in id cunctorum ſententiæ convenerant, ut ex univerſa claſſe centum ac quinquaginta ſelectis apprime inſtructis triremibus, atque ex iis turcicorum navigiorum cuſtodiæ triginta relictis, cum reliquis Peloponneſi litora percurrendo, populi ad defectionem ſolicitarentur; oppido vel urbe occupata, ac ſede belli conſtituta, inde ad ulteriora, pandente ſinum fortuna, adſpiraretur.

Fœderati, quid potiſſimum facerent, conſulunt.

Dum hæc in omnium animis, atque ore verſantur, repente immutata rerum facies: tepere Hiſpani: priſtinus Auſtriaci ardor reſtingui: multa profectioni prætendi: militibus pleriſ-

Hiſpani de reditu cogitant.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 que cæſis, ac vulneratis, tantam copiarum vim, quæ terra exponeretur, non eſſe: commeatus deficere, eorum navigia cum annona, ac belliço apparatu reliquam ſequi claſſem non poſſe: anni tempus procellis, ac tempeſtatibus obnoxium, belliciſque conatibus infeſtum, ſubduci claſſes ſuadere, ut, iis refectis ac ſartis, ſequenti anno tuto hoſtis invaderetur. Hæc ab Hiſpanis jactabantur. At, qui veriori æſtimatione rem penſabant, multos cæſos, complures vulneratos eſſe minime diffitebantur; ſed prælii pondere in lævum cornu incumbente, Venetorum internecionem præſertim factam, nec non Hiſpanorum militum, qui in Philippi triremibus Venetis intermixtis depugnaſſent: in altero cornu ſerius atque minus acriter dimicatum; pleriſque Hiſpanis triremibus nullum detrimentum perpeſſis, incolumes propugnatores ſervatos, memorabant. Huc accedebat, Philippum Bragadenum, ſinui Adriatico cum imperio præfectum, qui pugnæ non interfuerat, cum majoribus quatuor, minoribus tredecim triremibus ſuperveniſſe: ex onerariis navigiis in triremes traduci commeatus poſſe; neque intempeſtivam anni rationem a rebus gerendis abducere: in hoſtili ſolo dimicandum, portus ad hyemandum, claſſemque opportune inſtaurandam non deeſſe. Hæc cum tot, tantaque, ut, omni abjecta mora, victor fugienti occaſioni inſiſteret, hortarentur; attamen ſuorum impulſu ac ſuaſionibus permoto Auſtriaco, neque Marco Antonio Columna diſſentiente, Venerio vero vel ægritudine corporis, vel gravioribus in adminiſtranda claſſe curis confecto, vel aliorum repugnantibus ſententiis diſtracto, cum claſſe in Calogerum portum itum eſt.

Philippus Bragadenus cum novis triremibus claſſi ſe adjungit.

Ibi, flagitantibus Hiſpanis, de præda manubiiſque hoſtium dividundis actum; tantumque eo in negotio temporis inſumptum eſt, ut inani contentione rerum præclare gerendarum opportunitas non abſque omnium mœrore elaberetur. Delecti, quos negotio conficiendo præficerent, ex regiis Franciſcus Guevara, Petrus Velaſquius, Didacus Padilia, Navas Puebla; ex pontificiis Dominicus Grimaldus, Flaminius Giambeccarius, Joannes Baptiſta Maddalenius; ex Venetis Jacobus Gaurus, Joannes Contarenus, Ambroſius Bragadenus. Edictum deinde imperatorum pronunciatur, ut triremium, galeatiarum, atque navigiorum cujuſcumque generis præfecti, jurejurando interpoſito,

Fœderati in hoſtium manubiis dividendis tempus terunt.

poſito, turcicarum triremium, captivorum, tormentorum, 1571
atque reliquæ prædæ numerum in publicas tabulas referrent: ut illuſtriores captivi Romam perducerentur, ibique in ſingulos fœderatos pro cujuſque portione diſtribuerentur, decretum. Cum vero ad reliquam captivorum ac navigiorum partiendam prædam longiori mora opus eſſet, in id conventum, ut imperatorum quilibet captas a ſuis triremes, hoſteſque retineret, ea lege, ut cui minus, quam ex fœdere deberetur, obtigiſſet, ei a reliquis ſatisfieret. Penes regios, quibus Genuenſes adcenſebantur, triremes duo de ſexaginta, biremes, ac roſtratæ octo inventæ: apud Venetos ac pontificios triremes novem ac quinquaginta, biremes, ac roſtratæ quinque; ut in univerſum decem ac ſeptem ſupra centum Turcicæ triremes adnumerarentur; in his quatuor Venetæ erant in Aegæo ad Cephaleniam, atque Merleras inſulas interceptæ, Vincentii Mariæ Prioli, Franciſci Throni, Michaelis Barbadici, ac Petri Bertholacii; biremes ac roſtratæ tredecim fuere. Harum dimidia pars Joanni Auſtriaco eſt attributa, reliqua Venetis ac pontificiis ceſſit; idem in captivis dividendis ſervatum; ex omni ſumma trecenti ac quadragintaocto pro decuma Auſtriaco imperatori obtigere. Tormenta grandiora decem ac ſeptem ſupra centum, varii generis ducenta ac ſexaginta tria adnumerata. Iis ab Auſtriaco decumatis, reliqua pars, uti cetera, diſtributa fuit.

Interea Joannes Andreas Auria, quique ad Leucadem explorandam profecti erant, revertuntur; neque opere munitum, neque commeatu, neque bellicis præſidiis ita inſtructum eſſe oppidum nunciant, quin, decem peditum millibus expoſitis, haud multorum dierum ſpatio occupari queat: pontem ligneum, quo arx continenti jungebatur, ſcindi ac disjici, facillimo ad auſtrum egreſſu, plano quinque paſſuum millium itinere ſubvehi tormenta oppido poſſe. Verumtamen hyeme inſtante, ne milites tempeſtatibus, ac cæli injuriis objicerentur, ab expeditione abſtinendum cenſere. Itaque partem qui quoque ea ſpe evaneſcente, Corcyram cum univerſa claſſe imperatores contendunt. Inde Auſtriacus Meſſanam, Columna Neapolim pervenit; qui mox Romam profectus, ſolemni pompa, priſco triumphantium more, præda atque exuviis hoſtium,

Joannes Auſtriacus Meſſanam, Columna Romam revertuntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 ſtium, nobiliumque captivorum agmine præeunte, eximia lætitia, atque totius populi confluentis plauſu urbem ingreſſus, opima ſpolia Pio Pontifici Maximo cum purpuratorum collegio, in regia Conſtantini aula aſſidentibus detulit; in queis bini Halis, turcicæ claſſis imperatoris, Acmates, & Mamutes adoleſcentes filii fuere.

At ne poſt victoriam miles otio torpeſceret, Venerius Malgaritinum, in Epiro ſitum oppidum, advocantibus incolis, adoriri ſtatuit. Ludovicus Cicuta cum triremi ad incolarum animos explorandos, accipiendoſque obſides mittitur. Franciſco Cornelio, qui Corcyræ cum ſummo imperio præerat, expeditio demandatur. Paulus Urſinus militibus præficitur, qui ſocios Proſperum Columnam, Joannem Antonium Aquivivium, Galeatium Farneſium, Ludovicum Pennam, Philippum Ronconium cum eorum cohortibus accivit; veteranorum militum ex arcis præſidio manus, atque Epiroticæ militiæ equites quinquaginta adjecti. His copiis, Marcus Quirinus, claſſis legatus, triginta triremibus exceptis, impoſitiſque muralibus tormentis, recta Malgaritinum pergit. Eodem tempore Antonius Canalius cum ſelectis aliquot triremibus Suppotum progreditur, quo præfectum cum equitibus ſexcentis Delvini commorantem ab ope Malgaritino & Suppoto, a quibus æque diſtat, ferenda averteret. At Quirinus cum ad Cybotam perveniſſet, atque ſæviente mari, ad Divæ Venerandæ litus copias exponere, uti decreverat, prohiberetur, & jam Marcus Bonellus eques per montis dorſum Malgaritino imminens iter ad tormenta ſubvehenda veſtigaſſet, noctu pedites centum ad juga occupanda præmiſit. Sedata vero tempeſtate, machinas ſubduci, milites exſcendere jubet. Hippolytus Portus, Corcyræ gubernator, quingentis ſtipatus peditibus, ſubvehi tormenta præcipit. Ea ſubſtollendi, per abruptum atque acclive iter convectandi onus triremium turmis impoſitum. Petrus Piſanus, Sebaſtiani filius, Theodorus Balbus, Franciſcus Cornelius Creta ortus, Gabriel Canalius, Franciſcus Grittus ei negotio præpoſiti. Interim Paulus Urſinus Proſperum Columnam, ac Philippum Ronconium cum ſuorum militum cohortibus ad ſuburbia, fontemque oppido propinquum capiendum mittit. Cornelius mox, atque Urſinus ipſe cum acie ſub-

ſubſequuti, vix in conſpectum ſe oppidi dederant, cum jam 1571
Proſper, ſuburbiis fonteque occupatis, cum hoſtibus, qui ſe Malgaritino ejecerant, atque equitum manu, qui e Paramithia ſubſidio venerant, editumque collem ceperant, prælium iniiſſet. Qui jugum inſederant Turcæ, noſtrorum inſpecta acie, ſeſe recipiunt; reliqui in oppidum ſe trudunt; neque propterea demittunt animos, ob confragoſa itinera, tormenta mœnibus admoveri non poſſe rati, quæ inſuper lateribus tuta, ſcalis aſcenſum non admitterent; triremes vero noſtræ in ſtatione ad auſtrum verſa non abſque periculo conſiſterent. Subſidiis quoque peditum mille, ac quadringentorum equitum, quæ jam ſupervenerant, confidebant. Dum tormenta ſubvehuntur, levioribus certaminibus dimicabatur; admotis machinis, ac oppido quati cœpto, inſueto terrore perculſi hoſtes, colloquium petunt: ni poſtridie nova in meridie ſubſidia a ſuis veniant, deditionem paciſcuntur. Affluere ſequenti die opem præbituri Turcæ; ſed a noſtris tota planitie montiumque aditibus occupatis, impediti: oppidani ſe Cornelio permiſere. Turcis militibus abitus conceſſus, qui cum in anguſtias, quas Galli pedites tutabantur, incidiſſent, fractæ eidem genti ad Olchinium fidei cæſi omnes pœnas dedere. Oppidum deinde a milite direptum, quod communiri nequiret, ſolo æquatum eſt. Ea clade audita, Turcæ Suppotum reliquere, quod eodem victoriæ curſu, ab Epirotis dirutis ædibus, incenſum eſt, octo tormenta, quæ Venerius in oppidum antea captum inferri curaverat, Corcyram abducta.

Veneti Margaritinum occupant.

Suppotum a noſtris captum.

Dum hæc geruntur, Jacobus Superantius, cum imperio legatus, VII. kal. decembris Corcyram pervenit; ac præter opinionem disjunctas fœderatorum vires, Auſtriaco Meſſanum, Columna Neapolim profectis, Veneriumque gravi morbo affectum offendit. Statim cuncta, quæ ad regendam claſſem ſpectabant, obire cœpit: copias luſtrare, commeatus curare, labantes diſciplinæ ſeveritate coercere; quæ, ne tam inſignis victoriæ fructus conteratur, agenda forent, meditari. Itaque concilio coacto, de belli adminiſtrandi ratione diſſerit. *Reipublicæ minime conducere*, inquit, *ut tot triremibus inſtructa claſſis, diutius Corcyræ moretur: hebeſcere militum virtutem, ſpes a finitimis populis conceptas langueſcere, inerti otio præteritos*

Jacobus Superati u Corcyram pervenit.

Ia cobi Superantii ſententia de triremibus in Aegæum mittendis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *tos labores ac trophæa corrumpi: non, ſedendo ac quieſcendo, hoſti ad ſumendos ſpiritus ſpatium dari oportere: quacumque ratione impetendos, ad novam exædificandam claſſem apparatus disjiciendos, iter ad ſequentis anni expeditiones moliendum; alendam in milite virtutis flammam ex feliciter geſtis, ac nuper Malgaritino, ac Suppoto captis, conceptam: fervido animorum impetu multa, ac præclara confici, quæ, eodem tepente, ac frigeſcente, vix ſperare audeas: cenſere igitur, ſexaginta apprime expeditas, ac militum robore inſtructas triremes in Aegæum mare mittendas; nullo negotio illius oræ gentes Veneti nominis ſtudioſas recipi poſſe. Quo enim remorentur, Selymo maritimis viribus nudato? an terreſtrium copiarum ſubſidia eſſe pertimeſcenda? an Turcas, qui inſulis præeſſent, noſtrorum impetum excepturos? Iis feliciter confectis, Aegæoque mari univerſo emenſo, ad Tenedum, objectam Helleſponto inſulam, claſſem ſiſtendam arbitrari; quæ Byzantii agantur explorari, inde in ejus ſinus fauces ingreſſum intercludi poſſe. Quis enim ignoret* (ait) *plerumque ex iis anguſtiis Turcarum navigia omnium rerum egentia prodire, quæ mox Lemnum, atque Eubœam delata, vel a dextera Thraciæ, Macedoniæ, Beotiæ, atque Atticæ litora percurrant, vel læva Mytilenem, Chium, Rhodum, Phrygiæque litora adeant; remigeque, navalibus ſociis, milite, armamentis, annona inſtruantur? Ea omnia, ad Tenedum conſtituta claſſe, adimi hoſtibus poſſe. An vero in poſtremis habendum, infeſta iis navigiis maria reddi, quæ ex Alexandria, atque Syriæ urbibus nitratum pulverem, atque alia in bellicos uſus Byzantium importent? Quibus interceptis, cuncta fere claſſis inſtaurandæ ſpes præcidatur, neque quidquam, niſi admodum ſero Selymus moliri queat? Quid porro hiſce conatibus obſtaturum? Aegæi maris triremes delitеſcere; omnes fere piratas navali prælio diſſipatos atque interfectos; reliquos Numidiæ receſſibus Hiſpanicarum triremium metu conditos: in ſinum Adriaticum incurſus Bragadenum præfectum repreſſurum; ſi qui in Ambracia, Peloponneſo, circumjacentibuſque locis erumpant, Venerium imperatorem, & Cretenſes triremes profligaturas: inde tuto atque aperto mari nihil curſum victoriæ remoraturum. Igitur omnes excutiendas moras; dum tempus afforet, ſtrenue, atque impigre agendum, ne*

1571 *ne inſignia adeo de hoſte relata trophæa ancipiti cunctatione interciperentur.*

Jacobo Superantio provincia claſſis in Aegeum ducendæ demandatur.

Hæc haud ſemel a Superantio coram præconſultoribus diſceptata, quibus, Venerio decumbente, ſcriba ejus intererat, cum ab omnibus probarentur, neminem huic ſubeundo oneri eidem Superantio anteferendum exiſtimarunt: triremes deliguntur, copiæ luſtrantur, Philippus Bragadenus in Adriaticum ſinum, ut aliquid in hoſtem moliatur, proficiſci jubetur. Dum hæc fiunt, atque totus in profectionem intendit, morbo relaxante, Venerius convaleſcit; recentem peditatum, atque equitatum comparat; tormenta nonnulla in actuariam navim imponit: Antonium Canalium, legatum, cum triremibus aliquot in Acarnaniam & Aetoliam mittit; oram inter Leucadem Corinthiacumque ſinum excurrere jubet, ut mare a piratis infeſtum Zacynthiis, ac Cephaleniis ad ſubvehenda ex continenti frumenta tutum redderet. Is Chriſtianos Selymo ſubjectos mirifice fœderatis Principibus conciliat; qui, hoſtibus e villis ac domibus litori adjacentibus ejectis, nullum in noſtros benevolentiæ ac propenſi animi officium prætermittunt; affatim commeatus, atque annonam in navigia important, itinera Canalii militibus commonſtrant, qui variis in locis, compluribus hoſtium cæſis, captivis ac præda onuſti ad triremes revertuntur. Ceterum Venerius, ac Superantius legatus in Ithacam claſſe delati, Vattim, amplum atque tutum portum, circumjectis priſcæ civitatis ruinis, ac ſepulchrorum ruderibus, Ulyſſis memoriam oſtentantibus, percelebrem, occupant.

Venerii imp. ſententia de Leucade oppugnanda.

Ibi Venerius, Superantio, atque aliis legatis præfectiſque accitis, quod hucuſque ſilentio preſſerat, Leucadem oppugnare decreviſſe ſignificat; neque de exitu ambigere ſe inquit: *Jam enim haud dubie afferri, finitimos Turcas ac Peloponneſios terrore perculſos in longinqua, præruptaque montium juga ſe recepiſſe; Chriſtianorum in dejectionem verſos animos: oblata opportunitate utendum, e parvis initiis ingentes ſæpius rerum mutationes ortas: cuncta ad victum neceſſaria claſſi incolas ſuppeditaturos, ad excutiendum a ſuis cervicibus Leucadis jugum catervatim confluxuros: habere in ſua triremi oppidanos, qui, ſe populante, in fide retenturi: duceſque expedi-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 *peditionis futuros polliceantur : perfracto ponte , quo insula continenti jungitur , spe subsidiorum sublata , reliqua facile , imparatis , atque nihil ejusmodi metuentibus hostibus , confici posse : in id se muralia tormenta e Corcyra advehenda curasse ; græci equitatus florem ex Corcyra , Cephalenia , & Zacyntho ad ducentos ductu Sophiani Eudemannis ; trecentos ex iisdem locis pedites , ex ordinum militia coegisse ; octingentos in triremibus in promptu esse : neque vereri , quin , brevi oppido atque insula potiti , ex situ , quod continenti immineat , ad majora in finitimas regiones peragenda sibi aditum patefaciant : virtute , ac celeritate opus esse , quorum alterius eximia vel in prælio , vel in reliquis expeditionibus argumenta milites dederint ; alterius præstandæ penes duces facultas sit .*

Iacobi Superantii contra Venerii sententiam disceptatio .

Huic Venerii sententiæ Jacobus Superantius , cui jam communi consensu in Aegæum profectio injuncta fuerat , vehementer adversabatur . *Non ignobili oppugnando oppido universam classem distineri oportere ; neque certos in hostem progressus inani spe corrumpendos : non eos esse audiendos , qui nulla militari scientia , nulla re bello gesta , potius voluntatem , quam rationem ducem sequantur ; neque credendum adeo dissipatos , atque perculsos Turcas esse , ut brevi peditum atque equitum manum ad nostrorum impetum inhibendum colligere non possint : Christianos quin etiam , ni prius fœderatorum exercitum excensionem feciſse cognoverint , palam auxilium minime laturos : non eum in classe militum numerum , qui expugnandæ urbi sufficiat ; non terrestrium copiarum præfectum : tempore hæc egere . Cur igitur , quæ mature Corcyræ decreta fuerint , pervertantur ? nihil præstantius , nihil utilius confici posse , quam si ipse statim cum sexaginta triremibus sese in Aegæum proripiat , maria excurrat , navigia capiat , hostes perterrefaciat , apparatus ad classem Turcicam vel renovandam , vel sarciendam proterat , infestam hosti intritamque navigationem reddat : inde Venerio suadere , ne , quæ omnium sententiis statuta fuerant , importuna cunctatione impedire vellet ; secum reputaret momento præclaras rerum gerendarum occasiones intercipi . Quis porro eorum , qui ei Leucadis oppugnandæ auctores essent , vel situm , vel propugnatorum robur ac numerum , vel mœnia , tormenta , bellicos apparatus , commeatus pernosceret ? qua ratione pons excindi ,*

1571 *quo loco machinæ bellicæ subducendæ essent ? in dies viginti commeatum ac panem nauticum non suppetere , neque tantas res populorum nutantibus atque ambiguis animis committendas ; non eorum fidei periculum frustra faciendum , ne irriti conatus acerbissimis tormentis , inevitabili exitio pœnas luant , in posterumque attriti & exanimes nullo amplius adjumento sint . Quod si ab instituta Aegæi navigatione abstinendum sit , in conservanda classe , qua universum fœderis robur nitatur , præsertim studium impendendum ; aut si quid tentandum , Neopatram , propinquum oppidum , tormentis nudatum , parum milite instructum , petendum ; commeatus inde classi non defuturos : mox , si ita expedire visum fuerit , unum ex castellis ad sinus Corynthiaci fauces situm , quæ haud parum firma esse constaret , invadendum : ex eo loco si in sinum penetraretur , ingentem biscocti panis copiam nanciſci , hostibus illius conficiendi opportunitatem adimi , omnemque Peloponnesum terrore ac metu compleri posse .*

His a Superantio dictis , multis quoque a Quirino , & Canalio disceptatis , cum Venerio Quirinus adsentiretur , Canalius cum Superantio persisteret , imperatoris vicit sententia . Itaque statim ligna , virgulta , sublicæ ad crates conficiendos incidi jubentur ; munera inter duces distribuuntur ; Marco Quirino terrestrium copiarum imperium committitur ; Joannes Baptista Quirinus prolegatus diligitur ; Aloysio Paschalico [illegible] strorum , Mario Calabro tormentorum , Gabrieli Canalio classiariorum præfectura mandatur . Prosperi Salæ loco , qui in triremi decubuerat , Philippus Ronconius , Superantii præfectus , toti expeditioni præficitur . Canalio legato injungitur , ut Ducatum promontorium cum decem ac quatuor triremibus prætervectus , Dematam , duobus passuum millibus a Leucade portum , teneat . Inde , Venerio objecta continenti mœnia quatere incipiente , ipse movens mari oppidum aggrediatur . Ratione itineris constituta , eodem tempore imperator classe fretum insulæ occupat ; Canalius cum suarum triremium manu in arcis se conspectum dat ; Venerius nocte copias , & tormenta , qua se arctius locus in mare porrigit (*Frignin* locum incolæ vocant) exponit , atque a remigum passuum mil-

De Leucade oppugnanda decretum .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 millium itinere oppidum versus protrahi jubet. Canalius ignium fabrefactorum vim cadis inclusam ad pontem incendendum devehi curat. Missi, flammis minime utendum rati, sexaginta passuum demolitione, in oppidum ultro citroque per pontem commeandi ablatam hosti fuisse facultatem arbitrantur. Verum inalbescente die, Dominicus Butrius præfectus cum militibus ducentis ad locum delatus, magno periculo, irrito eventu, nullo hostium detrimento omnia acta comperit; cum Turcæ ex arce desilientes per vadosa loca se se facillime in continentem ejicerent. Interea oppidi situ, qua parte Venerius machinas subvehi præceperat, explorato, licet haud difficilis expugnatio futura initio videretur, attamen propius noctu, atque exactius loco inspecto, secus se rem habere, neque facilem, neque celerem fore expugnationem deprehensum est. Tormenta ad castrum subducuntur, e cujus regione Venerius cum classe per angustum ac depressum fretum adeo se intulit, ut triremes confertæ, intertextis remis, non absque periculo premerentur, ac pleræque dirutæ turris (quam *Peramam* appellant) ex aqua extantis crepidini funibus illigarentur. Canalio tunc imperat, ut statim in Guiscardum, Cephaleniæ portum, profectus, ibi nuova ipsius mandata expectet.

Dominicus Butrius & nostri milites a Turcis interfecti.

Dum hæc geruntur, Dominicus Butrius cum peditibus centum ac quinquaginta, qua pons disjectus fuerat, denuo illatus, equitibus ex oppido exeuntibus iter intercludit, leviorique certamine cum Turcis, qui ad eos protegendos se ejecerant, acriter depugnat. Adventantis centum ac quinquaginta equitum, ducentorum peditum subsidii sero admonitus, licet cum suis in alterum summum duorum collium, qui a læva aditum terra ad pontem claudunt, tuto se recipere, atque ibi, globo facto, Turcarum impetum sustinere potuisset; attamen magna spe fretus, ante eorum adventum se, Petro Vicetino præfecto, quem ex adverso cum parte militum reliquerat, conjungi posse, dum e tumulo descensum molitur, a subsidiariis Turcarum copiis, atque ab equitum manu, qui ex oppido egressi fuerant, intercipitur; compluribusque vulneribus confossus cadit; militum vel loci iniquitate, vel paucitate, impari pugna dimicantium complures ob-

obtruncatur, alii capiuntur; sexaginta in universum desideratis, liber is aditus hostibus patuit. Eo eventu nostri haudquaquam perculsi, a mari oppidum adoriri statuunt. Superantius, Canalius, ac Nicolaus Donatus, damnatorum præfectus, cum triginta triremibus insulam circumire jubentur, atque ab ea parte, qua in altum prospectus est, tripartito agmine, decem sibi invicem succedentium triremium verberationem incipere. Venerius, repente extructis ad milites exponendos ratibus, per vicinam mœnibus terræ motu sciissis paludem immittere, duobusque muralibus tormentis in prora navigii constitutis, quatere eam mœnium partem decrevit. Verum oborta tempestate, cum Superantius moraretur, neque ab incolis necessarius classi victus suppeditaretur, copiæ vero cæli inclementia, atque assiduis imbribus, nullis protectæ tentoriis ac tabernaculis, affligerentur, omnis prospere rei gerendæ spes deperiit. 1571

Sed Venerius ante discessum Turcarum tentoria, quæ haud procul visebantur, quod in speciem potius ad oppidanorum augendos animos erecta, quam copiis referta rebatur, aggredi statuit; selectos quinquaginta equites præmittit, ipse cum totidem, ac reliquis copiis subsequitur. Ceterum magno numero atque impetu egressi hostes, adeo acriter in nostros feruntur, ut celerrime non absque ingenti periculo referre pedem Venerius cogeretur: milites aliquot, inter quos Joannes Baptista Bellacatus præfectus, interfecti. Tandem Venerius tormenta in navigia inferri imperat; triremes aliquot noctu, furente in euripo vento, quod nimium conglobatæ essent, detrimento affectæ sunt; solutæ rates, tigna ac tabulata, ex quibus confectæ erant, vento, atque undis ad littora oppidi ejecta; navigium cum tormentis coepto hæsit; neque insequenti die furor desæviit. Cum Superantius ex duobus Christianis oppido egressis cognovisset, hostes, intendentibus se tenebris, tormenta in jugi apice imposituros, inde classem ad Castrium commorantem verberaturos, hæc statim Venerio significat; qui, auditis iis, ad Frigium promontorium, quo primum copias exposuerat, classem subducit; milites, uti sequantur, præcipit, primo diluculo conscensuros. Sed nondum se aurora extulerat, cum excute-

re

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 re tormenta, noctu in jugum ſublata, hoſtes irrito euentu incipiunt.

Joannis Bembi virtus.

Joannes Bembus, ad navigium una cum tormentis e luto extrahendum, euripum denuo ingreſſus, in eo conatu, materia, quæ obduruerat reluctante, non modo e collis jugo, ſed ſcloppettariorum quoque manu in litore conſtituta impetebatur. Ob id quatuor triremes ad ſummovendos hoſtes ſe ſe proripere jubentur; quarum una, quam Chriſtophorus Lucichius Crepſanus ductabat, tormento nimia pulveris vi, dum ignis admoveretur, perfracto, atque in complura fragmenta comminuto, nonnullis in prora conſiſtentibus interfectis, ad carinam uſque, detruſo æris fragmine, perforata repente, ſabuloſo ſolo, incolumi militie, ac remige, depreſſa eſt: ſarcinæ, atque tormenta eruta; extantibus ex aqua partibus ſubditæ faces. At Bembus nequaquam territus, extracto tandem navigio, ac remulco ad medium uſque euripum perducto, licet fune, cui alligabatur, abrupto, rurſus venti vi ad litus compelleretur, atque arenæ impingeret, fruſtra contraniente ad litus hoſte, incolume ad Venerium reduxit. Copiis demum omnibus intra navigia receptis, univerſa claſſis Viſcardum Cephaleniæ portum petiit. Ibi, ut Jacobus Superantius ac Marcus Quirinus cum quinque ac viginti triremibus in Cretam navigarent, eaque in inſula triremes armari, ſuas, ſi qua indiguiſſent, refici curarent, decretum. Venerius vero, ad Cephaleniam ac Zacynthum inſulanorum peditatu atque equitatu dimiſſo, Corcyram ſe cum claſſe contulit. Is Leucadicæ expeditionis exitus fuit.

Venerius: Leucadis oppugnatione deſerta, Corcyram revertitur.

Selymi ob amiſſam claſſem conſternatio.

De iis, quæ ad Echinadas geſta fuerant, deque fœderatorum victoria, ac Turcarum clade nuntiis Byzantium allatis, vix dici poteſt, quantus cunctos mœror ac conſternatio invaſerit: omnes trepidare, inſueto timore corripi, privatos luctus publica jactura cumulare. Selymus tunc Adrianopoli morabatur; qui claſſem devictam, diſſipatum militiæ florem, ingentem ſuorum cædem factam audiens, attonitus, ac fere mentis inops, non loco conſiſtere; non inflictum vulnus pati; in omnes partes animum nunc ira, nunc mœrore commotum verſare; quippe qui majorum ſuorum triumphis aſſuetus, atque felici gentis fortuna elatus, dum ſubacta Cypro exultaret, nunquam ſibi in animum induxerat, fieri poſſe, ut medio victoriæ curſu deſtitutus ingentem adeo caſum ſubiret, quo momento maritimis viribus, præpotentique claſſe, quæ mari imperitatura videbatur, exueretur. Itaque ſtatim Byzantium convolat, omnia pavore ac deſperatione permixta offendit: quid eo rerum ſtatu agendum ſit, conſulit: ad maritimos præfectos literas dat; oppidorum cuſtodiæ ſedulo operam navent: Uluzzalium e prælio cum paucis triremibus revertentem opperitur: nuntium improſperi eventus ſui regni præfectis ſignificat; finitimis quoque Principibus literas adjicit, quibus, ut mos gentis eſt, acceptam cladem imminuit, nonnullas tantum ex ſuis triremes ab hoſtibus captas, atque profligatas eſſe affirmat. Dein ad nuovam claſſem comparandam animum convertit: vetera navigia ſarciri, alia exædificari, cædi ligna, comportari materiam jubet; ut ni æquo marte cum hoſte dimicare, ſaltem immenſi prope imperii vires oſtentare in ſequentem annum queat. Uluzzalio maritimum imperium committitur: in eo Ottomanorum Regum ſalutem, ac dignitatem ſitam eſſe perhonorificis ſignificationibus Selymus teſtatur. In ea incredibili omnium rerum conſternatione cum ſummopere verentur, ne victoria ſublati fœderatorum animi, nullo obſiſtente, Byzantium, imperii caput, iter intenderent, iis præſertim, quæ undique variis rumoribus afferebantur, perculſi, intentiore cura caſtella ad Helleſpontum ſita cuſtodiri, tormenta expediri imperant; equitatum e Peloponneſo, atque finitimis regionibus evocant. Hæc Byzantii gerebantur.

Selymus ad claſſem novam com. parandam incumbit.

Uluzzalio claſſis imp. à Selymo committitur.

Senatus autem non tam ob victoriam lætus, quam rerum in poſterum gerendarum ſolicitus, dies noctesque de obterendo hoſte, de amiſſis recuperandis, de Epiroticis, Peloponneſiis, ac Græcis ad deditionem cogitandis, de fœderis viribus augendis, de reliquis chriſtianis Principibus eodem ſocietatis nexu vinciendis conſilia agitabat. Quis enim crederet, præclara ejuſmodi oblata occaſione, veteno diſcuſſo, cunctos Europæ Principes non inſurrecturos, ut hoſtem, Chriſtianorum ſpoliis ditatum, edito faſtigio, ex quo reliquos Reges ac Principes intolerando faſtu atque ſuperbia deſpiceret, de-

Venetorum poſt victoriam conſilia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 deturbarent? jugumque acerbi dominatus, quo tot provinciæ, ac regna chriſtianæ reipublicæ non tam vera virtute, quam Principum diſſidiis premebantur, perfringerent? Sed nulla vis efficax adeo fuit, quæ, metu, ſuſpicionibus, ac ſimultatibus ex Regum pectoribus depulſis, eos in commune bonum accenderet. Maximilianus Cæſar neque Senatus adhortationibus, neque Pii precibus, neque Philippi auctoritate, qui Petrum Faſſardium ad illum legaverat, de priſtina animi ambiguitate, vel magnis propoſitis præmiis, vel finitimi hoſtis recentibus ac vetuſtis injuriis depellebatur. Nunc argenti vim in ſtipendia militum erogandam petere, ejuſque prædes in Germaniæ aliqua civitate poſtulare: nunc, arctioribus legibus ut fœdus adſtringeretur, flagitare: at revera ab ſancienda ſocietate averſus eodem tempore annuam penſionem Byzantium perferri curabat. Carolus Galliarum Rex, etſi inſita priſcorum Regum pietate, magno impetu ad præclaram virtutis laudem rapi videretur, acceptoque a Reipublicæ legato victoriæ nuntio, magna lætitiæ ſignificatione edita, publicas ſupplicationes indixiſſet; tamen, ni prius regnum diſſenſionibus civilibus turbatum confirmaſſet, ac de iis, quæ animo Maximilianus agitaret, certior fieret, in fœdus deſcendere non poſſe, reſpondit. Cæſare in Turcas ciente bellum, terreſtres copias exhibiturum, Aurelianum fratrem ducem daturum: ac ſane cur Hiſpanicis Gallicas vires Carolus adjungere nollet, multa a ſuis (uti orator Patribus ſignificabat) adducebantur; idque inter cetera, illius majeſtate indignum eſſe, ut qui minus maritimis polleret viribus, parva triremium manu in bellum collata, Philippo, quo cum ſemper, potiorem ſibi vendicans locum, nobili æmulatione decertaverat, inferior haberetur; cujus potentiam, ac nomen augeri (ut ſunt prona in invidiam Regum ingenia) vel rerum ſuarum periculo, vel alieni fulgoris incremento, æquo animo non ferret.

Maximilianus Cæſar averſus a fœdere amplectendo.

Caroli Galliæ Regis ad Venetii legatum de fœdere reſponſum.

Eodem ferme tempore Antonius Theupolus, quem Senatus ad Portugalliæ Regem legaverat, Ulliſſiponem pervenerat; Alexandrino Cardinali Sebaſtianus fœderi ſe opem laturum, antea ſumma adſeveratione affirmaverat. Quocirca potius confirmandum illius animum, quam ſuadendum ratus,

tus, ingentes de iis, quæ legato pollicitus fuerat, deque propenſo in fœdus animo gratias egit. At ille, inſignem ad Echinadas victoriam gratulatus, magno cum reliquis Principibus in communem hoſtem dexteras jungendi deſiderio flagrare, regni ſui opes offerre, ſe ipſum quoque in partem gloriæ venire cupere, inquit; idque alacrius Reipublicæ cauſa, majorum ſuorum exemplis hærentem facturum, quos arcta neceſſitudine ſemper Venetis junctos fuiſſe intelligeret. Unum tantum remorari, quod Gallorum perduellium impetum in Braſiliam vereretur. His auditis, Theupolus, *Si te*, inquit, *Rex, veræ gloriæ cupido, religioniſque tuendæ, & augendæ ardor incendit, an in remotis atque horridis Indiæ locis ludicra certamina, atque anguſta decora cum eximio hoc chriſtianorum Principum fœdere, quo cum acerrimo hoſte dimicatio eſt, conferenda cenſes? cum præſertim poſt inſignem victoriam, everſaſque fere maritimas illius vires, potius ad certam prædam, quam in dubia martis diſcrimina eundum ſit? Quin igitur præclarum iſtum animi impetum in eas regiones, atque in eum hoſtem effundis, quo victo vel depreſſo, major gloria manet, rebuſque tuis haud parva acceſſio fieri poteſt?* Inde, ut cum iis navibus, quas ſtatuto Indiæ itineri deſtinaverat, legatum ad Sophum Perſarum Regem mittat, petit; qui de præſenti ſtatu, deque rebus nuper feliciter geſtis monitum, ad bellum cum Selymo gerendum inflammet, ac lectorumque ſcloppettariorum auxilia polliceatur, ut ipſe quoque ex Indiæ finitimis oris in ejus ditiones, certa victoriæ ſpe ſubnixus, impetum faciat, hortetur; multis enim vero partibus petitum hoſtem oneri haud parem futurum. Denique ſi chriſtianæ reipublicæ decus atque incolumitas Sebaſtiano cordi ſit, caveat, e Sinarum regione per Perſicum ſinum, ad arma, & tormenta in noſtram perniciem conflanda, æs, ferrumque in turcicas regiones ne importentur. His inflammare juvenem Regem, cujus animus ad deos ac pietatem mirifice rapiebatur, adnixus Theupolus, vehementer commovit.

Antonii Theupoli ad Luſitaniæ Regem oratio.

Itaque Sebaſtianus in hanc ferme ſententiam Venetis reſpondit. A Reipublicæ oratore de iniundo fœdere Senatus accepiſſe literas; lubenti animo in ſocietatem nomina daturum,

Sebaſtiani Regis reſponſum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1571 turum, & Pii legato reſpondiſſe antea, & idem Theupolo confirmaſſe; idque non modo Pontificis Maximi, verum etiam Reipublicæ cauſa, veterique majorum ſuorum cum Venetis amicitiæ jure facturum: in eadem ſecum neceſſitudine perſeverare, cum ſuperiorum Regum exemplo cupere, tum ob egregiam hoc bello ingenti cum laude meritorumque acceſſione navatam a Republica operam, qua inſignis adeo, atque in omnem poſteritatem celebranda a fœderatis victoria parta eſſet. Ea omnia a Theupolo oratore plenius acceptum iri. Ad Perſarum Regem in Selymum commovendum, ſtatim oratorem in Perſidem mittere decreviſſe, qui adjutores in id bellum Proregem, atque præfectos Luſitanos polliceretur. Hæc ſumma literarum erat. Edicto quin etiam pronunciato, ne Turcæ negotiatores in Ormutium & Balſaram admitterentur, vetuit. Diſcedentem Theupolum, proprio donatum ac præcinctum enſe, equitatus inſignibus decoravit. Legatum deinde ad Perſarum Regem miſit, cui Philippus quoque literas, quibus ad bellum Tamaſum impellebat, tradidit. Pius quin etiam quaternas in Luſitaniam epiſtolas, ut toto orbe Reges ad debellandos Turcas concitaret, perferendas curaverat; Æthiopum Imperatorem, vulgo *Presbyterum Ioannem* vocatum; Regem Perſarum; Felicis Arabiæ, ejus quæ Aegypto & Syriæ propinqua eſt, Regulos, quos de parta edoctos victoria, ad arma in Selymum capeſſenda hortabatur. At Perſarum Rex nullis neque officiis, neque legationibus ad bellum traduci potuit. Quid vero apud alios Reges, tanto terrarum ac marium intervallo diſſitos, momenti literæ habuerint, incompertum eſt. Luſitanus certe, prævalida triremium manu adornata, fœderi haud exiguam opem laturus erat, ni perduellium Rupellenſium maritimis excurſionibus, quibus omnem ſubjectam oceani oram præda ac captivitatibus fœdabant, averſus, alio conſilia & cogitationes conferre coactus fuiſſet. Verum quæ in finibus Sarmatiæ acciderant, Regem in Selymum impulſura maxime videbantur, cum Mœſiæ ſuperioris Principem, Sarmatarum favore adjutum ægre ferentes Turcæ, improviſo in Pruſſiam, Podoliam, ac Ruſſiam irrupiſſent, graviſſimiſque cladibus eas gentes afflixiſſent. Sed importunus Sigiſmundi Re-

Sebaſtianus Rex legatum ad Perſas mittit.

Pii Pontificis literæ ad Principes contra Turcas concitandos.

Rupellenſes excurſionib. Luſitanum a ſubſidiis mittendis avertunt.

Regis obitus cuncta diſcuſſit, proceribus regni in pacem vergentibus, atque cum Turcis conſilio potius, quam armis experiundum exiſtimantibus. Ex his cum evaneſcere reliquorum Principum ſubſidia ſatis conſtaret, cuncta in eo vertebantur, ut, aucto ſociorum Principum conatu, majore impetu, appetente vere hoſtis invaderetur: in hoc ſummum Venetorum ſtudium, nec minor Pii ſolicitudo. 1571

M. D. LXXII.

1572 CUmque ſub id tempus complura tum de iis, quæ anno elapſo acta, tum de iis, quæ in ſequentem agenda erant, ſtatuenda forent, ob idque a Philippo Aloyſius Requeſenius ſumma cum auctoritate Romam miſſus eſſet; alterum oratorem Paulum Theupolum equitem Joanni Superantio Senatus adjecit; qui una de ſubducendis in bello adminiſtrando expenſarum rationibus agerent; regendæ claſſis leges fœdere præſcriptæ ut ſervarentur, imperatoribus in ſuæ cuique claſſis milites animadvertendi jus eſſet, perficerent. Curarent quin etiam, ne Auſtriaco triremes ac tormenta decumandi alia, quam quæ Philippo obtigerant, facultas tribueretur: Venetis triremibus captis depreſſiſque primum detractis, pro ſumptus deinde portione partitio fieret; inſigniores captivi Romam perducerentur: ſtatuta demum mercede, exportari frumenta in maritimarum arcium atque oppidorum ſubſidia Venetis liceret.

Aloyſius Requeſenius a Philippo Rege Romæ miſſus.

Paulus Theupolus collega Joanni Superantio datus.

Eodem tempore Leonardum Contarenum equitem ad Joannem Auſtriacum, qui tunc Meſſanæ erat, Senatus legavit, cum officii cauſa, ut Petri Zappatæ legationi reſponderet, tum ut apparatus urgeret, atque in id enixiſſime incumberet, ut, aperiente ſe anno, cum claſſe in orientem iter dirigeret: ſi qua in Auſtriaco adhuc non omnino cum Veterio reconciliati animi veſtigia apparerent, ea prorſus tollere, ac delere niteretur; ut pari animorum conſenſu, viribusque conjunctione chriſtianam rempublicam capeſſere, bellumque fortiter adminiſtrare poſſent. Contarenus Meſſanam profectus, legationis munus exequitur: ide miſſo ad Senatum Zappata, Auſtriaco gratias agit: orat, obteſtatur, ne oblatam

Leonardi Contareni ad Joannē Auſtriacū legati officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 tam contundendi hoſtis opportunitatem cunctatione labi ſinat : imminere tempus , quo fœderatæ claſſes conveniant : magna hucuſque geſſiſſe ; in cœptis inſtet ; ni afflantis fortunæ aura utatur, præclaros ingentium rerum orſus concidere, partam laudem obſcurari , atque corrumpi : impetum itaque iſtum animi ad gloriam augeat ; quod plerique incaſſum Reges concupiverant, immaniſſimi orientis tyranni, ejus auſpiciis , potentia vel infringatur , vel minuatur. Tum ad ea, quæ inter ipſum ac Venerium acciderant, ſermonem flectens, nihil Senatum Venetum unquam avidius , quam de eorum concilatis animis nuntium excepiſſe , inquit : rogare , ut ſi quid ob eam rem amarius illius pectori inſederit , id Senatui , id chriſtianæ reipublicæ condonatum velit . Auſtriacus cum ad reliqua pro Reipublicæ dignitate, ſeque nihil, quod ad inſtruendam claſſem attineret , ut conſtituto tempore itineri ſe committeret, prætermiſſurum polliceretur, reſpondiſſet ; tum de Venerio, inquit, imperatore, id pro certo ſibi Senatus ſuaderet, omnem prorſus præteritarum rerum memoriam oblivioni ſe mandaſſe ; optime noſſe , non malo animo Venerium eſſe : ceterum , ut in poſterum proſpiciatur , monere ; rem immenſi prope ponderis ac momenti eſſe ; vereri acre hominis ingenium , ac , ne illo imperante , res in eadem , ac fortaſſe graviora incommoda relaberentur , timere . Hæc remiſſius ab Auſtriaco dicta . Verum , iis , quæ ea in re Romæ a legatis Venetis agitabantur , cognitis , vehementer commotus , iraſci , fremere , potius onus ſibi delatum abjecturum , miſcerique omnia permiſſurum , quam vel minimum de ſuo jure ac dignitate decederet.

Joannis Auſtriaci reſponſum.

Joannes Auſtriacus parum in Venerium propenſus.

Hæc cum ad Senatum perferrentur, nemo ex Patribus erat, qui non temporum conditionem , atque undique aſſurgentia impedimenta conquereretur. *Hiſpanos tantos ſibi ſpiritus ſumere, ut eorum arbitrio magiſtratuum delectum petere non erubeſcerent ? Cur civem , in quo plurimum conſilii ac roboris expertus fuiſſet, cujus immortalia in patriam merita extarent, invito Senatu, magiſtratu abdicare juberent ? Nullam aliam in Venerium infenſi Hiſpanorum animi cauſam eſſe, niſi quod acerrimus patriæ majeſtatis vindex extitiſſet : quo exemplo, qua*

qua lege egregie navatam operam , vitam telis hoſtium objectam ita rependeret ? Hæc plerique non modo taciti volutabant, ſed publicis etiam ſermonibus ſerebant. Cum is rerum ſtatus eſſet, ut animorum affectus prudentia tegendi forent, nihilque acerbius , aut luctuoſius accidere poſſet , quam ſi quo tempore in commune bonum deſudandum erat , diſſidiis afflicta chriſtiana reſpublica collaberetur ; comprimendam moleſtiam Patres rati , id conſilium iniere , quod & grave bellum requireret , & alias quoque factum memorabatur ; nempe ut alter claſſis imperator Venerio adjungeretur, qui , præſenti depreſſo vexillo, obtemperaret . Jacobo Fuſcareno, qui tunc Illyricam legationem adminiſtrabat , cum Senatus prærogativa , majoribus comitiis ea dignitas eſt delata . Is cum adoleſcens multas regiones peragraſſet , a privatis curis ad rempublicam traductus , magna ingenii , virtutis , ac prudentiæ argumenta dederat ; variiſque cum domi tum foris magiſtratibus geſtis, Joanni Legio in Illyrici legatione ſuffectus, Jaderam firmiſſimis propugnaculis communiverat, pleraque illius oræ oppida firmaverat , omnemque regionem egregie tutatus , inſoleſcentes finitimorum hoſtium ſpiritus repreſſerat, atque ab effuſa prædandi libidine, ac licentia coercuerat. Aloyſius Grimanus, ſucceſſor in Illyrico Fuſcareno datus , ſtatim Jaderam cum prætoria trireme delatus , eidem imperatoria inſignia detulit . Quæ cum de more , ſacris pie ſancteque peractis , ſolemni ritu ſuſcepiſſet , Senatu jubente , cum novem triremibus kalen. aprilis Jadera ſolvens , Corcyram perrexit ; a Venerio accepta claſſe, magiſtratum iniit.

1572

Jacobus Fuſcarenus claſſis imperator eligitur.

Aloyſius Grimanus, in Illyrico legatus, Jaderam Fuſcareno imperatoria inſignia defert.

Romam interea Theupolus legatus pervenerat. Pio Senatus mandata expoſuerat. Varia inter fœderatos de ſocietatis legibus ſervandis, de claſſis imperatorum auctoritate, decumis, commeatibus, bello adminiſtrando, Cæſare in fœdus illiciendo agitabantur. At Veneti oratores in id præcipue nitebantur, ne hoſti ſpatium aſſurgendi viresque inſtaurandi cunctando præberetur ? Ob eam rem ut quam primum claſſes in orientem convenirent, atque inde de hoſte invadendo conſilia caperentur , ex icti fœderis formula flagitabant : Cæſari, bellum in Pannoniæ finibus

Fœderatorum diſceptationes Romæ habitæ.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 bus Selymo inferenti, quindecim peditum, duo equitum millia exhibenda cenſebant. Aloyſij vero Requeſenii majoris Commendatoris ea erat ſententia, ut triginta peditum millia abſque equite in expeditiones conferrentur; claſſis ad ducentas ac quinquaginta triremes augeretur; in iis peditatus imponeretur; quod naves gravitate ac tarditate in rebus obeundis impedimento futuras diceret. De jungendarum virium tempore adſentiebatur. Verum tamen ad Meſſanam claſſes cogi ſuadebat, idque tum ad Auſtriaci exiſtimationem augendam, tum quod commeatuum copia Meſſanam Corcyra magis opportunam affirmaret. Ad ea Reipublicæ oratores: ſi quid ex fœderatorum viribus Cæſari arma in Turcas inferenti impertiatur, reliquis utendum; ni Cæſar moveat, cunctarum virium robur, pro temporum locorumque opportunitate adhibendum arbitrari. De triremium numero augendo quæ dicantur, minime improbare, modo navigia, quæ maritimo bello maxime neceſſaria ſunt, non prætermittantur. Enimvero, ut claſſes Corcyram conveniant, omnino ſibi videri, ne, quæ penitius in Turcicas ditiones inferenda arma ſint, ea abduci, atque referri videantur; inanique ac exitiali mora noſtris torpor obrepat, in hoſte fiducia excitetur, fractique ſpiritus colligendi facultas detur; ne demum Græciæ populorum in novas res arrecta ſtudia, atque animi ſeneſcant, & concidant. At regii pertinacius ſententiæ inhærere, non rationi, non ſuaſionibus flecti: nec diſſimulanter cauſam tegere; de Numidia invadenda conſilia aperte ſe agitare; eam quoque expeditionem fœdere contineri; Meſſanam, ſi Roma, ubi ſocietas inita fuerat, reſpiceretur, in oriente eſſe.

Fœderatorum de bello adminiſtrando, & controverſiis tollendis decretum.

Cum diſceptando, atque altercando res traheretur, tandem in hæc ſcripto deventum eſt. Ut eo anno M.D.LXXII. ex claſſis imperatorum decreto bellum in oriente adminiſtraretur. Pontificiæ triremes Meſſanam menſe martio cum Hiſpanis convenirent; mox una Corcyram peterent. Triremium numerus, præter novem galeatias, ſi fieri poſſet, ducentas & quinquaginta expleret; harum Pontificis duodecim eſſent; Philippus centum ad minus cum quatuor ac viginti navibus haberet: Veneti reliquum ad ducentas

tas ac quinquaginta, ſexdecim adjectis navibus, exhibe- 1572
rent. Earum impenſas dimidium Rex ex lege fœderis præberet. Decem atque octo peditum millia, trecentos equites idem; Veneti duodecim peditum millia, ducentos equites conferrent, præter eos, quos Pontifex daret. Petebant ſane Pius, ac Veneti, ut quinquaginta peditum millia conficerentur: at Hiſpani tot copias, neque triremibus excipi, neque navibus claſſis curſum non æquantibus, imponi poſſe ajebant. Si quis ſociorum majorem peditum, quam præſtare teneretur, numerum haberet, a die, quo militiæ adſcripti eſſent, in commune ſumptus perſolverentur. Recenſitis copiis, in claſſe menſtruis ſtipendiis mererent: eorum decem millia menſe junio ad Hydrunti promontorium ob reficiendam claſſem in promptu forent. Apparatus quoque bellicus: ſclopporum triginta millia, ſariſſarum quindecim millia, haſtarum duo millia, gladiorum triginta millia; ad hæc loricæ, equorum ſtramenta, muralia tormenta, pilæ, ligones, ſcalpri, dolabræ, ceteraque id generis inſtrumenta in claſſe congererentur: commeatuum vis in Creta, ac Corcyra conſervaretur, quorum Philippus tres, duas Veneti partes conferrent. Hæc ſumma capita erant. Inde utrinque de expenſarum rationibus actum, pecuniæ erogatæ, libelli propoſiti.

De iis, quæ ad imperatorium jus pertinebant, ut omnis diſſenſionum ſeges amputaretur, valde Pius ſolicitus, quid Columna ſentiat, exquirit. Is, cum prius ea de re cum Reipublicæ oratoribus tranſegiſſet, neque a Senatus ſententia diſcedendum arbitraretur, Venetorum rationes probare ſe; quæ poſtulent, æqua ſibi videri, inquit; id unum adjicere, ut, negotiis primum inter imperatores diſcuſſis re deliberata, edicta Auſtriaci nomine, ne illi inanis hæc oſtentatio adimeretur, pronuncientur; ac ne nova addi pacta viderentur, Auſtriaco, quæ neceſſaria duceret, Pontifex per literas ſignificaret. Rem tranſigi Veneti per literas non repugnabant. Sed regii, ſi quid agendum cum Auſtriaco eſſet, id per oratorem a Pio mittendum, fiducialibus datis literis differebant. Multæ quoque de inſumptis pecuniis controverſiæ ſuboriebantur: Venetis petentibus, ut ab eo tempore, quo Reipublicæ claſſis

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 in promptu fuerat, impenſi ratio iniretur; Hiſpanis contra, ut qua die claſſes convenerant, initium ratiocinandi fieret: illis, ut captæ ab hoſte triremes reſtituerentur, depreſſæ ex univerſa ſumma ſubducerentur; his contra ſumptus Venetis ſarciri abnuentibus: illis, ut militibus, quibus extra ordinem maritima oppida aucta fuerant (uti Venetis Pius per literas pollicitus fuerat) ſtipendia regia pro dimidio perſolvi flagitantibus; his adverſantibus, neque Philippum pollicitis obnoxium eſſe contedentibus.

Pii V. Pontificis obitus, & elogium.

In ea graviſſimarum rerum agitatione Pius curis atque periculoſo diſſuriæ morbo, quo ſæpius conflictari ſolebat, ut vigore tantum animi intermorientia prope membra ſuſtentaret, confectus ac victus, ex humanis exceſſit, quo tempore maxime illius virtute atque animi conſtantia chriſtiana reſpublica indigere videbatur. Fuerunt ſane in eo viro multa præclara atque egregia; pietas, religio, incredibile in republica chriſtiana augenda ejuſque opprimendis hoſtibus ſtudium atque ardor, a quo nullis humanis affectibus, non rerum difficultate, non periculis deterrebatur: neque illum privatæ cognatorum, ac domeſticorum rationes (ut ſæpe in ſummo dignitatis gradu conſtitutis accidit) a publico unquam officio deduxerunt; moderatus, vel potius parcus in ſuos; in publicis rebus omni liberalitatis genere effuſus, quibus artibus eam ſibi apud Principes virtutis, ac ſanctitatis opinionem concitaverat, ut in primis illius auctoritate fœdus inniti videretur. Is, licet incredibili Dei Optimi Maximi benignitate, chriſtianos Principes de communi atque acerrimo hoſte victoriam ſupra vota nactos mirifice gaviſus, immortali ob id gratiarum actione venerabundus eximiam in Deum pietatem teſtatus eſſet; attamen jam tum mente præſagiebat, conſopitos Principum ſpiritus tam præclaram oblatam reipublicæ chriſtianæ incrementi ac felicitatis occaſionem non agnituros, privataſque rationes publicis commodis, uti ſæpe fit, antelaturos: id & ſecum ipſe conquerebatur, & quotidianis ſermonibus ſæpius chriſtianæ reipublicæ vulneribus illachrymans uſurpabat. Attamen, quod in ſe erat, a Senatus conſiliis minime alienus, tabidis licet atque afflictis membris, apparatus urgebat, ad exeundum in hoſtem incitabat: Auſtriacum monebat; *Moras omnes*

omnes tolleret, Meſſana proficiſceretur: ejus adventum ſocios præſtolari: ne Turcas ſpiritus ſumere permitteret; ſubjectos Selymo populos in novarum rerum ſpem erectos, cuncta ad ſtrenue bellum gerendum invitare. Cumque ſe jam letho propinquum animadverteret, ſacris expiatus, cæleſti munitus pane, Alexandrinum purpuratum nepotem vocavit; præcepit, ut ſibi vita functo ſtatim ſucceſſorem deligendum curaret, qui religione in Deum, in chriſtianam rempublicam pietate, pontificiæ dignitatis oneri ſuſtinendo ſufficeret, eo præſertim tempore, quo graviſſimis fluctibus res chriſtiana jactaretur, atque eo Pontifice opus, eſſet, qui fœderatorum animos conglutinaret, qui reliquos Principes ad ſubſidium communibus rebus afferendum incenderet, qui denique ingentis victoriæ fructum turpi cunctatione atque ignavo otio intercipi non ſineret. 1572

Senatus literæ ad Cardinalium collegium.

De Pii obitu certiores facti mœſti Patres, ceteris incommodis inopportunam Pontificis optimi atque egregii mortem acceſſiſſe, literas ad collegium Cardinalium mittunt. Intimis ſenſibus jacturam publicam condolent; hortantur, ut quamprimum in ampliſſimo dignitatis gradu eum conſtituant, qui turbulentis ac difficillimis temporibus clavum chriſtianæ reipublicæ tenere virtute ac conſtantia poſſit. Novemdialibus Pii exequiis de more habitis, eadem qua Patres die convenere, Ugonem Boncompagnum Bononienſem Summum Pontificem renunciavere, qui Gregorii XIII. nomen ſuſcepit: ad quem de more, qui dignitatem ſupremam gratularentur, quaterni Senatores legati deſignati ſunt, Nicolaus Pontius eques atque procurator, Paulus Theupolus eques, Vincentius Maurocenus, & Andreas Baduarius. Erat Gregorius honeſto loco ortus non illuſtri familia ortus, juriſque prudentiæ ſtudio ſibi aditum ad purpuratorum collegium muniverat: ſevero atque acri admodum ingenio, magnis negotiis tractandis minime aſſuetus, at qui optimæ menti propenſum quoque ad res bene gerendas ſtudium adjungeret. Is ſtatim, inito pontificatu, Joannem Odeſcalcum ad Auſtriacum nuntium cum literis miſit, qui delatam ſibi dignitatem ſignificaret, illius Meſſanæ profectionem urgeret, atque, ut ſumma auctoritate moderate uteretur, ſuaderet. Interea Fuſcarenus auſpicatus (ut diximus) Corcyræ magiſtratum, Venerio in ſinum Adriaticum profecto, omnes cogita-

Gregorii XIII. Pont. electio. Veneti legati ad Gregorium Pontificem.

Joannes Odeſcalcus a Pontifice ad Joannē Auſtriacū mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 tiones & curas ad bellum recte atque ex publica dignitate administrandum contulerat : quæ ad bellum spectarent, dies noctesque meditari ; quassatas triremes reficere ; novis copiis ex Brundusio, finitimisque locis accitis, instruere ; milites perlustrare ; munera distribuere; commeatus cogere ; arma, tela, nitratum pulverem intensiori cura providere ; præsens locis singulis adesse ; cunctorum animos spe rerum feliciter gerendarum, ad preclaram virtutis contentionem erigere, laudisque certamen incitare.

Selymus complures triremes Byzantio emittit.

A Selymo vero quidquam diligentiæ, aut studii pro reparanda classe non omittebatur : in construendarum triremium usum alia navigia, solutis compagibus vertere, armamenta undequaque conquirere, ex omnibus sui regni ditionibus maritimarum rerum peritos adcersere ; ut tandem tertio kal. aprilis triremes triginta emitteret, quibus & populorum animi confirmarentur, & Christianorum rerum novarum cupidi, atque in defectionem proclinati spiritus comprimerentur. Ex iis octo sub Arabamate in Numidiam proficiscuntur. Tum quindecim aliæ, mox viginti quinque eductæ ; ac aprili exeunte, octoginta in ponti Euxini litoribus raptim ex recens excisis arboribus extructæ superveniunt. Mox Caragialis cum tribus ac triginta, totidemque myoparonibus accessit ; qui circiter idus maji usque ad Tenum progressus, incendiis, direptionibus, ac captivitatibus insulam deformavit. Pridie idus junii Uluzzalius, classis imperator, cum decem ac centum triremibus, maonis tribus Hellesponto egreditur ; remigum, atque aliarum rerum inopia aliis quinque ac viginti subsequi nequeuntibus ; ut in universum ducentorum navigiorum classis summam excederet; quæ etsi cunctis in speciem tantum adornatis, neque triremium firmitate, neque remigum virtute, neque nautarum peritia præstaret ; tamen, quod fœderatorum vires nondum convenerant, libero mari, quacumque se inferre vellet, nullo obsistente, provecta, Ottomanorum Regum inexhausti pene roboris specimen præbere videbatur. Quocirca prædas mari terraque agere, in Christianorum oppida & regiones debacchari, summo studio præterita clade amissam virtutis maritimæque disciplinæ opinionem sarcire adnitebatur : cum fœderati interea, veluti torpore quodam defixi, nihil, quod rebus superioribus anno feliciter gestis responderet, molirentur ; ac ne elato quidem

Tenus a Turcis direpta.

Uluzzalius cum ducentis navigiis Hellespontо egreditur.

ac

ac prædabundo hosti sese objicerent. Neque enim Fuscarenus 1572
Corcyræ commoratus, quidquam tentandum absque sociis existimabat, ne spes de renovata Turcarum classe profligandæ ac delendæ concideret ; neque Austriacus vel Senatus precibus, Leonardique Contareni legati suasionibus ad profectionem in orientem adduci poterat ; qui, licet mira dissimulatione ita se paratum ad iter habendum, ut absque Columna, Neapolitanis, Hispanisque triremibus, cum expeditam Venetam classem cognosceret, Messana soluturum Fuscareno scriberet ; revera tamen moræ excusationes nectendo, nec ipse aggrediebatur, nec adventum illius præstolantibus quidquam moliri permittebat. Ita anni tempus rebus gerendis opportunum per summum otium transigebatur, plerisque Hispanorum cunctationem incessentibus, quod adversus fœderis leges, martio mense non modo classes conjunctæ non fuissent, sed prope adulta æstate, nihil tot apparatibus, nihil spe in animis mortalium concepta dignum conficeretur ; aliis non fortuito, sed consulto, ob exortas belli inter Carolum, ac Philippum in Belgio suspiciones, Messanæ Austriacum detineri affirmantibus.

Veneti Hispanorum cunctationibus distenti.

At Veneti, dum fœderatorum res ancipiti consiliorum ratione distinerentur, in belli apparatus, in augendis copiis assidui, ad Fossam Clodiam viginti quinque passuum ab urbe millibus peditatum cogi student. Eo præfecti complures cum cohortibus conveniunt ; inter quos Sarra Martinengius, acceptis quinque peditum millibus, Neocastrum ad Rhizonicum sinum se certa potiundi spe oppugnaturum, Decemviris pollicetur : annuentibus in Illyricum pergens, ad Pharum insulam Venerium, classis imperatorem, Corcyræ digressum obvium habuit, qui, Decemvirum consilio cognito, statim obverti in sinus Rhizonici fauces proras jubet. In itinere Zachariam Salomonium, Ascrivii legatum, offendit. Undecimo kal. junii in sinum illati, haud longe a Neocastro jactis anchoris, ad locum, quem *Cathenas* vocant, subsistunt. Primis tenebris Venerius, una cum Sarra peditumque manu exscensione facta, qua parte expediti tormenta ac milites tuto possint, explorant. Reversis, vento vehementiori coorto, triremis Castracani præfecti militibus onusta in litus impellitur.

Sarra Martinengius ad Neocastri oppugnationem missus.

litur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 litur. Repente hoſtes, ſcloppettariorum manu jugum collis inſidentes, noſtros, qui in triremi erant, cedunt : ii, ne miſere inulti concidant, in terram deſiliunt, manus ſtrenue cum Turcis conſeruñt : reliquæ triremes certamen conſpicatæ, ut ſuis jam in oppidum hoſtes impellentibus præſto ſint, accurrunt. At veritus Sarra, ne ab ingruentibus oppidanis circumvenirentur, Syllam fratrem, atque Latinum Urſinum, Petiliani Comitem, qui a certamine revocent, mittit. Inſtante in tergum hoſte, ægre licet, in colle conglobantur, imperatoriamque triremem, quæ navigium arena fere obrutum abſtraxerat, a litore ſe ſubducentem intuiti, tutum receptui locum non fore rati, conſternati ac trepidi, cum neque Syllæ, neque Latini auctoritate ſub ſignis contineri poſſent, alii alio dilapſi, plerique ad litus, ut nando ſaluti conſulerent, profecti, licet præter ſpem, ſcaphas ac lembos a Venerio relictos inveniſſent, ſuperveniente hoſte, omnes fere contruci-
Veneti ad Neocaſtrum interfecti. dantur; pauci, qui vexilla non deſeruerant, navigiis excepti, incolumes evaſere.

Inde militibus expoſitis, ſtatim majoribus ad oppidum tentandum copiis opus eſſe, neque rei exitum, uti Martinengius jactaverat, ita in proclivi eſſe apparebat, Zacharia Salamonio ſitus, locorumque gnaro omnia uti evenerant, antea conjectante ac divinante fore, ut cunctos fere cœpti pœniteret. Attamen ne temere oppugnatio ſuſcepta videretur, præfectorum ac militum virtuti res tota permittitur. Itaque duabus Gallorum ſcloppettariorum conflatis centuriis, quarum alteram Sylla, alteram Sancta Maria Gallus miles ductabat, ad pontem fluviolo imminentem illati; ille a dextera per anguſtos aditus acclive montis aſcendit; Gallus ordinato agmine ad oppidum pergit : reliquæ copiæ ſubſequuntur. Primam aciem Sarra, mediam Carolus Friſo Bergomas, poſtremam Latinus Urſinus regebant; triremes a litore protegentes, tormentis hoſtes oppido egreſſos verberabant. Sylla, ſemitis inſeſſis, aditum ſubſidiis intercludere nititur. Gallus ab inferiori oppido ſub
Venetorum in oppugnando Neocaſtro cum Turcis prælia. ſcloppi ictum ſubſtitit. At Sarra, ſitu animadverſo, prope mœnia agminibus conſtitutis, oppidanos exitu prohibet. Atqui Sylla magno undique ex circumjectis oris incolarum numero impetitus, cum natura loci fretus, ſuorum paucitate exundanti mul-

multitudini diu obſtitiſſet, tandem, multis vulneratis ac cæ- 1572
ſis, reliquis labore ac vigiliis fere enectis, ſeſe recipere cogitur. Latinus Urſinus cum ſexcentis peditibus, ut hoſti viam ſibi ferro ſternere conanti obſiſtat, ſubmittitur. Interea agger es e regione templi, quod haud longe a mari aſſurgit, extruuntur : complures e noſtris tormentorum e mœnibus excuſſione ſternuntur : hoſtes ex ſuperiori non modo arce egreſſi, verum etiam per inſuetos calles e montibus deſilientes, diſturbare munitiones conantur. Septimo kal. junii ab aurora uſque ad vigeſimam ſecundam diei horam dimicatum : utrinque feſſo milite, receptui canitur; noſtri tamen opportuno ad hoſtes exitu prohibendos loco, domum ſitam occupant, quam Horatius Sorius, Guerra Eugubinus, Julius Florentinus cum peditibus ducentis egregie adverſus ingruentium impetum tutantur. Interim oppido tormentis admotis, atque in mœnia contortis, nullo hoſtes detrimento afficiebantur. Cæſar Penna forte ad claſſem cum militum manu contendens, ad ſinus anguſtias delatus, a Venerio excendere juſſus; Urſini loco in colles, ubi continenter levibus præliis dimicabatur, mittitur. Denuo noſtros e domo expellere conati hoſtes acriter repelluntur. In eo certamine Julius cadit, Guerra confoditur; cumque impares numero noſtri eſſent, eximendos periculo Sarra ratus, deſerere domum præcipit. Tandem, undique ex propinquis montibus deſcendentibus Turcis, diſſipatiſque de adventante eorum equitatu rumoribus, profectio decernitur. Nullo repugnante, triremibus conſcenſis, Cæſare Penna in claſſem miſſo, Venerius in Illyricum ſe contulit. Is Neocaſtri oppugnationis exitus fuit, ex qua haud parum Sarræ Martinengii exiſtimationi ademptum eſt.
Sebaſtianus Venerius Neocaſtri oppugnationem deſerit.

Dum hæc fiunt, Fuſcarenus imperator claſſem jam apprime inſtruxerat, commeatus curaverat, peditum quindecim millia Pauli Urſini opera coegerat, quorum plerique Canalii & Donati damnatorum præfecti triremibus Brundu ſio Corcyram trajecerant. Ceterum variis curis ac molestiis Fuſcarenus torquebatur : hinc Auſtriaci Meſſanæ exitialis cunctatio, illinc de hoſtium in noſtros cladibus triſtes nuntii ſollicitabant. Jam enim Caragialim in Tenum, Cytheramque tranſgreſſum, direptione atque captivitate crudeliſſime ſævientem, Cretæ aliiſ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 aliisque maritimis Venetorum locis extrema quæque minitantem, quam primum Uluzzalio se adjuncturum audiebat. Pedites in suburbii Corcyræ ruinis commorantes, insueto cælo, rerumque victui necessariarum penuria, aliisque incommodis pressos, ægritudine correptos, occumbentes intuebatur; diffundente se morbi vi, triremium, ac duarum & viginti navium nautas, remiges, socios pereuntes; frustra biscoctum panem, atque cibaria insumpta. An hostes impune debacchantes permitteret? tot stipatus viribus subditorum injurias, damna, calamitates spectaret, pateretur? an absque fœderatorum classibus solveret? Caragialim persequeretur, cunctaque de bello administrando consilia perverteret? Per tot curarum moles animum versando angebatur, cui tandem ea potior sententia est, ut Austriaci adventum, ad quem Pontificem nuper Marcum Antonium Columnam misisse perferebatur, expectaret. Hæc agitanti, & statuenti, cum quatuor ac viginti triremibus rostratis voluntariorum quinque, e Creta Superantius legatus supervenit, qui, Quirino ibi cum sex relicto, ut mox totidem armatis subsequeretur, jusserat. Ejus adventu vehementer recreatus Fuscarenus, ut quacumque ratione Austriacum urgeret, Messanam cum triremibus vigintiquinque Superantium contendere jubet. Qui fluctibus, marisque tempestate in itinere jactatus, nonnullis furente vento in Brutios supra Rhegium impulsis triremibus, ex quibus, quæ Antonii Justiniani erat, cum in anchoris consistere non posset, illisa litoribus, viris tamen, tormentisque servatis, naufragium fecit; tandem ad fretum delatus, nonis Junii Messanam pervenit; statimque Marco Antonio Columna, Pegii Comite, atque equitum deductus flore, ab Austriaco perhumaniter excipitur.

Jacobus Superantius Messanam ad Austriacum mittitur.

Antonii Justiniani triremis ad Brutios naufragium.

Jacobi Superantii cum Austriaco officium.

Tum Superantius, *Vel ex eo*, inquit, *in primis, qua apud Venetum Senatum, atque Fuscarenum classis imperatorem existimatione sit, cognoscere se posse, quod ipse honoris causa, ut illum ad iter Corcyram habendum invitaret, missus fuisset. Venetam ibi classem commorari, quæ centum ac quinque triremibus, præter eas, quæ cum Venerio in sinu Adriatico essent, galeatiis sex, duabus ac viginti commeatu, armis, ac belli reliquo apparatu onustis navibus constaret; ad*

ad hæc præter veteranorum peditum quatuor millia, quæ in 1572
Creta erant, quindecim millia Corcyræ extare: tot laboribus immani fere impensa confectam classem, tot copias, tantam commeatuum atque apparatuum vim inani ac turpi cunctatione marcescere; ni ipse quamprimum solvens, suo adventu prolapsas prope spes erigat, atque vitali veluti spiritu cunctorum animos perfundat. Quid enim tot viribus sociatis obstaturum? Celeritate, non consilio opus esse: fractos animis hostes non propria virtute, sed nutantibus Christianorum sententiis assurgere: nullo obsistente, Tenum, Cytheramque diripuisse, Cretæ minitari, Zacyntho quoque & Cephaleniæ non citra Venetorum probrum imminere; qui eo usque constantes in fervando fœdere sint, ut cuncta potius oblivisci, quam quidquam sine illius auspiciis aggredi velint. Eo præsente, eximiæ superiori anno partæ victoriæ, alia quoque decora accessisse. Profectionem itaque maturaret: Pontifici Maximo, Senatui Veneto, universæ reipublicæ christianæ, in maximarum rerum spem erectæ, nihil utilius, nihil optatius illius adventu accidere posse. Erat in Superantio magna dicendi vis, cui augusta oris species, eximia quadam gravitate conjuncta, summum auctoritatis pondus addebat. Itaque Austriacus Superantii dicta confirmat: adjicit: hyemem in farcienda, atque adornanda classe insumptam fuisse; brevi triremes centum, Hispanorum peditum novem, Germanorum octo, Italorum septem millia in promptu fore; eorum partem jam navigia conscendere, seque quamprimum procul dubio profecturum. Inde inter Columnam, ac Superantium de iis, quæ præsenti anno tentanda forent, varia agitata, pergratumque Austriaco futurum Columna ajebat, si ubi Corcyram accesserit, Peloponnesum, Eubœam, Bhodum, Mitylenem, atque arces, quæ in Hellesponti faucibus sitæ sunt, typis expressas ac delineatas Fuscarenus proferret; unde ex peditione consultius decerneretur. Omne Superantii studium in eo erat, ut quam primum Messana discederetur; differebatque, non eam anni rationem esse, ut fœderatæ vires ardua, ac diuturna oppidorum oppugnatione distinerentur, ad summam totius belli respiciendum, renascentia hostium maritimi roboris semina evellenda;

Jeannis Austriaci responsum.

hoc

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 hoc uno omnes præclare gerendarum rerum eventus contineri.

Sed neque Auſtriaci pollicitis, neque Superantii votis res reſpondebant. Ingens in cunctis adminiſtrandis torpor ac fere ſocordia: copiarum in navigia conſcenſum tardari; Hiſpani, atque Itali milites, quibus complura ſtipendia debebantur, ni duo ſaltem tribuerentur, militiam detrectare: pecunia, quæ erogaretur, defecerat: Meſſanæ quatuor tantum & ſexaginta triremes aderant; Germani, qui Genuæ litora inſederant, inopes atque afflicti, nondum adventabant; nec imperatoria ipſa Auſtriaci triremis, qua a Neapolitanis donatus fuerat, adornabatur. Ex his neque præſtituta profectioni dies, neque certi quidquam de diſceſſu divinari poterat; cum interim Joannes Odeſcalchus, a Gregorio Pontifice Maximo legatus, ſupervenit, cui & claſſi fauſta feliciaque, ſacris adhibitis precationibus, ominandi, & cunctorum noxas, de more jubileo indicto, expiandi, atque enixiſſime Auſtriacum ad iter Corcyram habendum adhortandi munus detulerat: literas quoque adjunxerat, quibus quæ ad imperatorium jus ſpectabant, continebantur: ne abſque collegarum conſenſu Auſtriacus edicta ad univerſam claſſem pertinentia pronunciaret: pronunciatis, ſuos ſingulis pœnis coercere facultas: gratiæ, eo diſſentiente, locus non eſſet: qui in aliorum claſſem, & copias juris aliquid haberet, abnuentibus reliquis, præficere non poſſet: ut demum, aliis inſcis, triremes aut navigia cum literis a quoquam non dimitterentur. Eas æquo animo conditiones tuliſſe Auſtriacus viſus eſt, licet quibuſdam veluti cancellis incluſam, atque in arctum ampliſſimam ſuam auctoritatem redactam conquereretur. Sed neque Odeſcalchi miſſione, neque Superantii rationibus Auſtriacus permovebatur, qui cum ſæpius acriter urgeretur, adeo, quæ tegere conabatur, premere non poterat, quin in oculis totiuſque oris aſpectu apparerent atque erumperent. Quamvis enim abditæ intimis animorum receſſibus cogitationes, produnt ſe, atque emicant. Itaque illachrymans, *Optime ſcire ſe*, ait, *celeri profectione, & fœderis opinionem præterita victoria partam, & ſuimet decus ac dignitatem contineri: ſed repugnantem, & invitum detineri; adhuc novas in dies copias ſupervenire; varia,*

varia, ut magnis in rebus adſolet, impedimenta objici; quæ omnia brevi diſcuſſurum pollicebatur. Ex his major in dies ſuſpicio ſuboriebatur; cum præſertim triremem citato itinere Genuam primum, inde in Hiſpaniam contendere juſſiſſet; pleriſque ad efflagitandam pecuniam, quod Germani, qui apud Brutios hybernaverant, ſeditionem feciſſent, veterani debita ſibi ſtipendia poſcerent, opinantibus; aliis, ut de expeditionibus hoc anno obeundis Regis mentem intelligeret, miſſam putantibus. Cum eodem tempore in Provincia, Galliæ regione, ex Hiſpania tabellarium literas Meſſanam perferentem detentum fuiſſe, nuntiatur; inde & Auſtriaci diſceſſum, & fœderatorum conatus, inter Reges ortis ſimultatibus, impediri, haud obſcuris rumoribus diſſipabatur. 1572

Hiſpani de Gallorū rumoribus ſuſpicantur.

Etenim cum anni initio inter Iſabellam Angliæ Reginam, Gallorum perduellium Principes, ac Germaniæ proceres aliquot occulto de ineundo fœdere agitari Philippus monitus fuiſſet, janque in finitimis Hiſpaniæ locis cogi milites intelligeret; veritus, ne a Belgis, qui nuper ad libertatem animos erexerant, clam incitarentur, copias in Belgio atque in extremis regni finibus comparaverat. Mox, fœdere cum Angla in mutuam defenſionem a Carolo percuſſo, vireſque maritimas augente Gallo, in dies in Philippi animo ſuſpicio intendebatur; ex ſuſpicione belli timor, atque militum acceſſiones oriebantur. His permotus Carolus, ut infamiam turbatæ chriſtianorum Principum ſocietatis, atque maximarum rerum abruptæ ſpei a ſe avertat, ex Gallica nobilitate hominem in Hiſpaniam mittit, qui de ſua conſtanti erga eum fide, deque propenſo in rem chriſtianam ſtudio Regem doceat: cum Anglis negotiorum, tutandique maris cauſa ſocietatem iniviſſe: quæ in oceano navigia intruantur, ab iis armari, quos ob præterita diſſidia, uti maxime cupiat, coercere omnino non poſſit. Ut vero, quod verbis pollicebatur, re ipſa præſtaret, edicto cavit, nequis e Gallis armatus Belgium ingrederetur. Ceterum eſt ea dominandi vis inſitaque mortalium animis ob imperii libidinem ſuſpicio ac metus, ut nulla tam ſancta fides, nullum adeo verendum jusjurandum ſit, quod non humana cupiditate, regnique artibus vincatur. Philippus infixam non modo mente dubi-

Carolus Galliæ Rex legatum ad Philippum Regem mittit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 dubitationem non exemit, ſed callidum Gallorum ingenium perhorreſcens, miro artificio edictum, quo a Belgio arcebantur, pronunciatum ſuſpicabatur: Carolum ſpecie vetare, re, quo ſe domeſticis malis levaret, conniventem, aditum permittere. Itaque non minui ob id, verum augeri copias curat. Ea quoque ſuſpicio Italiam pervadit, cum & in ſubalpinis Gallorum præſidia, & in Inſubribus milites augerentur. Memoriæ prodiderunt nonnulli ſcriptores, proceres quidem multos Hiſpanis infenſos, præſertim eos, qui ab avita religione diſceſſerant, quo bellum transferrent in Belgium, nihil non molitos; Carolum tamen de hoc ſerio nunquam cogitaſſe, ſpem tantum aliquam feciſſe, necnon oſtentaſſe, ut conſultandi ſub ſpecie, quos impenſe oderat, cædique deſtinarat, jam pridem in aulam pelliceret. Conjecturam hanc firmant, quæ ſecuta ſunt poſtea. Nam Colinius cum multis aliis in fraudem impulſus, quod crederet accerſitum ſe conſulto a Rege, ut de ratione belli gerendi coram ipſo diſſereret, primo per ſicarium petitus, occultis inſidiis, deinde, poſtquam inſidiæ non proceſſerant, aperta vi oppreſſus, ingentem ſecum ſociorum ſtragem & ruinam traxit; quod quidem ix. kal. ſeptembris, divi Bartholomæi feſta die contigit.

Ludovicus Naſſovius Valentianã & Montiũ occupat.

Dum mutuis hinc atque inde ambiguiſque curis Regum animi verſantur, Ludovicus Comes Naſſovius, Arauſionenſis Principis frater, Belgio exul, Valentianam ac Montium, in Morinis oppida, occupat. Inde haud parum Philippus eſt perturbatus, quod nihil, niſi Caroli impulſu, nedum permiſſu factum arbitraretur. Albanus quoque, in Hiſpaniam, Romam, ac Mediolanum datis literis, cunctorum animos belli ſuſpicionibus a Gallo imminentibus replet. Ea re Galliarum quoque Rex commotus, ac, ne Hiſpana claſſis in Provinciæ litora invaderet, veritus, Maſſiliam, majori militum præſidio impoſito, exactius communit; cum Pontifice, ac Venetis, Philippo etiam ipſo mirum in modum conqueritur: *Falſo bellum ab ſe in Hiſpanos moliri jactatum: ſi qui Naſſovio Galli adhæſiſſent, perduelles, ac nequaquam ſibi obtemperantes eſſe. An ipſe in aliorum ditionibus ſeditiones foveat? populos in Principes commoveat; qui eadem tabe in proprio regno corripiatur? an cuiquam in augenda, atque ornanda repu-*

republica chriſtiana concedat, qui præclaris majorum ſuorum virtute ac ſanguine partis titulis fruatur? 1572 Ex his curæ, ac moleſtiæ Venetorum ingeminabantur; Hiſpanam claſſem adhuc Meſſanæ detineri, non literis, non nuntiis Auſtriacum commoveri; recentis belli inter Reges initia ſuboriri, intra chriſtianæ reipublicæ viſcera virus perniciem, ni cito excinderetur, pariturum: fœdus jam ſolutum ac fractum videri: inſoleſcentes hoſtes, quid in innoxios populos, in maritimas Reipublicæ ditiones crudele ac nefarium non auſuros?

Senatus & Galliarum & Hiſpaniarum Regibus officia

Hoc rerum ſtatu, ne quidquam, quod a prudentia peti auxilii poſſet, relinqueretur, per diſpoſitos equos tabellarii in Galliam atque Hiſpaniam cum literis ad Reipublicæ oratores mittuntur: Reges adeant, ſimultatum ſemina evellant: nihil exitiale magis chriſtianæ reipublicæ accidere poſſe, confirment, quam ſi importuno hoc tempore ſummi Reges invicem digladientur, telaque barbarorum inficienda ſanguine in Chriſtianorum pectora convertant. Quid communi hoſti optabilius? quid, proſtratis maritimis Turcarum viribus, ſarciendis utilius? Si eos religionis, ſi boni publici ratio ac cura tangit, irarum impetus comprimant, ſedent animos, pacem publicam ne turbent, ne a veteri concordia diſcedant. Eodem tempore, Romam ac Viennam miſſis literis, Gregorio ac Maximiliano Senatus ſuadet, exurgens inter Reges incendium, in communem perniciem eruptorum, omni officii genere extinguere conentur. Pontifex Epiſcopos binos Antonium Mariam Salviatum ad Carolum, Nicolaum Ormanetum ad Philippum mittit. Lecti quoque a Senatu legati, Joannes Michaelius, Antonius Theupolus, quorum alter in Galliam, alter in Hiſpaniam proficiſcatur. Interea, de recuperata Valentiana allatis nuntiis, ſuperantius acrius diſceſſum urget. Tunc palam Auſtriaci conſilia emanare: *Aequum eſſe*, ait, *dum cuncta bellum portendunt militaribuſque apparatibus perſtrepunt, Philippum ſuis primum, deinde aliorum commodis conſulere, neque ob id fœderi derogatum arbitrari: proinde niſi nova ex Hiſpania mandata habeat, non abiturum.* Ad ea ſuperantius: *Nihil Hiſpanicis rebus pertimeſcendum ſibi viderí; Valentiana*

Antonius Maria Salviatus, & Nicolaus Ormanetus a Pont. in Galliam & Hiſpaniam mittuntur. Joannes Michaelius, & Antonius Theupolus in Galliam & Hiſpaniam oratores.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 *tiana recepta, Montium in poteſtatem ceſſurum : vix credi poſſe, Carolum inopportuno tempore arma in Philippum parare : atque ut ita ſit, quidnam ad Belgii tumultus ſedandos momenti claſsem, quæ in Italia eſset, allaturam ? An non hæc fœderis legibus jurejurando ſancitis palam adverſari, quibus, ut ineunte vere claſses in oriente conjungerentur, cautum erat ? Perverti ſalubriora conſilia, augeri hoſtium animos, omnem contundendi Turcas ſpem corrumpi.* Verum nullis officiis Auſtriacus flectebantur; cum aperte diceret, ni Regis voluntas ex Hiſpania nuntiaretur, ſe non diſceſſurum : nuper illius mandata, quibus profectio vetaretur, habere : tres Melitenſes, totidem Genuenſes, ternas Sabaudicas cum quatuor vel quinque peditum millibus Venetis ſubſidio, ita eo jubente, miſſurum : ſuis confirmatis rebus, quas ob incertas in orientem expeditiones deſerere Rex non poſſet, majori conatu bellum in Turcas proſequuturum. In hanc ſententiam & ad Gregorium literas ſua exaratas manu dederat, atque eadem Senatui per oratorem ſignificaverat. Interea Regis in Italia miniſtros conſulit, præter novem, an alias quoque Hiſpanas triremes Venetæ claſſi adjungat ? Adduntur Gregorii ſuaſiones, quibus quadraginta adjici flagitat. Duas ac viginti, Gildandrada duce, Auſtriacus exhibet.

At Veneti, cum nihil de diſceſſu ab Auſtriaco impetrare poſſent, Superantium una cum Columna pontificiiſque triremibus Corcyram regredi, ſi Columna abnuat, ſtatim ipſum cum Venetis proficiſci jubent. Simul Fuſcareno ſcribunt, re mature inter præconſultores deliberata, una cum Superantio Corcyra ſolvens, in Ionium vel Aegæum tendat, Turcarum claſſem perſequatur; vel prælio decernat, vel aliquid tanto apparatu, tot impenſis dignum aggrediatur. Octavo idus julii, claſſibus e Meſſanæ portu digreſſis, Auſtriacus Panormum, Columna ac Superantius una cum Gildandrada Corcyram pergunt. Dum hæc geruntur, Joannes Michaelius in Galliam profectus, Carolum ad concordiam hortabatur : *Ne, quo tempore graviſſimo bello chriſtiana reſpublica communi cum hoſte coflictetur, quam cum Hiſpaniarum Rege diu coluerat, pacem interturbaret : non ignorare, Senatum Venetum qua mente in commune bonum ſit : atqui*

Senatus mandata ad Fuſcarenum imp. M. Antonius Columna & Superantius cum Gildandrada Corcyram proficiſcuntur. Joannis Michaelii oratoris cum Carolo officia.

atqui ex iis, quæ nuper in Belgio accidiſsent, ne publica 1572
quies eriperetur, vereri : quo quid magis alienum, quid magis exitiale accidere hoc tempore poſse, dum acerrimi hoſtis armis chriſtiana reſpublica provocetur ? Quid enim relatam nuper victoriam profuturam, ſi divulſæ, ac diſtractæ potentiſſimorum Regum vires cuncta in exitium trahant ? Neque vero hæc a ſe dici, ut quidquam de Caroli pietate ac religione ſubdubitet ; at ejuſmodi rerum, ac temporum conditionem eſſe, ut ex bello non modo, ſed ex metu quoque, ac belli ſuſpicione ingentia chriſtianæ reipublicæ mala impendeant : itaque generoſum animum explicet ; ſi qua ob ea, quæ recens contigerant, ſuſpicio ſeſe extuliſſet, eam publicæ paci, bonoque condonet ; pluſque apud illum publicas, quam privatas rationes valuiſſe teſtetur. Ad ea Carolus, *Nunquam chriſtianæ reipublicæ quietem perturbare ſibi in animum induxiſſe,* reſpondit ; *minus vero eo tempore, quo difficili, ac graviſſimo bello premeretur. Verumtamen nullis neque minis neque pœnis propoſitis pervicaces ſubditos, qui regnum tumultu ac ſeditionibus repleverant, quin in bellum proficiſcantur, cohibere poſſe.*

Caroli Regis reſponſum.

Theupolus in Hiſpania eodem officii genere cum Philippo fungitur, ne, levi ſuſpicione oborta, proſpera icti fœderis primordia pervertat; quæ in Belgio evenerint, inſcio Carolo atque repugnante eveniſſe; vigere in eo Rege propenſum in publicam pacem ſtudium; ad id confirmandum Michaelium in Galliam legatum; ſe vero potiſſimum miſſum, ut ad concordiam ſervandam obnixe illum adhortetur; nihilque communibus rebus magis obſuturum ſignificet, quam ſi ad arma ſummi Reges deſcendant. Poſtea, ut Auſtriacus cum tota claſſe Fuſcareno ſe adjungeret, petit. Philippus ut ſe in pacem proclinatum ſignificat, ita prorſus Italiæ atque Hiſpaniæ litora trire mibus nudare non poſſe reſpondit.

Pauli Theupoli cum Philippo Rege officia.

Philippi Regis reſponſum.

Idibus julii Superantius una cum Columna a Gildandrada Corcyram pervenit. In univerſum claſſis pontificiis quinqueremibus duabus, triremibus duodecim, Hiſpanis ſeptem ac viginti, Venetis quinque ſupra centum, galeatiis ſex, octodecim navibus conſtabat, præter triremes illas, quæ ex Adriatico ſinu, atque e Creta una cum duodecim voluntariorum

Fœderatorum duces in Corcyra conveniunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 roſtratis expectabantur. Concilio coacto, Columna, qui, Auſtriaco abſente, primum in claſſe locum obtinebat, *Summo dolore*, ait, *Gregorium Pontificem Maximum affici, quod, dum Meſſanæ regia claſſis moratur, optimam anni partem elapſam cunctando ac nihil agendo, intueatur: attamen Auſtriaco vel invito, atque ingenti in orientem proficiſcendi deſiderio flagranti parendum fuiſſe.* Mox quæ Regem ad id ſtatuendum impulerant, ſubnectit. Demum, *cum ſibi fœderatorum imperii primæ partes obtigerint*, addit, *nihil ſe pro utilitate, ac dignitate chriſtianæ reipublicæ prætermiſſurum: fide, jurejurando inſito, quin etiam vel generis, vel patriæ, vel propriæ mentis inſtinctu impelli, obſtringi: ejuſdem animi, ac voluntatis Gildandradam futurum, qui Philippi, atque Joannis Auſtriaci mentem optime norit, ſibi polliceri.* Hic Fuſcarenus, *non adeo*, inquit, *de mora ad Meſſanam facta conqueri ſe poſſe, quin proſperi eventus æquare dolorem queant: fruſtra a Senatu immanes impenſas nullo emolumento, nullo fructu factas; ab aprili uſque in totum fere julium menſem tot triremes, tot navigia, tantas copias non abſque magno Corcyræorum damno alitas ac ſervatas; maritima Reipublicæ loca incendiis, vaſtationibus, direptionibus hoſtium deformata; ſe vero, ne fœderis pactionibus deeſſet, Turcarum damna, injurias, & clades inſpectantem, eximio excruciatum mœrore, Corcyræ ſubſtitiſſe. An Leucadis expeditionem, quæ fieri interea opportune poterat, commemoraret? an Caragialim, quem ſexaginta triremibus Aegæum infeſtum reddentem vincere, ac contundere potuiſſet? an turcicæ claſſis ex Helleſponto egreſſum, qui intercludi, aut tardari potuerat? Quid Theſſaliæ populos trans Epirum incolentes percenſeret? qui, turcicæ tyrannidis jugo excuſſo, legatos centum pagorum nomine, ut Venetis ſacramentum dicerent, ad ſe miſerant. Peditum decem millibus brevi Theſſaliam, Acarnaniam, Aetoliam fœderatis adjungi potuiſſe. Præcipue vero Peloponnenſium periculo angi, qui ſociorum pollicitis freti, aperte defecerant, publicoſque ſe Turcarum hoſtes profeſſi fuerant; quos omnes crudeliſſimis cruciatibus excarnificandos ac necandos conſtaret, ni hoſtium claſſis invaderetur, quæ, ut navigiorum numero præſtaret, navali robore cum noſtra minime conferen-*

Jacobi Fuſcareni claſſis imp. adhortatio.

ferenda eſset; imbelli, atque inexperta pontica turba onuſta; cæſa nuper viridi materia, nullo artificio, nullo ordine extructa. An victricem claſsem, militum robore refertam, telorum ac tormentorum vi inſtructam ſuſtinere hoſtes poſse? Quamprimum igitur vadendum, neque conſiliorum ambiguitate certas victoriæ ſpes intercipiendas: fruſtra, Uluzzalio cum claſse integra Byzantium ſe recipiente, poſthac ejuſmodi opportunitatem requirendam. Hæc ſumma dicendi vi Fuſcarenus diſceptabat. Gildandrada ab ejus ſententia non diſcedebat: ſed antequam quidquam certi conſtitueretur, hoſtium vires prius pernoſcendas, quo loco claſſis eſſet, explorandum; abſque navibus, tum quod commeatus ac tormenta ferrent, tum quod magnum navali pugnæ præſidium in iis ſitum foret, minime diſcedendum cenſebat. At Fuſcarenus jam cuncta, quæ ad navigia ductanda attinebant, curaverat, atque haud multos ante dies Joannem Mocenicum, ut progreſſus hoſtium ſpecularetur, Citheram miſerat, Polanoque idem onus injunxerat. 1572

Omnibus itaque adſentientibus, Antonio Canalio cum quindecim triremium manu una cum Vincentio Tuttavilla, Sarnenſi Comite, ad tria peditum millia Hydrunto ſubducenda præmiſſis, profectio in hoſtem decernitur, claſſisque univerſa ad Gomenitias defertur. Ibi a Joanne Mocenico, hoſtium triremes partim Chio, partim Eubœa immorari, citoque conjunctum iri, nuntiatur. Eodem tempore Carolus, e pernobili Lotaringiæ familia, Maynenſis Marchio, militari flagrans gloria, qui in fœderatorum militiam una cum multis e Gallica nobilitate viris voluntarie nomen dederat, ad claſſem acceſſit; cui, jubente Senatu, Marci Molini Vincentii filii, & Caroli Contareni triremes ſunt attributæ: a Marco Molino, cujus navigio Marchio vehebatur, extolli phanale (id dignitatis eſt argumentum) Fuſcarenus juſſit. Claſſe ad Gomenitias conſiſtente, Canaliique adventum præſtolante, Joannes Bembus, ac Joannes Vaſtius Hiſpanus ad hoſtium res explorandas ad Tænarium uſque promontorium ſeu inferre juſſi. Canalio reverſo, quinto kal. auguſti portu exeuntibus, ecce celox a Placido Ragazzonio, rem frumentariam pro Republica in Sicilia curante, qua Regis de conjungenda cum fœderatis claſſe

Joannes Mocenicus de turcica claſſe nuntium affert. Carolus Maynenſis Marchio cum Gallis ad claſſem pervenit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 classe Austriacum mandata accepisse nuntiatur; nec multo post ab eodem Austriaco biremis cum literis ad collegas, quibus eadem continebantur, supervenit: se proinde profectionem enixe urgere, ac ne interea quidquam ipsi aggrediantur; sui adventus fama Græcis animos addant, maritimaque Reipucæ loca tutentur, petere. Ejus rei nuntio plerique erigere animos, atque ex superioris anni felicitate sese ad majora speranda tollere cœperant. At qui rem altius cogitabant, eo anni tempore Austriacum adventurum dicebant, quo rerum gerendarum opportunitas pene effluxisset; inani potius ostentatione, quam ut egregii quidquam meditaretur, fœderatos, ac præcipue Venetos eludere voluisse: parce commeatus invectos, neque instructam adeo classem esse, ut diutius detineri in oriente posset, nuntiabatur. Huc accedebat, quod Fuscareno imperatori Prosper Columna secreto significaverat, Hispanos certaminis aleam cum Turcis posthac non subituros. Nam etsi ingentem ex superiori victoria Philippus lætitiam cepisset; attamen quantis sese periculis objectasset cogitantem, adversosque exitus formidantem, a prælio in posterum abstinere decreviisse; ob id Suessanum Ducem, qui juventæ flore fervidum fratris ingedium temperaret, ad classem misisse. Donatus quoque orator Senatui significaverat, superioris anni facinus a plerisque improbari; temere ab Austriaco factum jactari, quod triremium numero inferior, diversis ac dissentientibus fortasse inter se viribus, cum eo hoste manum conseruisset, qui prævalida numero, copiis, recentibusque subsidiis firmata classe præstaret, quæ unius tantum imperio, veluti corpus a mente, regeretur; neque satis Venetorum consilium sibi probari, qui unius horæ momento universam eorum imperii vim periclitari voluissent.

Philippi Regis de classibus conjungendis mandata.

Hispanorū decretum de prælio non committendo.

Perlectis Austriaci literis, iter duces persequi statuunt. Centum ac quadraginta triremes, præter naves, ac galeatias, in classe adnumerabantur, quæ hoc ordine instructa incedebat, ut Marcus Antonius Columna, Fuscarenus, ac Gildandrada aciem triremium quadraginta tenerent. Ex cornibus, quæ pari triremium numero, una nempe ac quadraginta constabant, Jacobus Superantius dexterum; lævum Antonius Canalius legatus regerent; Marcus Quirinus e Creta rediens cum

Classis fœderatorum copiæ & prædo.

cum sex triremibus antecederet, suis quosque locis in prælio collocaturus. Subsidia Nicolao Donato, damnatorum præfecto, cum tredecim triremibus obtigere. Galeatiæ, ac naves ante mediam aciem & cornua præire jussæ; tergum voluntariorum rostratæ triginta, biremesque complures claudebant. Copiarum summa hæc erat: duo millia pontificiorum peditum, quibus Michael Bonellus, Pii nepos, præerat: Philippi Regis quinque millia, plerique Horatii Aquavivii auspiciis ducta, Comite Sarnensi summam præfecturam gerente, militabant. Venetorum hi censebantur; Antonii Aquavivii duo, Prosperi Columnæ tria millia, Cæsaris Caraffæ mille, Fabii Pepoli mille trecenti, Franciſci Martinengii octingenti, Honorii Scoti sexcenti, Balthasaris Busseti quingenti, Hestoris Martinengii quadringenti, Nicolai Gambaræ octingenti, Joannis Baptistæ Doriæ nongenti, Cæsaris Pennæ totidem, Franciſci Justiniani Genuensis ex Cyrno insula sexcenti, Desiderii Montecucoli quingenti, Andreæ a Sale sexcenti, Philippi Condulmerii trecenti, Joannis Baptistæ Castellii quadringenti, Philippi Ronconii trecenti: cuncti 14900. numerum conficiebant. Universis Paulus Ursinus præerat. Moretus insuper Calaber, militari virtute clarus, ad res militiæ procurandas ad classem a Senatu missus, castrorum præfecturam gerebat. 1572

Paulus Ursinus summus militum Venetorum præfectus.

Moretus Calaber castrorum præfectus.

Sic instructa classis itineri se committit; prope Paxum, quæ antea de hoste allata fuerant, a Bembo, & Vastio confirmantur, Quirinumque cum duodecim triremibus, peditibus mille e Creta Zacynthum pervenisse nuntiatur. Eo Cephaleniæ sibi adjuncto, Zacynthum delati, Angelo Suriano, Philippo Leone, Ramagasso Hispano præfecto ad explorandum præmissis, sub vesperum inde digressi, pridie nonas augusti in Helæum sinum perveniunt, ac prope Cervorum insulam Surianum, & Leonem obvios habent, qui pridie ejus diei Uluzzalium cum classe Eubœa in Argolicum sinum, juxta *Monovasiam*, Limeram a priscis dictam, delatum afferunt; classem ducentis viginti quinque triremibus, maonis quinque, quadraginta partim rostratis, partim biremibus Numidicis constare: eadem a Cythera perferebantur. Triginta tantum passum millibus (is Maleæ promontorii ambitus est)

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 *Fœderati prælium committere ſtatuunt.*

noſtri ab hoſtibus aberant. Claſſe ad Divi Nicolai Cytheræ promontorium, duodecim a Cervorum inſula, octodecim a Malea paſſuum millibus coacta, rurſus exquiſitis ſententiis, in hoſtem vadendum, prælioque decernendum ſtatuitur. Cuncta ad pugnam expediri, galeatiæ, ac naves remulco trahi jubentur. Mox a Divi Nicolai promontorio ad Colubrarias inſulas, duodecim circiter millibus a Malea, ſeſe proripiunt. Ibi a ſpeculatoribus transfugiſque de hoſtium ſtatu certiores facti, a locorumque peritis ſitu & munitione protectam claſſem in Argolico ſinu expugnari non poſſe edocti, Maleam tranſgredi, atque e regione conſtitutos elicere e portu, & ad pugnam laceſſere hoſtes placebat; cum inalbeſcente cælo, e Cytheræ montium ſpeculis, affertur, Uluzzalium egreſsum, noctuque Maleam prætervectum, in Vaticæ litoribus triremes, maonis relictis, octodecim a noſtris paſſuum millibus intervallo explicaſſe. Metus ob id noſtros invaſit, ne, borea flante, Turcæ expanſis velis in chriſtianam claſsem impetum facerent; cum præſertim naves litori propinquæ, octoginta paſsuum aqua extante, non ſine periculo, ne vento abreptæ montibus illiderentur, anchoras tollere poſsent; eademque de cauſa neque triremibus ſubveniri, neque acies commode inſtrui liceret. Jamque hoſtiles aliquot prægreſſæ in Colubrarias inſulas devehi inſpiciebantur; quæ mox, nonnullis excuſſis tormentis, depreſſis velis, ſe recepere.

Verum concidente vento, ſignoque pugnæ edito, Columna, Fuſcarenus, ac Gildandrada imperatores cum acie per medias duas Colubrarias egrediuntur. Superantius dextero agmine exterius deferebatur; Canalius, qui cum ſiniſtro a læva latus inſulæ tenebat, latius, ut ſe reliquis conjungeret, in freto triremes diſpoſuit. Ordinata acie, in hoſtem tendunt, ſecundoque aſſurgente flatu, naves ac galeatiæ, claſſe reliqua tergo inſiſtente, longius provehuntur. Uluzzalius earum impetum veritus, Vaticæ, Cervorumque inſulæ allapſus, veluti prælium abſque navibus initurus, aliquamdiu ſubſtitit. Cum vero impellente vento inferrentur, ipſæ inſulæ litus uſque ad etremum promontorium legens, freto, duodecim paſſuum millium, quod inter illam, a Cytheram interjacet, occupato, claſſem ita inſtruit.

ſtruit, ut prælium detrectaturus, diemque ad occaſum vergentem dimicantis ſpecie extracturus videretur; cum quinque ac viginti triremes ex agmine Cervorum inſulæ proximiori antegreſſæ, dexterum Superantii cornu remorari, frequentibus tormentorum ictibus perturbare adnixæ, non abſque detrimento, ac periculo, impetu a noſtris facto, ad reliquam ſeſe claſſem adjungere coactæ fuiſſent. Ipſe Uluzzalius ſtrenui ducis artes optime callens, propius ad Cytheræ litus callido aſtu ſeſe inferre conatur, ut eodem tempore navium & galeatiarum, quæ ſilente vento, tranquillo mari remulco trahebantur, congreſſum vitare, & a latere lævum Canalii cornu verberare, tutoque ſe recipere poſſet. Verum periculum legatus conſpicatus, litori cito ſuccedit, contortiſque in hoſtem globis, reflectere agmen cogit, Jacobi Gauri, & Andreæ Piſauri majoribus triremibus, quæ una cum navibus ejus agmen tutabantur, qua Uluzzalius aliquid tentare poterat, illatis; dum interea horribili ſtrepitu majora tormenta ex utraque claſſe diſploderentur. Ita occidente ſole, pugnæ ſimulacro res acta eſt. Intendentibus vero ſe tenebris, Uluzzalius fumo, ac tetra caligine e machinis tormentariis effundi juſſa, qua penitus aſpectus prohiberetur, freto cum univerſa claſſe trajecto, aliquantiſper Cytheræ litus legendo, dextera in occidentem flexit, atque ad noſtros, qui inſequebantur, decipiendos phanale extolli in armato navigio, cœptumque iter proſequi jubet: ipſe ad Tænarium promontorium pergit. Noſtri, aſtu cognito, cum aliquamdiu ſeſe recipientem perſecuti fuiſſent, tenebris auctis, impedito lentoque ab remulco itinere, remige ac milite feſſo, Cytheram revertuntur.

Sexto vero idus auguſti ad Divi Nicolai Ulen[illegible]æ promontorium morati, ſub veſperam ſolventes, Tænarium, quo hoſtes delatos eſſe ſuſpicabantur, iter arripiunt. Poſtridie ſummo mane hinc atque inde promontoria tenentes Turcas intuentur, qui propinquæ regionis incolarum animis pro fœderatis induentium metu perterriti (erat Calamatæ Sanjaccus cum tribus equitum millibus non longe abeſſet) aquationem facere minime auſi fuerant. A eodem tempore fœderatorum claſsem advenientem intuiti, ne ſubito cum gravioribus navigiis galeatiiſque pugnam cogerentur, tria ex univerſa claſſe agmina

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 mina instituunt; medium Uluzzalius, quod triremium octoginta erat, imperatoria innumeris prope adornata vexillis conspicuum tenet, lentoque remigio mediam versus fœderatorum aciem provehitur: reliqua, quæ totidem triremibus constabant, ad nostros circumveniendos, dimidiatæ lunæ servata effigie, quammaxime laxari præcipit. Nostri eo, quo diximus antea, ordine progrediebantur; jamque, omnibus ad prælium ineundum paratis, singuli varios ad certamen animos afferebant. Hostes præterita clade trepidi in suorum vindictam incendebantur; nostri insigni ad Echinadas victoria elati, ad nova decora ac recentia spolia anhelabant. Terribili galeatiarum, quæ a levioribus triremibus vehebantur, adspectu, media perculsa hostium acies, inhibito aliquanto remigio, deferebatur; duo agmina extra circumducta, a latere atque a tergo nostrorum cornua adoriri nitebantur. Ea res ex hostium varia agitatione ac motu diversa quoque ducum imperia poscebat. Quocirca Fuscarenus imperator, expedito lembo circumvectus, constanti animo, alacri vultu, quæ opus erant, præcipere; ad pugnam inflammare; ut in hostem navium impetum vitantem, seque circumducentem obversæ proræ tenerentur, curare; unumquemque monere, hortari: *Pugnam victoriæ haud dubia spe capesserent; cum iis esse dimicandum, quorum vires, fastumque superiori anno contudissent, qui perterriti fugam potius, quam certamen meditarentur: hoc uno prospero eventu penitus Turcarum quidquid maritimarum supereſset virium, deleri atque excindi posse: inde cuncta vel ad privata commoda atque opes, vel ad publicum decus & imperium augendum obventura.*

Fuscareni ad prælium adhortatio.

Sed hostes, ut nostros absque galeatiis & navibus, quæ triremibus protrahebantur, ad pugnam eliciant, quasdam ex suis a tergo arte claudicantes relinquunt, cum aliis modo fugam simulant, modo secedunt, rursus celerrime in ordinem rediguntur. Fœderatorum media acies in Uluzzalium recta ferebatur. Cum triremes quindecim a lævo turcico agmine fugæ specie disjungerentur, Superantius veritus, ne, circumactis illis, a tergo invaderetur, in adversas, quacumque flecterentur, dirigi proras imperat; ipso interim modo progredi, modo circumducere, aliquando subsistere, ex hostium flexu coacto. Reliquæ agminis triremes viribus impares æquare cursum non poterant: qua-

quatuor tantum validiores, Joannis Baptistæ Quirini, Theodori Balbi, Angeli Suriani, Joannis Bembi sunt consequutæ; adeoque hostili agmini succeſserant, ut e propinquo invicem tormentorum disploſione quaterentur. Verum Superantio insistente, navigiis repente circumactis, in aciem ex qua digressi fuerant, Turcæ se recipiunt, atque extemplo aliæ triremes quadraginta prodeunt. Ipse, nullo signo timoris edito, triremes vigintiquinque ac binas galeatias sibi opem laturas a reliquo cornu avulsas intuens, remigio inhibito, subsistit; inde magno impetu delatus, nunquam intermisa tormentorum excussione, momento fere perturbatum hostem premit, ac dissipat, qui remigii velocitate fuga e nostrorum conspectu seſe eripere nititur. Sunt qui affirment ad Superantii invehentis conspectum septem ac triginta hostium triremes, ex quibus decem ac septem phanalia geſtabant, fugam arripuiſse. Verum cum impar viribus legatus eſset, victoriam prosequi non potuit. 1572

Jacobus Superantius Turcicas triremes perturbat.

Eodem tempore media, in qua federati imperatores constiterant, acies provehebatur. Uluzzalius cunctari, subsistere, vel classis fœderatæ adspectu commotus, vel prælium minime conserere ausus, cum maxime soluto remulco, navibus fere hærentibus, congrediendum eſset. Eam opportunam Fuscarenus imperator confligendi occasionem ratus, cum diversa ex parte Superantium pugnantem atque propellentem Turcas intueretur, remigium intendi, atque ad certamen Uluzzalium cogere exoptabat. Itaque e puppi altiori voce, ut exaudiri posset, Columnam ad hostem invadendum invitabat. *Cur non statim adorirentur? cur victoriam, quam prope tenerent, elabi sinerent? in mediam aciem agminibus destitutam invadendam, dum agmen alterum procul circum sinistrum Canalii cornu flecteretur, alterum iam cum dextero Superantii dimicaret.* Verum Columna certamen detrectante, præclara confundendi hostis initia irrita fuere. In eo certe viro ingens animus, propensum in Rempublicam Venetam studium, eximia prudentia, nec facile periculorum facie concutienda inerat, quæ sane ad præclarum decus incitare debuiſsent. Sed quonam, ut secus ageret, impulsus fuerit, incertum est: illud constat, literas illum ad Theupolum, Venetum oratorem, Romam dediſse, quibus nihil eo die militari disciplinæ magis adversum gestum fuiſse,

Jacobus Fuscarenus Columnam ad prælium frustra concitat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 se, quam in hostem divisa classe impetum factum affirmabat. Fuscarenus, qui certa prope victoriæ spe subnixus in Turcas invehebatur, ingenti dolore est affectus, cum præsertim, Columnam ad pugnam invitante læto victoriæ omine, circumcirca cunctis perstrepentibus, prætoriæ trecenti atque amplius milites lætis cælum vocibus pulsarent, remigibusque majori nixu incumbentibus, funis etiam, quo prætoriæ alligatæ erant, abrumperetur, seque altius in hostem Fuscareni imperatoria proriperet. At Uluzzalius, rursus fronte obversa, ad pugnam sese comparat, nostris in trahendis galeatiis ac navibus aliquantisper perturbatis, tutius confligere posse ratus. Verum Canalium se mediæ aciei adjungentem cum inspiceret, iter rursus in Tænarium promontorium intendit: assurgente vero flatu, nostri ab hoste insequendo inhibiti Cytheram deferuntur. Hi apparatus, hi eventus fœderatarum classium eo anno fuere, ut potius illi fortunæ, quam fortuna ipsis defuisse videri possit. Tot victoriæ præmia, tot omnium animis illapsas spes, inanis cunctatio, dissentientes sententiæ, in diversas res christiana divulsa partes, regnandi artium studiis, in sua quibusque, non in commune incumbentibus, corrupere.

Dum hæc gererentur, Nicolaus Surianus, Adriatici sinus præfectus, cum Gabriele Haimo, Sici prætore, de nova Scardona editiori tumulo imposita, invadenda (vetere a Venetis militibus direpta & incensa) agit; Joannisque Contareni, atque Joannis e Dominis Arbensis triremibus, celocibusque ac lintribus nonnullis coactis, in iisque Hestoris Vicecomitis, Sici militiæ præfecti, copiis impositis, arctum fretum, quod decem passuum millium in longitudinem protensum, Ticii amnis, *Cherzæ* modo nuncupati, aquas excipit, Uscochorum, ac Sicensium manu, qui Proculiani latus hostio, per quod incedendum erat, ab hostibus tutarentur, præmissa, ingreditur; veteremque Scardonam, quingentos a nova passus, delatus, expeditos centum ac quinquaginta scloppettarios, ædes quasdam occupare jubet, quo Turcas egressum nostris si forte prohibere velint, arceant. Nullo obsistente, loco potiti Uscochi quoque, & Sicenses collium summa occupant; Hestor Vicecomes, agmine suorum facto, tumuli radices insedit; Surianus navalibus sociis, eorum, qui ædes occupaverant,

verant, loco impositis, quo tutum ad triremes receptum haberent, aditus omnes intercludit, copias succedere cum scalis arci imperat. Turcæ improviso impetu nequaquam territi, ad tuenda mœnia convolant. Verum cum a nostris ollæ igne fabrefacto oppletæ (quod subjecta mœnibus tecta tabulatis confecta, atque palea cooperta esse cognoverant) emitterentur; arida materia ingens adeo incendium concepit, ut propugnatores fumo, flammisque correpti defensionem omittere cogerentur. Inde milites, admotis scalis, oppidum ingrediuntur, obvios quosque obtruncant. Fine cædibus Suriani jusso facto, captivos centum abducunt, locumque dirutum solo æquassent, ni ex circumjecta regione peditum atque equitum subsidia ab hoste superveniissent, quos nostri continenti glandium imbre summoventes, cum captivis incolumes ad triremes, tredecim tantum militibus, Moretoque Florentino præfecto desideratis, pervenere. Hæc in Illyrico ad exercendos potius milites, quam ut quidquam ad summam belli conferrent, agebantur. 1572

Scardona a Nicolao Suriano occupata.

Cum Uluzzalius ad Tænarium se recepisset, ingens Columnam, ac Gildandradam suspicio incessit, ne, a Christianorum celoce nuper capta Austriaci adventu cognito, illum adoriturus, opportunum ad ventum excipiendum locum occupasset; atque ob eam rem mirum in modum soliciti, ejusmodi erant sententiæ, ut, centum selectis triremibus in altum elatis, Austriaco obviam iretur; naves, galeatiæ, atque aliæ triremes in Cretam mitterentur; cunctis rebus regiæ classis salutem anteferendam rati. At Fuscarenus militiæ legibus adversum censebat, tam propinquo hoste, classem distrahere, eique optionem relinquere, ut vel cum centum triremibus Zacynthum petentibus confligeret, vel in Cretam navium prædam facturus contenderet: satius esse, ibidem subsistere, Austriacumque singulis de rebus monere, vel tota classe Zacynthum obviam ire: ad Capsalium morantibus, Uluzzalium Tænario non egressurum, Austriacum si Cytheram, ut se reliquis adjungeret, devehi statuisset, nullo obsistente id futurum: Uluzzalium contra, si aggredi atque intercludere iter velit, insciis fœderatis, non posse: a fronte Austriacum, a tergo classem, a latere incolas in defectionem labentes habiturum.

Hæc

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 Hæc ſententia Fuſcareni erat. At contra eo tantum Columna ſpectabat, ut quamprimum fœderata claſſis in occidentem ad Auſtriacum excipiendum iter intenderet; fruſtra ejus ad Cytheram adventum præſtolari affirmabat. An ſuas triremes, hoſtiles proras prætervehens certo diſcrimini objiceret? id acrioribus ad gloriam ſtimulis actus, ſi facere velit, præconſultores inhibituros: non amplius in ea ſtatione, quæ incommoda, aquationi inopportuna, atque hoſtibus objecta eſſet, conſiſtendum. Acri animorum contentione utrinque agebatur, cum acceptis literis, quibus Auſtriacum adhuc Meſſanæ detineri certo conjectabatur, communi conſenſu ad eum literas mittunt, quibus fœderatorum virium, ſi qua poſſet, conjunctionem impediturum ad Tænarium promontorium Uluzzalium ſubſtitiſſe ſignificant. Tum ut navigia vacua nonnulla in Cretam mittantur, cum claſſe reliqua Auſtriacum tutaturi decernunt. Verum, haud multo poſt mutata ſententia, Columna ac Gildandrada rurſus, ut naves ac galeatiæ omnes in Cretam mitterentur, poſtulant. Id cum Venetis ſummopere diſpliceret, neque ullo pacto adſentiri vellent, in id tandem conveniunt, ut cum univerſa claſſe in Cretam profecti, navibus tutis in ſtationibus locatis, cum centum ac viginti triremibus, galeatiiſque apprime inſtructis, e Grabuſio promontorio longius a Cythera & Tænario provecti, Zacynthum iter dirigerent. Hoc quoque conſilium incolarum nuntii pervertere, quibus afferebatur, hoſtes Maleam appropinquaſſe, reflanteque vento, ad Vaticam conſtitiſſe, inde in Argolicum ſinum ituros. Itaque ea penitus ſuſpicione depulſa, qua Uluzzalium ex compoſito Auſtriacum opperiturum verebantur, primis tenebris cum triremibus e puppibus naves, ac galeatias trahentibus, in altum elati, leni ac ſecunda aura adſpirante, iter Zacynthum intendunt. Ad Oenuſam Venetam celocem cum Auſtriaci ad Columnam literis obviam habent, quibus quinto idus auguſti Corcyram ſe perveniſſe ſignificat: quod ejus adventum non expectarint, conqueritur; ſtatimque Zacynthum, quo ipſe quamprimum proficiſceretur, petere jubet. Triduo a Cythera Zacynthum fœderati deferuntur; Auſtriaco non invento, ejus mandata offendunt, quibus claſſem eo in loco commorari præcipit, ſe, Corcyræ inunctis triremium

Ioannes Auſtriacus Corcyram pervenit.

remium carinis, eodem, ut de communibus rebus ſtatueretur, venturum. 1572

Interea a Fuſcareno imperatore Angelus Surianus, & Philippus Leonius Cytheram uſque, ac longius, ſi opus ſit, progredi jubentur; ut quid Uluzzalius, claſſe ad Maleam appulſa, moliretur, afferrent. Eodem tempore Petrus Pardus Villamarinus, regius procurator, qui ſeptimo idus auguſti in Cytheræ freto, cum dimicandi copiam Turcis noſtri feciſſent, adfuerat, Corcyram accedit; Auſtriaco nuntiat, quarto idus, dum prope Tænarium cum roſtrata triremi eſſet, ingenti atque horribili tormentorum fragore ac ſtrepitu audito, detrimenti aliquid chriſtianæ claſſi accidiſſe ſuſpicatum: mox cum ab oriente concuſſionem factam animadvertiſſet, timore ſolutum fuiſſe. Eo nuntio permotus Auſtriacus, itineris ratione immutata, Columnæ ſcribit, ſe, licet triginta ſelectis triremibus, quibus quinque peditum millia impoſuerat, ne quid incommodi fœderatis contigiſſet, veritum, Cytheram initio contendere ſtatuiſſe; attamen de rei eventu certiorem factum, ut, navibus minuſque idoneis triremibus Zacyntho relictis, cum reliqua claſſe ſuum ad Cephalenem adventum præſtolentur, decreviſſe; ibi de bello adminiſtrando conſilia inituros. Ex his Auſtriaci literis magnam Fuſcarenus moleſtiam cepit, quod naves haud ambiguo diſcrimini objicere cogeretur: nondum hoſtium explorata itinera; an Zacynthum tenderent? an abſque navibus certaminis aleam ſubeundam, atque ingens belli præſidium prætermittendum? Angebatur ob id vehementer ſoliciti imperatoris animus; verumtamen Columna, & Gildandrada diſſentientibus, cum fœderis lege, ut duo ſuffragia vincerent, caveretur, & ſecus facere nequiret, Joannem Contarenum, claſſis quæſtorem, Zacynthi commorari, ac quinque potiora navigia exonerare jubet. Ex his quatuor Meſſanam ad frumenta ac panem nauticum convehenda, quæ ſummo ſtudio a Placido Ragazzonio Jacobi fratre curabantur, mittit; reliquum Venetias pergere jubet, ut claſſi non modo, verum etiam Cretæ inſulæ ſuccurreretur. Tandem cum duabus ac quinquaginta triremibus, binis Coſmi Florentiæ Ducis galeatiis, Joanne Andrea Auria cum triremium aliquot manu Meſſanam miſſo, Auſtriacus Cor-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODËR (2018)

1572 Corcyra digreditur; ad Ducatum promontorium delatus, auſtro reflante, nocte Corcyræum fretum repetere cogitur. Cephalenæ dum ſpeculatores, noſtris ad Argoſtolium portum commorantibus, Auſtriaci triremes e longinquo inſpectas ſignificant, Surianus & Leonius regreſſi, hoſtes Methone eſſe afferunt, eodemque momento a Zacyntho turcicam claſſem in illud fretum tendere nuntiatur. Id Fuſcareni de navigiis ſervandis ſummopere ſoliciti curas auxit, cum adeo Auſtriaci juſſione Columnam ac Gildandradam permoveri animadverteret, ut, cunctis neglectis, non navium, non periculi, non publicæ incolumitatis meminiſſent, atque ut hoſtium effugerent manus, flammis abſumendas cenſerent. A qua ſententia abhorrens Fuſcarenus, oppido (ut inde protegi facilius poſſent) propius ſuccedere jubet; ac, ne quis aliqua ex cauſa eas deſerat, edicto cavet; græco equitatui, ſi quis ex navibus egredi, aut natatu, aut lintribus conetur, cædi præcipit.

Interea aliæ Auſtriaci literæ ad Columnam, Fuſcarenum, ac Gildandradam afferuntur, ut cum tota claſſe Corcyram peterent. Vix dici poteſt, quantum ex hac ambigua conſiliorum jactatione iis mœroris acceſſerit, quibus chriſtianæ reipublicæ decus cordi erat. Jam quidnam ſpei præclare rei gerendæ ſupereſſe, dum fœderatæ claſſes inani itinerum cunctatione optimum anni tempus abſumerent? hoſtis proterendi facultatem elabi; Cephalenem, Zacynthum, Cytheram, Cretamque diripi ac vaſtari paterentur? Verumtamen in occidentem converſæ claſſes Corcyram appellunt: ibi de bello adminiſtrando actum. Fuſcarenus, quæ ea æſtate acta erant, Auſtriaco exponit: ingenti cum Corcyræ, tum reliquarum inſularum Veneti imperii, quibus ægre commeatus adminiſtrari poterant, detrimento, magno militum ac ducum inerti otio torpentium damno tranſacta. Inde (cum eo anno in orientem non amplius profecturum Auſtriacum vulgaretur) ne hoſtium libidini atque injuriis tot Venetorum nomini addictos populos objiceret, ne Peloponneſii, qui a Selymo defecerant, prorſus deſerere videretur, una cum Columna, ac Gildandrada in orientem profectum, fœderis decus atque exiſtimationem ſuſtentaſſe; Græciam in fide continuiſſe; ſæpius Uluzzalium ad certa-

Fœderatorũ conſilia Corcyræ habita.

tamen pellicere conatum; detrectantem, ac renuentem haud parvo detrimento affeciſſe: Ex eo curſu dejectos, atque ad ſe avocatos Zacynthum primum, inde Cephalenem, poſtmodum Corcyram non ſine temporis jactura deventum: Nunc eo res loco eſſe, ut niſi mature conſulatur, prorſus præciſæ atque obtritæ reliquæ hujus anni ſpes ſint; celeritate tantum labentibus ſuccurri poſſe rebus, ſi, omni abjecta mora, cum invicto tot virium robore denuo expanſis in orientem velis, in hoſtem proficiſcantur: nil ejuſmodi ſuſpicantes opprimi barbaros poſſe. Auſtriacus, Fuſcareno laudato, iis, quæ contigerant, obliteratis, ſolvendum ſtatim, atque in perturbatos ac perterritos invadendum cenſet; cuncta ad pugnam ineundam expediri jubet. Ejuſmodi ſententia poſtridie ejus diei a præconſultoribus probata: Corcyra digreſſi, ad Gomenitiarum portum deferuntur. 1572

Fœderatæ claſſis numerus & inſtructio.

Sueſſani Ducis, & Joannis Andreæ Auriæ, quos propediem Regis juſſu ad claſſem acceſſuros cum Hiſpanis ac Genuenſibus triremibus afferebatur, adventu non expectato, quarto idus ſeptembris e Gomenitiarum portu ſolvunt. Erant in univerſum centum ac nonagintaquatuor triremes, quinqueremes octo, inter quas Coſmi Florentiæ Ducis binæ; naves quinque ac quadraginta, Hiſpanæ triginta, Venetæ quindecim. His Adrianus Bragadenus, illis Rodericus Mendozza præerat. Mediam aciem, quæ duabus ac ſexaginta conſtabat, tres fœderati imperatores obtinebat: dexterum cornu Alvarus Baccianus, Sanctæ Crucis Marchio, lævum Jacobus Superantius legatus ductabant: duæ ac quinquaginta in utroque triremes ſedebantur. Sex triremium agmen, quod claſſem antecederet, Petro Juſtiniano, Melitenſium præfecto, tributum, ea lege, ut ſi confligendum foret, in cornua ſeſe triremes reciperent. E quinqueremibus quatuor in mediæ aciei fronte, duæ æquis ſpatiis e regione dexteri, ac ſiniſtri agminis diſpoſitæ. In ſubſidiis Joannes Cardonius Sicularum præfectus cum ſeptem triginti, ac Nicolaus Donatus, qui damnatorum Venetis triremibus imperabat, locati. Ita inſtructa acie dum Paxum contendunt, a Joanne Bembo, & Petro Lomellino, qui Methonem ad res hoſtium explorandas ſe contulerant, affertur, turcicam claſſem partim ad Pilum, quod hodie *Navarinum* vocant, partim Methone, remige ac milite, mul-

Joannes Bembus & Petrus Lomellinus nuntios de Turcica claſſe afferunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 torum fuga morteque exhauſtam, omnibus rebus egentem, recentia auxilia expectantem detineri. His nuntiis erecti cunctorum ad minime dubiam victoriam animi, ſumma Dei ope factum, ut barbari, quos præda ac rapinis exſaturatos, Byzantium conceſſuros credebatur, adhuc iis in locis, veluti certa fœderatorum præda, morarentur. Sed cum maxime celeritate opus foret, claſſe ad Antipaxon, reflante leniter vento, ſubſiſtente, paulatim Hiſpanorum ardor tepeſcere, ac fere reſtingui cœpit: nuntii fidem elevare; minime credendum, Uluzzalium, fœderatorum conjunctione cognita, diutius iis in locis moraturum, atque in certaminis aleam, qui antea pugnam cum minori numero detrectaſſet, deſcenſurum: antequam ulterius progrederentur, quidnam conſilii, eo ad Methonem, ac Pilum non invento, capiendum eſſet, decerni oportere: jam ſeneſcere autumnum, in hyemem anni tempus prolabi; majora moliri longum, ac difficile; minora aggredi indecorum. Ex his licet de reverſione tantum cogitare Hiſpanos haud difficulter pernoſceretur; tamen Joannis Auſtriaci militari gloria ſuccenſus animus minime his commoveri vocibus, ſed ingens deſiderium vultu, verbis invadendi hoſtis præſeferre videbatur.

Itaque cum prius per Viſcardum fretum pertranſire decreviſſent, allatis de claſſe hoſtium nuntiis, breviori itinere a læva Cephalene & Zacyntho relictis, Strophades ſcopulos prætervehi, proculque ab hoſtico iter intendere ſtatuunt. Decimo octavo kalend. octobris ad Strophades perveniunt. Inde ſumma inſequentis diei luce Oenuſam pergere ſtatuunt, ne turcicæ triremes, quæ, ut diximus, partim in Pilo, partim Methone erant, conjungerentur, atque, ſi ſe occaſio daret, ſupremo certamine dimicarent. Verum id quoque conſilium fatalis cunctatio pervertit: ſerius, quam oportuerat, cœpta navigatio, neque noctu ad iter celeriter conficiendum velificatum; remorum contentione tantummodo laboratum, ut inalbeſcente cælo, decem a Pilo paſſuum millibus claſſis eſſet, neque Oenuſam teneret. Quamobrem tuto triremes octoginta, quæ ad Navarinum conſtiterant, Methone cum reliquis conjungere hoſtes potuere. Ea re a noſtris cognita, ſtatim denſari triremes, ad pugnam cuncta parari jubent.

bent. Ordinata acie, recta Methonem contendunt, ad ter mille & quingentos paſſus oppido ſuccedunt. Ingens in cunctis alacritas: pugnam depoſcere, nunc lætis cælum vocibus pulſare, nunc minis terrificiſque clamoribus Turcas laceſſere. Uſque ad alteram ac vigeſimam diei horam Uluzzalium præſtolantur; atque vt ei acriores ad certamen provocando ſtimulos addant, Marcus Antonius Columna, Marcus Quirinus legatus, Joannes Bembus, ac Nicolaus Lippomanus propius ſe inferunt. In eos triremes viginti, quæ nuper Navarino advenerant, deferuntur: utrinque ingentium pilarum diſploſione actum, Turcis a Divi Nicolai arce, quæ freti illius oſtium occupat, non diſcedentibus. Exinde Turcas minime prælium ſubituros cognoſci potuit. 1572

Fœderati Turcas ad certamen provocant.

Fœderati, ordinatis aciebus, quo vehementius hoſtes ad pugnam elicerent, oppido ſubeunt; ſed cum Uluzzalius in eodem loco conſiſteret, aperteque prælium abnueret, Oenuſæ caput prætervecti, ad Portum longum, in altero inſulæ latere conſtitutum, pergunt, ſi forte ea ex parte poſtridie barbaros ad pugnam traherent. Ac dum Oenuſam prætervherentur, ne poſtremum agmen carperetur, veriti, cornibus præmiſſis, duces a tergo inſiſtunt. Perturbatæ loci iniquitate duæ acies: Marcus Antonius Columna, Melitenſium præfectus, Joannes Bembus, Joannes Maripetrus, & Joannes Vaſquus primi promontorium tenuere. Hi cum obviis turcicis decem ac tribus triremibus congrediuntur; utrinque tormentis ferreæ pilæ excutiuntur. Uluzzalius interea cum ſexaginta triremibus oppido digreditur. Noſtri certaminis tempus adeſſe rati, repente pugnæ ſignum edunt. Superantius, qui dextero cornu præerat, circumactiſque in hoſtem triremibus, dexterum latus muniebat, frequentibus bombardarum ictibus acriter adeo in oppoſitos impetum fecit, ut inhibito remigio territi ſubſiſterent. Antonius Canalius, qui alterum illius aciei caput prope mediam aciem obtinebat, animi impatiens, generoſoque impetu ſublatus, hoſtiles triremes aliquot, quæ procul ab inſula ferebantur, cum Venetis roſtratis viginti inſequitur; ac jam ſub tormenti jactum erant, horribilique ſtrepentium tormentorum tonitru concutiebantur, cum Antonius Bragadenus, ac Vincentius Quirinus cum duabus quinquc-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 queremibus ſupergreſſi penitus fudere, magnoque metu ac detrimento ſeſe recipere coegere. Ex dextero quoque cornu quod in ea circumductione lævam obtinuerat, ſub Alvaro Baciano in hoſtes triremium manus emittitur, neque intendentibus ſe tenebris tormentorum ejaculationibus finis imponebatur. Conſtans opinio fuit, ſi opportune, ac tempeſtive cœptum eſſet, ea die haud dubio prælio dimicandum fuiſſe, noſtroſque in ea animorum concitatione, confligendique deſiderio uſque in Methonis euripum, in quo reliqua claſſis conſederat, certa prope illius diſſipandæ, Methoneſque potiundi ſpe penetrare potuiſſe. Hæc in cauſa fuere, ut fœderati ea nocte aliam inſulæ partem tenere nequiverint, ſed gravi nautarum incommodo, nebulis obtecto, fulgetris coruſcante, maritimaſque procellas minitante cælo, mari detinerentur.

At concidente vento, cum pacatius æquor navigationi faveret, prima luce Gallum promontorium aquandi cauſa tenuere. E montibus vero parce ſcaturientibus aquis, tantæque multitudini abunde potum non præbentibus, poſtridie ad Longam, amnem quatuor a Corone millibus, deferuntur. Locum continuata, denſaque citriorum, olivarum, ac melomedicarum arborum virentia nemora fronde, flore, fructibuſque conſpicua, jucundum, ac peramœnum efficiunt. Ibi ne aquationem hoſtis adimeret, timentibus, jam enim *Miſitræ*, quæ quondam Lacedemon fuit, Sangiaccum cum equitibus ducentis adventare afferebatur, atque Uluzzalius, claſſe Methone relicta, ad noſtros diſturbandos, Coronemque tutandum ſuorum ad duo millia in ea loca ductaverat; Auſtriacus Franciſcum Landrianum, caſtrorum præfectum, cum duobus Hiſpanorum millibus in litus, qua patentior ad flumen aditus hoſti erat, exponit; nonnullas Italorum cohortes ex alio latere, ut aquationi incumbentes protegerent, exſcendere imperat. Cum improviſo Sangiaccus cum equitibus, Uluzzalius cum peditibus ſupervenit: inde uſque in veſperum levioribus certaminibus pugnatum, e triremibus eodem tempore continenter in litus emiſſis pilis, licet arborum denſitate viſum, certoſque ictus adimente, parum uſui fuerint. In eo certamine Maynenſis Marchio cum ſex ac quadraginta ex Gallica nobilitate, quos ſecum adduxerat, magnum ſpecimen virtutis præbuit: qua con-

Fœderatorum & Turcarum levia certamina.

Maynenſis Marchionis virtus.

conglobata magis hoſtium acies erat, magno impetu irrumpens, uno tantum e ſuis deſiderato, complures e Turcis interfecit. Alexander Parmenſis Princeps, qui hoc bello rudimenta futuræ virtutis hauſit, Pompejus Columna, Joannes Antonius Aquivivius haud abſimili fortitudine dimicavere. Neque ab ea laude ducenti circiter voluntarii, partim Itali, partim Hiſpani milites, immunes fuere, quos, inclinata in veſperam die, continuato labore feſſos, numero ac viribus impares, cum ad naves ſe reciperent, valida manu hoſtes adoriuntur. In ſummo periculo verſantibus, Moretus Calaber, Venetorum militum præfectus, conſilio ac virtute opportune adeſt; trepidantes ſiſtit; in hoſtem obverſus, illius impetum reprimit; acriterque invectus pellit funditque. Extracta continenti certamine die, Methonem noſtri revertuntur, e portu denuo Uluzzalium elicituri. 1572

Alexander Parmæ Princeps.

Moreti Calabri virtus.

Cum ad eum locum, qui inter Gallum promontorium, & Caprariam inſulam interjacet, qua Methones fretum in orientem protenditur, perveniſſent, a captivis, qui ab hoſte fugerant, affertur, hoſtes, munitione in tumulo ad freti hoſtium a parte dextera excitata, quinque in ea tormenta, ut chriſtianæ claſſi aditum intercluderent, impoſuiſſe. Eodem tempore turcicæ roſtratæ quedam ſeſe in conſpectum noſtrorum dedere. Ob id cum prælio dimicaturum hoſtem noſtri exiſtimarent, ſtatim quinqueremes octo, quas totidem leviores remulco trahebant, certis diſtinctas intervallis, præmittunt. Freti anguſtias cum ordinata claſſe ingredi nequirent, tribus diſtincta ordinibus, qui ſe invicem ſubſequebantur, tertiodecimo kal. octobris ad tormentorum jactum in Uluzzalii conſpectum delati, copiam pugnandi faciunt. Ipſe nil movens, paucis (quas diximus) triremibus præmiſſis, cum claſſe reliqua a litore non recedebat. Quinqueremes progreſſæ, hinc Turcis, qui ad Oenuſam conſtiterant, illinc propugnaculo, quod freto imminebat, objectis, continenti bombardarum diſploſione hoſtes fatigabant, licet detrimenti nonnihil nudatis lateribus acciperent. Nemo profecto erat, qui Turcas ſuperbis elatos animis, toties laceſſitos, toties in Methonis conſpectum ad certamen illectos, impune paſſuros arbitraretur. Attamen non regiæ dignitatis ratio, non bellicæ virtutis, cujus ſemper conſtantem laudem retinuerat, non turpis notæ dedecus a ſemel ſuſcepta ſen-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 tentia Uluzzalium deterrere potuere; quacumque ratione tueri classem, quam prælio decernere malebat. Fruſtra igitur lacessito ad prælium hoste, nostri ad Oenusæ promontorium e regione munitionis in continente erectæ consistunt. Ibi de bello administrando variis sententiis actum. Venetis dena millia peditum exponi placebat, quorum virtute pulsis, qui in tumulo consederant, capta tormenta in hostilem classem dirigerentur: *Haud difficulter hæc perfici posse; paucos propugnatores; ad eorum numerum ostentandum, plura hostes tabernacula erexisse: neque, ut interea Uluzzalius classem adoriretur, pertimescendum, qui cunctis rebus instructus, Byzantio spe intumescens egressus, pugnam detrectasset: nunc multis funeribus, multorum fuga exhausta, gravissimis classe oppressa morbis, plerisque demississimis animis, nil ejusmodi ausurum; dum fœderatos viribus auctos, numero & virtute superiores esse animadverteret: quidni igitur aliquid dignum aggrederentur, tumulum occuparent, tormenta caperent, certissimis hostilem inde classem ictibus obtererent, Methonem demum in suam potestatem redigerent: id ni placeat, cur hostes, in ipsomet freto non adorirentur? an Uluzzalium, qui litora triremibus prætexuerat, ac toties provocatus nusquam responderat, timerent? an, si tandem prælium inire vellet, non victoriam in nostrorum manu esse? cum eo esse confligendum, qui impares animos, viresque ad certamen esset allaturus.* Hæc a Venetis differebantur. Contra Hispani, decem peditum millium exscensionem disciplinæ militari adversam dicere; neque tali robore nudatam classem hosti objicere, neque in fretum altius penetrare tutum affirmare: a dextera tumulum, a læva triremes ad Oenusam commorantes nostros intercepturos; a fronte Divi Bernardini scopulum, qui inter munitionem, classem, & oppidum interjacet, objectum; atque ut latera, ac scopulus vincerentur, adhuc classem, oppidum, Divi Nicolai arcem superesse. In hac sententiarum contentione, ut certius vires, ac consilia hostium explorentur, decernitur. In Marci Antonii Columnæ triremi forte consultabatur.

Austriacus, Fuscarenus, Superantius legati, insignibus septi ducibus, ingredi fretum statuunt; intentoque statim remigio ad Divi Bernardini scopulum contendunt, an tormenta in illo

lo disposita sint, speculaturi. Ea re inspecta, statim triremes 1572
aliquot turcicæ se e litore ad opportunum in nostros tormenti jactum ejiciunt; sed ne forte ab una tantum triremi in fretum ingressa in insidias præcipitarentur, substitere. Duces periculo animadverso, Navarini portum ab hoste relictum, aquationique valde opportunum petere statuunt; eo occupato, classem, Methonemque obsidere, naves Zacyntho adventantes tueri, Navarino potiri, certioribus de hostium rebus nuntiis firmiora consilia capere posse rati. Oenusæ promontorio superato, cum tantum a Methone extra tormenti jactum essent, quinquaginta circiter triremes, oppido relicto, exilientes tergo fœderatæ classis insistunt, frequentibusque ictibus postremum agmen carpere conantur. Verum Joannes Cardonius, circumacta acie, hostes sese recipere coegit. Nostris Navarinum tendentibus, tria equitum vexilla, scloppettariorum duo millia Methone digressi, per montis clivum aquatione nostros prohibituri eodem pergebant. Paulus Jordanus Ursinus, & Alexander Farnesius cum quinque partim Italorum partim Hispanorum millibus egrediuntur. Carolus Maynensis, aliique voluntarii milites bellicæ laudis avidi subsequuntur. Ad eos continendos Marcus Antonius Columna, in quo summa erat auctoritas, mittitur: variis in locis acriter tota die dimicatum, Turcæ male habiti a litoribus turpiter summoventur.

Cum mari nihil succederet, cunctorum consiliis ad Methonem terra expugnandum versi, ut secundo ab urbe lapide decem peditum millia exponantur, qui tumulum capiant, ex quo tormenta cum in classem tum in urbem dirigantur, decernunt. Expugnata civitate, classem absque dubio in nostrorum potestatem casuram rati. Hæc ut tuto ad exitum perducantur, Joannes Mocenicus cum triremibus Venetis octo, Hispanis decem, ad pedites, bellicumque apparatum subvehendum, onerariasque Navarinum evocandas Zacynthum mittitur. Dum cuncta ad Methonem oppugnandam comparantur, Navarinum adoriri statuunt, brevi ac nullo fere negotio eo se potituros opinantes, quod propugnatorum numerum, tormentorum paucitate, commeatuumque inopia laborare intelligerent. Verum inter hæc non una insidebat in Austriaci præconsultoribus sententia. Erant qui toti in reipublicæ christianæ sa-

Hispanorū diversæ sententiæ.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 ſalutem ac decus intenti, minime cunctandum, matureque decreta perficienda cenſerent. Nonnulli ab his diverſi, de reverſione tantum cogitabant; ac, ne vergente in hyemem autumno, aliquid moliretur, Auſtriaco denuntiabant. Ex ea animorum fluctuatione neque decem peditum millia, uti ſtatutum fuerat, emittebantur, neque Navarinum tentabatur.

Joſeph Bonus militarem machinam inſtruit.

Interea Joſeph Bonus, molitionum extruendarum peritus, novam machinam commentus eſt, in qua, triremibus quatuor connexis, decem majora tormenta imponerentur, quibus dum Divi Nicolai arx quateretur, fœderati tuto in freto hoſtilem claſſem invaderent. Ob id Venetæ triremes tres, ac pontificia, Pacis nomine nuncupata, armamentis nudantur; licet poſtea, ne immani magnitudine motui minus apta fatiſceret, duæ tantummodo triremes adhiberentur. Has, hinc dextero, inde lævo latere complanatis, arcte connectunt, malis, antemnis, trabibus diſpoſitis, craſſiſſimiſque funibus, qui ſubter aquam delati carinas complectebantur, conſtringunt. Ac ne ſiniſtra triremis, in qua e terra propugnacula conficienda erant, ſuo pondere lævam deprimeret, occluſis doliis, ſabuloque intra contabulata immiſſo, æqua lance libratis, propugnaculum in læva ſecundum longitudinem altitudine novem, craſſitudine decem & octo pedum excitant; atque ex arte ſex locis in quibus tormenta cum vehiculis ſtatuerentur, diſtinguunt. Ea ut ejaculationum impetu retrorſum acta ſiſterentur, præter firmiſſima retinacula, in exteriori dexteri navigii latere ſcalis vinctis, repagula ad excipiendum impetum conficiunt, & ad machinam ſuſtinendam circumquaque bene compacta, atque clauſa dolia triremibus confixa adhibent. Valde machinæ ratione Auſtriacus oblectabatur; Columna, ut illi gratificaretur, humo propugnacula infarcienda curavit. Verum cito Fuſcarenus, quam parum in ea præſidii foret, cognovit. Perraro enim accidit, ut ſolertis ingenii nova excogitata, quamvis ſtatim ad capiendos animos inuſitata rei ſpecie magnam vim habeant, pares exitus ſortiantur.

Dum e Zacyntho triremes ac naves expectantur, machinæque perficiendæ incumbitur, quotidie aquandi cauſa ad propinquum amnem, non abſque hoſtium detrimento ac cæde decertabatur; qui cum noſtros arcere non poſſent, de fluminis cur-

curſu avertendo cogitabant: ſed ne rem conficerent, propin- 1572
quorum montium cacumina obſtitere. Interim vero, ne ad pugnam cogerentur, obſepire in fretum iter munitionibus tormentiſque adnitebantur. At navibus Navarinum delatis, denuo de exponendo peditatu, atque eodem tempore de invadenda claſſe ab ea parte, qua Divi Nicolai arx ſita eſt, agitatum. Tum acrius, qui diſceſſum Auſtriaco ſuadebant, urgere: *Nautici panis anguſtiam, quæ in dies magis magiſque augeretur,* obtendere; *hoſtes peditatu, atque equitatu augeri; Græciæ Beglerbegum cum viginti equitum millibus ad Methonem ſubſidio firmandam properare; nil ante ejus adventum ad exitum perduci poſſe; eo vero accedente, inglorium abſcedere, parum existimationi conſentaneum eſse.* His mirum in modum Veneti imperatoris animus excruciabatur: *Nihil tanto virium apparatui, nihil Europæ Principum expectationi quod reſpondeat, actum; tempus inutili cunctatione, diſceptationibus, altercationibuſque inſumptum: nunc, cum reliqua deſierint, commeatuum inopiam cauſari; in arcto res non adeo eſse, ut omnino diſcedendum foret, Navarinique tutiſſimus portus aquationi, lignationi, cunctiſque claſſi exercituique neceſsariis opportunus deſereretur: Methonis oppugnandæ, invadendæque claſſis nuper capta conſilia mirifice ea loci opportunitate adjuvari; e Meſſana navigia pane nautico onuſta expectari: an vero liberum turcicæ claſſi iter Byzantium relinquendum, ut vere novo animis, viribuſque audacior effectus hoſtis inſurgat? cur ſuſceptum ſemel de prælio ineundo ſententia immutaretur? an vani adhuc Beglierbego Græciæ rumores perterrefacerent, quem procul abeſse conſtaret? præſenti occaſione utendum, ne partam ſuperiori anno virtute ac ſanguine ingentem victoriam, noſtris diſſidiis, parumque coaleſcentibus animis corrumpamus.* Tantum Fuſcareni oratio poterat, ut, reliquis imperatoribus in ſuam ſententiam perductis, extructam machinam (licet parum adjumenti allatura exiſtimaretur) Divi Nicolai arci admoveri jusſerint, fauces ingreſſi commorantem ad litus turcicam claſſem adoriri decreverint, quam vel a litore digreſſam certamine, explorata prope fœderatorum victoria initiam, vel metu detrectantem perturbatam, propugnatoribuſque in litus ſeſe ejicientibus vacuam, prædæ ceſſuram arbitrabantur.

Fœderatorii diſceptationes.

An-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 Antequam vero fretum ingrederentur, quindecim peditum millia prope Methonem opportuno ad oppidum classemque oppugnandam loco exponere statuunt. Eo consilio ducum evulgato, regii curatores Austriacum adeunt; affirmant, in quinque tantum ac viginti dies commeatus suppetere, nec ad Messanæ quidem iter suffecturos; proinde de reditu quamcelerrime cogitandum; non iis, quæ multa opera, tempore egerent, vacandum; neque Philippi Regis classem, qua maxime christiana respublica nitebatur, vel famis periculo, vel hosti temere objiciendam: cum præsertim ex ea, quæ singulari studio machina confecta fuerat, nihil emolumenti percipi posset, vel quod nimium depressa, ne undis absumeretur, periculum foret; vel quod non ingesta satis, uti oportuerat, in propugnacula humus fuisset; vel quod, ne crassiorum tormentorum displosione disjecta collaberetur, verendum. Ad hæc, ut e Navarini portu Methone quateretur, tranquillo mari opus esse, quod vel ob cæli tempestates, vel ob anni rationem ambigeretur; insuper profundo nimium prope Divi Nicolai arcem pelago ægre in anchoris loco opportuno, vel ad castellum quatiendum, vel ad hostiles ictus excipiendos posse consistere: neque in postremis complurium virorum fortium, ducumque periculum habendum, qui objectis hosti pectoribus, machinam tutaturi essent, quæ neque velo, aut remis agi, neque temone circumagi apta, triremium remulco, quæ haud dubie hostilibus tormentis objicerentur, indigeret. His permotus Austriacus, quantum panis nautici in Hispanicis triremibus superesset, sedulo inquiri jubet.

Hispani Austriacis ad profectiorum in occidentem hortantur.

Fuscarenus nihil omittit, quo Austriaci præconsultores, qui ad præclare bellum administrandum propensi erant, in officio contineat. Commeatuum, qui brevi cum Messana, tum Venetiis expectabantur, spe sustentat: quidquid annonæ in Venetorum classe sit, cum Hispanis commune habiturum pollicetur. Rogat, obtestatur, ut, tandem omni deposita mora, prælio cum hoste decernatur. *Turcas Methonis mœnibus, litoribusque protectos delitescere: non numero, non viribus pollere; torpore quodam ac veluti veterno obsessos, nostrorum conspectum, fulgentiaque arma non toleraturos. Quid indignius, quam, ad Navarinum fœderatis commorantibus, illis impune reditum in Hellespontum permittere, quorum classis oppleta funeribus, commeatu egens, paucis triremibus exceptis, vel nostris, vel maritimarum tempestatum opportunitate, Uluzzalio duce, quem iidem Turcæ odissent, fugam capturis, citra pugnam dissipari, atque opprimi posset?* Verum licet Austriaci ingens gloriæ cupido accenderet animum; attamen quo minus expedite in publicum bonum incumberet, ab iis, quos sibi Philippus præconsultores dederat, detinebatur. Ac dum frustra commeatus absumuntur, tempusque teritur, Græciæ Beglerbegus cum copiis appropinquabat: jamque complures e Sophia equites haud longius quam mille ac quingentos passus a litoribus castra locaverant, quotidieque usque ad amnem, ex quo a nostris aqua hauriebatur, procursabant. Duodecim peditum millia in tria distincta agmina iis objecta sunt. Italis, qui Regi militabant, Paulus Jordanus Ursinus, Hispanis Franciscus Landrianus, Venetis Paulus Ursinus præerant, qui Moreto Calabro ad tumulum oppido propinquum capiendum militum manum attribuit. Verum Turcæ micantium undique in planitie ac collibus armorum fulgore, nuperque a Marco Antonio Columna, & Paulo Jordano Ursino illata clade perterriti, propius pedem inferre non ausi sunt.

1572

Sed Beglerbegi copiarum in dies nova accessione, de Methone expugnanda, deque invadenda classe nostrorum irritis consiliis, cuncta ad Navarinum oppugnandum versa sunt, quo opportuno, eodemque amplissimo portu media in Peloponneso potirentur. Impositum est *Navarinum* (priscis Pylum) præcelso ac prærupto jugo. Qua in orientem solem vergit, recto clivo collis in litus desiliens, in arctum isthmum desinit; qua occidentem respicit, mille ferme passus leniter declinans, ad angustum euripum pertinet, qui illum ab scopulo in austrum acute prominente e regione continentis disterminat, minoremque scopulum oppositum, eidem continenti objectum, habet, ex quibus portus fauces constant. Ab isthmo binæ panduntur semitæ, quæ oppidum veluti brachia circumplexæ, ad occidentalem portam media mœnium parte in turris latere sitam junguntur. Dextera ab isthmo ad oppidum via patet; læva ab isthmo non modo, verum etiam e portus litore, quod ab imbre vicinis e montibus humum ac lapides aggerante, æstu

Navarini expugnatio decreta, & ejus situs.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 æstu pelagi reciprocante, seseque objiciente, conficitur. Ejus expeditionis munus ab Austriaco Alexandro Farnesio delatum est. Quinto nonas octobris quinque Hispanorum millia illius auspiciis; Itali pontificii quingenti, Pompejo Columna præfecto; Veneti totidem, qui Moreto Calabro parebant, exscendere sunt jussi. Expositis quin etiam sex muralibus, aliisque minoribus tormentis Gabriel Canalius præficitur.

Alexandro Farnesio Navarini expugnatio concredita.

Ad hostium explorandos animos crebra ejaculatione oppugnatio incipitur: e mœnibus acriter decertatur. Sed cum a dextera lævaque intercludere Turcis iter statutum fuisset, nostrorum incuria, sinistra tantum, quæ & triremibus, & castris satis tuta erat, obsepta est. Itaque Uluzzalius, qui cum duobus partim peditum partim equitum millibus eadem die Methone digrediens, ad isthmum pervenerat, a dextera illatus, turba imbelli inutilique abducta, quadringentos selectos milites in oppidum invexit. Egregiæ virtutis specimen ea die Moretus Calaber dedit, qui omnes ad oppidum aditus nostros occupasse ratus, cum suorum manu se usque ad mœnia intulisset, tumuloque protectus, continenti sclopporum displosione a pinnis, mœnibusque hostes arcere niteretur, improviso a tergo ab Uluzzalii milite, a fronte ab oppidanis ad subsidia excipienda ac tutanda exeuntibus, est interceptus. Sed ne minimum quidem territus, fortiter dimicando, multis hostium cæsis, paucis e suis desideratis, ingruentem impetum sustinuit, in tutumque se recepit. Ex eo eventu magis magisque ad discessum erecti Hispani fremere, subsidio invecto, Turcas rem extracturos, commeatuum inopiam augeri, diutius in ea regione asque periculo consisti non posse. Veneti contra, ne suscepta oppugnatio desereretur, contendere; Navarino capto, annonam e Peloponneso suffecturam; Antistitis illius provinciæ fratrem, aliosque procerum nomine, milites commeatusque affatim offerre: Navarini obsidione hostilem classem Methone absumi. Itaque Michael Moncata cum mille ac quingentis Hispanorum peditibus noctu dexterum aditum valde hosti opportunum occupare jubetur. At cum ratio ac tempus perficiendæ rei, discrepantibus sententiis, traheretur, milites exponere, atque in crastinum jussa expectare Moncata præcipitur. Nocte, densissimis imbribus, furente vento,

Moreti Calabri fortitudo in Turcarum impetu sustinendo.

ac

ac frigore, accessu cum tormentis impedito, madefactis ac fessis militibus, alii submittuntur. Verum oppidani nostros nullis protectos munitionibus, quod humus ad aggeres conficiendos deerat, conspicati, summo mane ingentium pilarum e mœnibus emissione, duo majora tormenta prosternunt, quæ in saxorum tumulum impacta, complures e nostris interfecere; Turcæ, qui extra oppidum majori numero excreverant, aditu occupato, Moncatæ conatus irritos fecere. 1572

Cum igitur subsidia a Navarino averti non possent, Austriacus, ac Columna maturare discessum parant, urgentibus præsertim Hispanis, quod, magna planitiei parte tentoriis hostium occupata, certis nuntiis Beglerbegum cito affuturum asserebatur; quod mœnium pars quatienda lapidosa existeret, ac non adeo facile verberationi cessura videretur; quod mœnia humo oppleta objicerentur; denique quod hostes commeatu, ac tormentis instructi, nostros autem, priusquam mœnia subirent, annona defectura esset. At Fuscarenus receptum fœderatis indignum, parum tanto apparatui respondens, improbabat. *Cur enim oppugnationem cœpissent, si eam extemplo deserere statuerant? an non initio ea omnia perpensa, ac discussa esse? an spei, ac pollicitis hæc respondere, quorum universum pene orbem fama repleverant, eo anno Byzantio Turcas ejectum iri? Quid in posterum vel audaciæ, vel fidei in iis futurum, qui ex Selymi ditionibus arma pro fœderati induerant, cum inani expectatione decepti, tot viribus ne parvulum quidem in Peloponneso oppidulum capi potuisse intelligerent? vereri, ne ab eo hoste, quem diu obsederant, pulsos fuisse plerique existimarent, indeque perpetua christianæ classi inusta nota, parta gloria turpi discessu fœdaretur, dum Turcis liberum aditum, Navarino non expugnato permitterent: Beglerbegum forte pertimescerent, qui duo fere millia passuum ab isthmo castrametatus, ex angusto dextero viæ aditu neque suppetias oppido ferre, neque, tot strenuis ac pugnacissimis militibus adversantibus, tutari posset? Panis nautici* [illegible] *inopiam obtenderent, quem paulo ante in mediam fere nonembrem mensem suppetere cognitum fuerat? autumnale bimo, a quinto nempe ad tertium nonas octobris insumptum? propediem navigia commeatu onusta adfutura, ad quorum adventum urgen-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 *gendum triremes ab Auſtriaco obviam miſſæ fuerant? omnia ſibi incommoda una cum Veneta claſſe perpeti ſtatutum eſse potius, quam famæ ac nominis exiſtimationi, quibus præſertim res militaris nitebatur, jacturam faceret.* Hæc a Veneto imperatore vehementi animi ardore diſſerebantur.

Auſtriacus, ne, invitis Venetis, diſceſſum moliri videretur, humaniſſimis verbis uſus, repugnantem ac fere coactum ſe id conſilium amplecti fatebatur: *Neceſſitati, cujus in mortalium eventis ingens vis eſset, obtemperandum; non ignorare quantum inde communibus rebus detrimenti accederet, quantum ſibi ipſi de præteritæ gloriæ cumulo adimeretur, dum ſe magni illius Caroli filium primo juventæ flore, militari gloria ſuccenſum, ingenti fama apud cunctas gentes parta, ex ſuperioris anni victoria mortalibus in magnam ſpem erectis, nulla re geſta, in occidentem vela reflectere, neque tam præclaros orſus proſequi cuncti intelligerent: ſed quis de ſua vel in commune bonum propenſione, vel de naviter adminiſtrandi belli, hoſtiumque profligandorum ſtudio, quod, præter gloriam, ſummam utilitatem conjunctam habet, ambigere queat? Non ſibi regna, non provincias, non ſubjectos populos, quibus imperitet, eſse: cuncta in ſua dextera, quam & Bætica, & Pelopponeſiaca victoria nobilitaverat, ſita: cur igitur tantis incitatum ſtimulis, non totum in bellum exarſurum? non quæcumque mortalibus cariſſima ſunt, vitam denique ipſam huic decori poſthabiturum exiſtimaret; pro qua nullum periculi genus, non hoſtium tela, non ſudorem, non frigus reformidaſset, ſæpius ſub armis ardentiſſimos ſolis æſtus, noctis vigilias patienter toleraſset; modo aſtu, modo palam ad certamen, uti optime univerſi noverant, barbaros provocaſset? Nunc eo loco res eſse, ut cum ſuæ fidei fœderatam claſſem commiſſam animo cogitaret, ne quid detrimenti acciperet, ſibi ſummopere cavendum arbitraretur: non cum barbarorum telis, non cum maris tempeſtatibus, ac procellis, ſed cum fame luctandum: eo rebus redactis, ut vix paucos dies cibaria tot hominum millibus ſuppeterent. An certæ internecioni regiam claſſem, tot vires, tot apparatus, quibus chriſtiana reſpublica niteretur, objiceret? an nudatas præſidiis tot gentes ac populos acerrimorum hoſtium crudelitati, ac libidini permitteret? Id vero ſumma adſevera-*

tione,

tione, perſancteque Fuſcareno polliceri, obviis in itinere navibus alimenta claſſi ſuppeditantibus, turcicas ſe ditiones adoriturum. Interea rogare, iſtam animi ferociam, atque in hoſtem irruendi cupiditatem comprimeret, neque regiam, ac pontificiam claſsem diutius panis inopia conflictari ſineret: hoſce animos in annum ſequentem reſervaret, quo majori conatu recentioribus viribus, certiori ſpe in pavidos ac conſternatos metu Turcas impetum deſtinaret. Demum, ut qui ab reliquorum ſententia nunquam abhorruerat, nunc a reliquis ne ſejungeretur, obnixe petere, atque obſecrare. His licet Venetus imperator vehementer repugnaret, tamen cum obſiſtere non poſſet, in aliorum ſententiam, ne vulgata ducum diſſenſio communi bono obeſſet, invitus deſcendit. Itaque deductis tormentis, bellica ſoluta machina, milites cum Farneſio, nullo obſiſtente, conſcendunt. 1572

Fœderati Navarini obſidionem deſerunt.

Nondum claſſis e litore ſolverat (octobris nonæ erant, quibus anni elapſi victoriæ dies ſolemni gratulatione recurrebat) cum ab exploratoribus affertur, ab Oenuſa inſula navigium (quod Auſtriaci fuiſſe poſtea compertum eſt) adverſa tempeſtate in Echinadas delatum, Cytheram appuliſſe; ibi fœderata claſſe non inventa, ut ei ſe adjungeret, Pilum petens, vigintiquinque triremium turcicarum manu ab Uluzzalio emiſſa, circumventum oppugnari. Eo nuntio allato, extemplo Auſtriacus profectionis ſigno edi juſſo, galeatiis ac navibus relictis, e portu reliqua raptim ſubſequente claſſe, prodiit; tantumque Methonem ſe intulit, quantum Navarinum intervallo reliquerat. Uluzzalius, ſuarum triremium periculo animadverſo, cum aliis circiter ſeptuaginta ſeſe in noſtrorum conſpectum dedit, eo fortaſſe conſilio, ut in altum elatus, fœderatæ claſſis in turcicas triremes invehentis poſtremam aciem carperet, ſuoſque periculo eriperet; quod ita facturum noſtri ex eo conjectaverant, quod inter Divi Nicolai arcem munitionemque in litore a dextera parte erectam ſubſtitiſſe animadvertiſſent. Auſtriacus una cum Fuſcareno, donec univerſa cogeretur claſſis, ſuoſque in ordines omnes concederent, immobilis ſtetit. Jacobo interea Superantio præcepit, ut a læva, triremium collecto agmine, Uluzzalio ſeſe opponeret; in altum vero Marcum Antonium Columnam, Alvarum Bac-

cia-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 cianum, Antonium Canalium cum alia manu emisit. Superantius ad Methonis portus fauces in barbarorum conspectum illatus, crebra tormentorum ejaculatione contra Uluzzalium magno impetu tendit. Ille tamdiu moratus, dum leviori tantum pugna eminus Superantium depugnaturum arbitraretur, cum supremo prælio commissurum animadvertisset, remigio inhibito, triremibus circumactis, rursus urbis mœnia subiit. At acrius insistens Superantius, continenti machinarum displosione adeo se in portum invexit, ut colubro mœnium urbis partem prosterneret. Austriacum vero cum reliqua regredi classe conspiciens, nihil ab hoste læsus, ad suos revertitur. Diversa ex parte Columna, Baccianus, ac Canalius expeditis cum aliquot triremibus, sese acriter intulere, licet non adeo opportune, ut turcicis vigintiquinque recenti remige instructis, inter Oenusam, Caprariamque insulas receptum impedire possent. Iis intento remigio appropinquantibus, ne quid detrimenti accideret, Fuscarenus cum suarum triremium agmine præsto fuit. Mamutes, Lemni Sangiaccus, Ahenobarbi illius, cujus famam præclara maris facinora nobilitaverant, nepos, nimium navigii velocitati fidens, dum se a navi divelli non patitur, itinere a Bacciano intercluſus, & a latere impetitus, temeritatis, triremi capta, pœnas dedit. Ipse captivi Christiani manu, quem paucis ante diebus per summam contumeliam verberatum vulneraverat, obtruncatur. In vesperam vero vergente die, Austriacus proras Navarinum obvertit, Superantius in Uluzzalium postremo agmini, quod longius se in altum extulerat, hærentem, frontem vertere, donec classis universa cogeretur, jussus; Turcisque inspectantibus, Mamutis triremis, non absque ignominia, abrepta est. A summo mane usque ad solis occasum his pugnæ simulacris, modo sese inferente, modo recipiente hoste, dies extracta.

Mamutis triremis capta & ejus cædes.

Fœderatæ classes Zacynthum proficiscuntur.

Onerariæ, & galeatiæ, quæ in Navarini portu subsistiterant, classes propinquas in procinctu pugnæ esse conspicatæ, sublatis anchoris, e portu egressæ fuerant; in reditu ab Austriaco Zacynthum petere jubentur; ipse eodem cum Fuscareno, universaque classe contendit, ingenti metu levatis Turcis, qui sex dierum spatio, quo Bassa, ac Beglerbegus iis in locis morabantur, ad extremam rerum omnium inopiam redacti, prope spem

spem salutis abjecerant, Uluzzalioque in primis, qui consilii inops, fractus animo, Selymi iras pertimescens, cum sex ac viginti triremibus in Numidiam fugam meditabatur. Fœderati in Zacynthi fretum delati, quod eo anni tempore minus tuta statio videretur, Guiscardum Cephalenes portum petunt. Ibi, coorta tempestate, Fuscareno licet dissuadente (tanta reditus cupido Hispanorum incesserat animos) furenti atque agitato pelago se committunt: vixque occidente sole, in medium Ambracium sinum delati fuerant, cum, nimborum repente exorta vi, colluctantibus ventis, tonitruis, fulminibus, densissimisque imbribus e cælo decidentibus, naves transversæ aguntur; triremes, quæ postremum agmen obtinuerant, rursus in Guiscardum deferuntur; aliæ in altum abripiuntur; nonnullæ, quæ nondum condito sole, in Paxi conspectum venerant, iter Corcyram cœptum persequuntur; pontificia triremis, quam Divi Petri vocabant, inter Paxon & Rillam brevibus illisa est. Nocte media Austriacus, Columna, ac Fuscarenus Gomenitiarum portum tenuere, ibique, quoad triremes reliquæ convenirent, substitere. 1572

Hispanæ classis tempestate jactata.

Interea cum onerarias duas commeatu onustas Corcyram appulisse, aliasque expectari nuntiaretur, Fuscarenus, ne institutum iter prosequantur, sed adhuc aliquid adversus hostem moliantur, hortatur; suadet, onerariis, galeatiis, aliisque relictis impedimentis, ex omni numero centum ac quinquaginta selectis triremibus, remige, milite, bellico apparatu apprime instructis, proculque ab hostium in Peloponneso speculis in altum elatis, Cytheram pergant, Turcas Maleam promontorium transeuntes adoriantur; si prætervectos intellexerint, recta in Hellespontum, aut quo melius visum fuerit, contendant; palantes, metu perculsos improviso facile opprimi posse. Quod ita eventurum fuisse, re ipsa postea constitit. Uluzzalius enim nostros Zacynthum petiisse per exploratores intelligens, perturbata ac fere disjecta classe, Maleam pervenerat; ibique, borea flante, cum promontorium superare non posset, aliquot dies morari coactus fuerat. Ceterum a Fuscareni sententia abhorrens Austriacus, Leucadem potius oppugnandam censebat, quod ab omnibus imparata, cito in potestatem cassura videretur. Dum vero Superantium, qui ad cogendas tempestate jactatas triremes pro-

Naves commeatu onustæ Corcyræ perveniunt. Fuscareni sententia de classe Turcica persequenda.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 fectus fuerat, præstolantur; multa de Leucadis situ, deque iis, quæ ad oppugnationem necessaria erant, disceptantur. Dux Suessanus, Joannes Andreas Auria, Aurelius Fulgosius cum triremibus tredecim, ex altera parte Superantius cum classe reliqua supervenit. Adventu denuo spes revirescere: adhuc hostilem classem, si celeritate utantur, vinci; adhuc Leucadem, aliaque turcicæ ditionis loca peti posse sperabatur. Verum rerum omnium gerendarum spes momento concidit, cum ad urgendam Austriaci profectionem Suessanum venisse vulgaretur.

Venetorum querela ob Hispanorum discessum.

Veneti ingenti dolore perculsi, vix a querelis continere se poterant. Fuscarenus omnes ejus anni successus commemorabat: *Ad Corcyram exitialem Venetæ classis moram, militum ardorem, navalium sociorum robur otio exhaustum; inanem Hispanicæ classis expectationem, duarum ac viginti triremium, quinque peditum millium subsidio, dum maritimæ vires alio aversæ privatis Philippi rebus operam navarent, elusam: nequaquam ob id imminutos Venetorum animos, quin in barbaros numero ac viribus superiores invadendum censerent: victoriam a sociis prope e manibus ereptam; ad Corcyram evocatione, quidquid spei reliquum erat, obtritum: quas primo vere coire fœderis præscripto oportuerat vires, kal. septembris convenisse: sero in orientem profectum: commeatuum obtentu, Navarinum, Methonem, classem hostium relictam: victoria amissa, in hostibus audaciam, in nostris contemptum ac desperationem exortam: Uluzzalium, qui in fuga tantum spem posuerat, fœderatorum discessu sublatum, ovantem cum classe in Hellespontum trajecisse.* Hæc Fuscarenus. Contra Suessanus: *Non levi ex causa, sed belli ingenti suspicione, qua tunc Belgium ac Insubres laborabant, Austriaci adventum, classis conjunctionem aliquantisper dilatam: at fœderatorum commoda animo Philippum volutantem, gallici tumultus, africanarum rerum oblitum, Joanem Austriacum in orientem misisse: militari annona antea insumpta, in eas commeatuum difficultates compulsos: nunc vero quo præcepto militari, propinqua hyeme novas institui oppugnationes? an ea anni tempestate absque tentoriis sub dio in hostico degendum? an ingenti hac classe sibimet oneri futura, maria naviganda? cuncta discessum suadere: ineunte*

unte vere omnia in hostem consilia, omnes impetus dirigendos. 1572
Itaque Austriacus Corcyram delatus, biscocto pane triremibus impositio, Columna ac Fuscareno Buthrotum usque comitantibus, Messanam iter arripuit; ibique, missione Italis peditibus concessa, Hispanis Germanisque, qui supererant, in hyberna missis, Neapolim, in Hispaniam mox trajecturus, contendit. Ea re a Gregorio Pontifice Maximo cognita, ne quæ in sequentem annum paranda erant, mora corrumperentur, Austriacum ab itinere avertit, Columnamque Philippo legavit, ut de rerum præsentium statu edoctum, ad apparatus urgendos impelleret.

Veneti, lustrata ad Corcyram classe, recensitisque copiis, rursus de Leucade invadenda consilio habito, quod res dura admodum appetente hyeme videretur, tandem nihil movendum censuere. Quo tempore Philippi Leonii triremis, cum scriba, ubi tormentarius pulvis asservatur, parva lucerna forte eo ingressus esset, delapsaque favilla, statim tabulata, antemnas, malumque in aerem, incredibili impetu ac strepitu sustulisset, eademque ingenti pondere cecidissent, dissiliit: quadraginta, qui in ea erant, viri interiere. Trierarchus repentino perculsus motu, in mare se ejiciens saluti consuluit, cum reliqui ad Phanum invisendum religionis ergo descendissent. Interim a Fuscareno naves ad cibaria, bellicosque apparatus convehendos in Cretam, Venetias, ac Messanam missæ; ex iis Cypria ingentis magnitudinis, tempestate acta, armamentis perfractis, in Adriaticum sinum abstracta, cum in urbis portum Mocolumis perveniisset, sævius intumescente ac furente mari, abruptis funibus, aquarum vi in brevia, qua altior aqua extabat, compulsa, ex angustiis nulla arte educi potuit. Alia ex parte Thomæ Mauroceni navis fluctibus ac vento jactata, tandem supra Sasonem scopulo illisa est. Joannes Mocenicus, ut præfectorum aliquot, voluntariorumque insignis notæ militum, qui in ea erant, saluti prospiceretur, quæque ex naufragio supererant, recuperarentur, cum quinque triremibus eo proficisci jubetur. Qui in navi erant, ut litoris munitione raptim extructa, armamentis ac machinis navigii adornata, ad hostium impetum excipiendum se egregie comparaverant; at omnes, Mocenico adveniente, Corcyram perdicti sunt.

Philippi Leonii triremis, combusta.

Dum ea æstate vario eventu bellum in oriente administra-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 tur, in Illyrico Cliſſæ oppugnatio tentata eſt. Rem uti evenerit quam breviſſime expediam. Arx expugnationi fere impervia, octo a mari paſſuum millibus, in Spalati finibus, edito ac prærupto monti impoſita eſt, quam avorum noſtrorum ætate Petrus Croſichius obtinebat. Eam poſtea Suleymanus diutina obſidione perdomitam ſuo imperio adjecit. Ad eam occupandam jam tum a belli initio Fuſcarenus, dum legati munere in Illyrico fungeretur, animum adjecerat, quod caput provinciæ eſſet; eaque occupata, ſibi ad univerſam Boſſinæ provinciam obtinendam aditum fore ſperaret. Itaque, Cara Baſſa multis pollicitis ad arcem tradendam illecto, Heſtori Throno, qui antea Jaderæ prætor fuerat, Spalatum miſſo, negotium mandaverat. Fuſcareno vero claſſis imperatori declarato, cum Aloyſius Grimanus in Illyrica legatione ſucceſſiſſet, quacumque ratione Cliſſa potiri enitebatur. Forte noſtris ex circumjecta regione adverſus hoſtes irruentibus, Thronus animadverterat, Cliſſæ propugnatores, quorum pars Turcæ, pars Chriſtiani erant, claſſico incitatos, cunctos fere arce egredi. Eam per inſidias oppidum aggrediendi occaſionem opportunam fore ratus; Muſtaphæ, quem ſibi antea muneribus, promiſſiſque conciliaverat, rem aperit. Ille cum ſociis Moſonem montem quingentis a Cliſſa paſſibus clam inſeſſurum, atque ex ea parte vel aſtu, vel vi portam continenti obverſam, ſi Thronus præſto ei cum militum manu adſit, occupaturum pollicetur. Aloyſius Vendramenus, Hieronymus Cipſius, ac Georgius Julinovichius, qui a Turcis ad noſtros defecerat, ut Muſtapham cum tribus ſociis in Brachiæ inſulam ad colloquium cum Grimano legato adcerſant, mittuntur. Ibi ſingulis conſtitutis, prævalida militum manu triremibus impoſita, ad Scoltam inſulam (abeſt ea quinque a Spalato paſſuum millibus) legatus ſe contulit. Verum Muſtaphas vel difficultate, vel metu ſuorum permotus, re infecta, cum cognatis Spalatum transfugit. Eo eventu nequaquam Thronus deterritus, ſupremam fortunæ aleam experiri ſtatuit: Julinovichium, Vendramenum, Cipſium cum ſelectis quadraginta militibus, ac ſcalis mittit, ut qua parte confragoſior tumulus erat, mœnia ſcandere, & clam oppidum ingredi conentur. Joannem Ceſanam, peditum præfectum, cum armatis trabibus ad portas, muroſque perfringendos idoneis ſubſequi jubet. Ipſe ad arma, & commeatus in Cliſſam, dato ſigno, ex Archiepiſcopi oppido invehendos, opemque ferendam cum equitatu ſubſtitit. Qui primi Cliſſam pervenerant, ſuburbium capiunt, incenduntque; qui cum Ceſana ſubſequebantur, trabibus in itinere relictis, cum poſt exortum ſolis ſuperveniſſent, diſceſſumque meditarentur, eos, re cognita, in ſuburbia redire imperat. Ipſe interim trabes, ſcalas, alioſque apparatus adduci, ut aperta vi oppugnatio inſtitueretur, curat. Parva itaque equitum turma Thronus regreſſus, Dandinum equitem e Tragurio cum militum manu per clivum montis ad ſe venientem offendit, eique per tubicinem, ut Cliſſam celerrime contendat, ſeque cum Ceſana conjungat, præcipit. Verum prædæ cupidine inſolens militum animus cuncta pervertit; nam per Throni ſemitas, e tumulo præda onuſti, vagi palanteſque nullis imperiis, nullo infamiæ metu ſe demiſere. Ita ſæpius Cliſſa irrito conatu, militum, vel metu, vel avaritia tentata.

1572

Haud multo poſt Aloyſius Grimanus legatus ad Macarſcam, Illyrici oppidum, in Reipublicæ limitibus conſtitutum, ex quo ingens mercium copia ex Thracia, Græcia, Epiro, aliiſque turcicis ditionibus in Italiam importatur, occupandam ſe convertit. Ad portum, ſitus ratione inſpecta, colloquioque cum peritis locorum habito, comperit, centum ac viginti paſſuum exciſo ſpatio, Cherſoneſum, qua ſtatio conficitur, abſcindi a continente, atque in inſulæ formam redigi poſſe; eo facto, nullo negotio oppido, ac portu potiturum. Itaque munitionem ad protegendos milites perduci imperat: ei Junium Pompejum, Comitem Veronenſem, militiæ præfecturam gerentem, una cum Joanne Baptiſta Zucco ejus conive, ac Joanne Baptiſta Fusbario Brixienſi, cum cohortibus aliquot, Uſchocorumque manu, in univerſum trecentorum ac quinquaginta præficit. Ipſe Jaderam recentia militum ſubſidia ac foſſores ad opus conficiendum miſſurus revertitur, hoſtes hyemis aſperitate ac nivibus, quæ montium itinera oppleverant, ab ope ſuis ferenda impediri poſſe ratus. Sed vix Jaderam pervenerat, cum repente graviſſimo morbo correptus eſt: dilati in dies apparatus irritum inceptum reddidere. Junius Pompejus de hoſtium adventu certior factus,

Aloyſius Grimanus Macarſcam invadit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1572 ctus, turrem a litore paſſus ſexaginta ad boream cum minori altera ad orientem ſitam, domumque in auſtrum vergentem occupat. Cum reliqua militum manu in Cherſoneſum ſe recipit, ibique raptim propugnaculum, quo ſe tueatur, excitat. Cæli inclementia multi milites abſumpti, ſæpius certamina cum Turcis habita, in quibus militari diſciplina, aſtu, atque animi robore noſtri ſuperiores fuere. Inter hæc duo peditum millia, quæ a præfectis quatuor (*Vaivodas* vocant) ducebantur, ſuperveniunt; adverſus horum impetum munitiones a Grimano inſtitutas noſtri egregie propugnant, Turcas ſexaginta cædunt; reliqui propugnatorum majorem numerum veriti, quod miro artificio haſtas, contos, aliaque id generis arma erigenda in caſtris Junius curaverat, quæ militum quaſſata manu ſpeciem bellatorum oſtentarent, abſcedunt. Ea re noſtrorum aucti animi; Junius in omnia intentus, nihil, quod ad tutandum locum attineret, prætermittebat. Verum cum certis nuntiis perferretur, Cliſſæ ac Neocaſtri præfectos cum octies mille peditibus propediem affuturos, jamque minora tormenta equis impoſita adveherentur; Uſchocis cum aliquot eorum ducibus, aliiſque militibus dilapſis, ingruenti multitudini cedendum exiſtimans, reliquis in Marci Antonii Contareni triremi, qui eo antea ſe contulerat, deductis, Jaderam revertitur. Ita Macarſchæ quoque oppugnatio irrita fuit.

Junii Pom. peji aſtus.

M. D. LXXIII.

1573 CEterum nulla re magis, quam ſociorum ancipiti conſilio Patres angebantur, atque ex iis, quæ acciderant, quantum in fœdere præſidii ſtatuendum eſſet, conjectabant: nil tanta impenſarum mole, tot virium robore, in tanta totius chriſtiani orbis expectatione dignum ſuperiore anno actum; in dies majoribus periculis circumventam Rempublicam contabeſcere; Uluzzalium poſt claſſis chriſtianæ diſceſſum triumphantis ſpecie Byzantium ingreſſum; ingenti maritimarum virium, navigiorumque apparatu vere novo ex Helleſponto proditurum: illos, qui Peloponneſo, ac præcipue ad Tænarium vexilla Reipublicæ extulerant, commotos, inani ſpe deceptos, iterum Turcarum jugum ſubiiſſe. Attamen in

in ſumma temporum difficultate majori conatu ad tuendam 1573
Rempublicam verſi Patres, nihil, quod ad reparandas in ſequentem annum vires attineret, prætermittebant. Gregoriumque Summum Pontificem cum per ordinarium oratorem, tum per extra ordinem quatuor Senatorum legationem, qui tunc Romæ ſummam ei dignitatem gratulaturi profecti fuerant, urgebant, ut chriſtianæ reipublicæ ſtatum intuitus, ingruentibus ab acerrimo hoſte periculis obſiſteret: *Ni res meliori conſilio adminiſtrentur, nihil in commune bonum ſperari poſſe: a Pilo, Venetis reluctantibus, diſceſſu victoriam, quæ manibus tenebatur, interceptam: barbaros, qui cunctando fame vinci poterant, incolumes abire permiſſos. Quid in poſterum ſibi Veneti polliceantur, qui, ſpreta pace, in eos bellorum fluctus pro chriſtiana dignitate, pro religione ſe demiſiſſent?* His permotus Pontifex, Claudium Gonzagam Cubicularium in Siciliam ad Joannem Auſtriacum proficiſci juſſit, qui ut Meſſanæ ſubſiſteret, ibique Regis mandata opperiretur, quo, ſe quamprimum appetente vere jungere ſociis poſſet, hortaretur: ob id quoque Lanciani Epiſcopum in Hiſpaniam miſit. Verum Philippus jam Veneto oratori, ac Gregorii legato, nolle ſe longius claſſem a ſuis ditionibus hyemare, ſignificaverat. Itaque inſtitutum Auſtriacus iter tenuit.

Claudius Gonzaga ad Auſtriacum.

Lanciani Epiſcopus a Pontifice in Hiſpaniam mittuntur.

Sebaſtiano Venerio, imperatori, poſt duos annos, quibus magiſtratum geſſerat, in patriam reditus S. C. decretus eſt, eique ad divi Antonii phanum, in extrema urbis parte non longe a litore ſitum, quinquaginta ſenatorii ordinis, oſtro ac purpura induti, obviam ire juſſi. Iis comitantibus, cum prætoria ad forum delatus, incredibili totius effuſæ civitatis plauſu, a purpuratis patriciis inter acclamantis populi lætas voces perhonorifice exceptus eſt, Turcarum exuviis, captivis, armis, vexillis, quæ antecedebant, ſpectaculi ſplendorem augentibus. Ipſe imperatoria chlamyde ad humeros fibulis aureis diſtincta amictus, oris totiuſque corporis ſpecie verendus, circumfuſa undique turba, incedens, ad auream baſilicam deducitur. Mocenicus Princeps una cum Senatu ad templi fores ſuſcepit, fauſtum, felicemque in patriam reditum, partamque victoriam gratulati. Miſſarum ſacra ſolemni ritu celebrata, dies multa letitiæ ſignis exacta, in omniumque animis præteritarum rerum feliciter geſta-

Sebaſtianus Venerius in patriam rediens honorifice excipitur.

rum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1573 rum memoria renovata, acrioresque ad bellum subditæ faces sunt. Delectus militum tota Italia haberi jussum: conscripta fuere peditum duodecim millia. In Cretam aliaque maritima loca bellici apparatus omnis generis transmissi. Quinque majores triremes armari, quæ undecim summam conficerent, decretum; iis Antonius Bragadenus, Francisci Duodi decumbentis loco, præfectus creatus. Triginta triremium numero classem augeri latum, quibus maritimarum rerum disciplina clarissimi cives a Senatu gubernatores dati.

Venetorum bellici apparatus.

Antonius Bragadenus quinqueremium præfectus.

Dum hæc geruntur, Ascrivium obsidione urgere Turcæ statuunt. Est ea urbs (ut alibi diximus) in intimo Rhizonici sinus recessu sita, ad Epirum, circumjectasque regiones perdomandas valde opportuna: sæpius vel insidiis, vel vi a Turcis irrito conatu tentata fuerat. Quoniam vero nulla e continenti præsidia suppetebant, quod hostico solo circumdata e mari tantum nostris eo aditus pateret, angustias obsidere, munitionesque in litore erigere, quibus ab ope Ascrivienſibus ferenda prohiberentur, adnixi fuerant; Venetisque obsistentibus, ad exitum opus perducere nequiverant. Verum cum *Ducatus*, ut ajunt, præfectus cum duobus peditum millibus supervenisset, denuo opus aggressi, tribus ab urbe millibus, ad Varbagni promontorium, qua fretum quadraginta passus non amplius patet, munitione excitata, omnem nostris aditum Ascrivio subveniendi intercludere nitebantur. Ejus rei nuntio ad Patres delato, præcipue in ea regione urbis periculo animadverso, statim Senatusconsulto Fuscareno imperatori mandant, ut erectam munitionem evertere, hostesque loco pellere omni studio contendat. Jacobo Superantio legato negotium Fuscarenus committit. Is, Paulo Ursino, Pompejo Columna, Moreto Calabro rerum militarium peritissimis accitis, cum longis navibus duabus ac viginti, quinqueremibus sex, in quibus quatuor peditum millia imponit, in itinere Nicolao Suriano, Adriatici præfecto, cum triremibus quatuor sibi adjuncto, ad Rhizonici sinus fauces provehitur. Janizzam delatus, magnam militum manum exscendere jubet. Columna, ut Neocastri propugnatores ab ope iis, qui Varbagni munitionem tuebantur, avertat, editiorem tumulum occupat. Eodem tempore Nicolaus Gambara, Brixiensi illustri familia ortus, ad Zachariam Salomonium, Ascrivii legatum, qui ab op-

Varbagni munitio a Turcis exstructa.

oppido præsidia militum, atque incolarum copias ducebat, excipiendum contendit. Superantius cum selectis triremibus octodecim fretum ingressus, munitionemque (nequicquam hoste tormenta in classem intorquente) prætervectus, terra marique oppugnationem instituit. Centum ac quinquaginta passus totius munitionis ambitus, quam in quadranguli formam excitarant, complectebatur. Miro artificio, immani crassitudine quernis tignis confecta erat, ea ratione connexis ac colligatis, ut duplici structa ordine, humo aliarumque rerum materia oppleta, sese in planitiem tolleret; atque inde ad propugnatores tuendos aggeres assurgerent: tormentis quaquaversum ad triremes lacessendas dispositis, bellatores ducenti præsidio erant. Postridie, quam eo pervenerant, magno impetu verberatio incipitur. Exinde milites, admotis scalis, ascensum moliri, atque irrumpere conantur. Turcæ, cum impetum diutius sustinere non possent, perturbati ac perterriti dilabuntur, nulloque negotio munitione nostri potiuntur; potiti, suffossis cuniculis, tormentarioque pulvere infertis, subdito igne, a fundamentis disjiciunt atque excindunt. Decem & octo majora, complura minora tormenta in Venetorum potestatem pervenere. Re feliciter confecta, Ascrivio munito, ingenti cum laude Corcyram Superantius revertitur. In ea oppugnatione Joannes Baptista Quirinus pila ex hostili tormento emissa graviter femur ictus, claudum latus fortitudinis pietatisque in patriam argumentum in reliqua vita ostentavit.

1573 *Jacobus Superantius Varbagnum oppugnat.*

Varbagnum a Superantio captum & dirutum.

Ceterum ingens solicitudo mortales incesserat, quisnam eo anno belli exitus futurus esset, cum summos ex utraque parte apparatus fieri per omnem Europam percrebresceret. Selymus post amissam ad Echinadas classem (ut sunt ingenia hausta ferè gentis vires) maritimum robur magno conatu instauraverat, ac quadringenta varii generis navigia eo anno Ulizzalii auspiciis emissurus ferebatur, peditatu, atque equitatu copias terrestres auxerat, Creticamque expeditionem suscepturum vulgabatur. Fœderati, ut impetum hostis sustinerent, atque aliquid superiori victoria haud indignum aggrederentur, de classis & copiarum incremento Romæ agitabant. Idque erat omnium consilium, ut res trecentis triremibus, militum sexaginta millibus gererentur; quacumque ratione Cæsar, Galliæ, ac Sarmatiæ

Turcarum bellici apparatus.

Fœderatorū de bello instaurando consilia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1573 tiæ Reges, Moſcoviæ Dux ad fœdus allicerentur. Veneto oratori placebat, ut, vere novo triremibus centum præmiſſis, in hoſtium ditiones impetus fieret: eo conatu & noſtrorum animos ad præclara quæque accendi, hoſtium deprimi poſſe. Multis enim nuntiis perferebatur, ut Cretæ ſubſidia interverterent, maritimaſque Venetorum oras incendiis, ac depopulationibus afficerent, Turcas citius atque aſſueverant, Helleſponto exituros. Verum id conſilium, licet militari prudentia innixum, amplecti reliqui noluere, quod pertimeſcendum dicerent, ne, ſejunctis ſociorum viribus, Turcæ audentiores facti, medio aliquo loco occupato, & fœderatis ſe conjungendi facultatem adimerent, & cunctos eorum conatus aut debilitarent, aut perverterent. At dum tutiora conſilia ſpecioſis (ut ajebant) anteponenda diſſererent, aſſueta cunctatione res extrahebantur; nihil certi conſtituto, maximis cuncta difficultatibus involvebantur, cum in aprilem menſem claſſium conjunctionem differendam Hiſpani contenderent, non ſine ingenti Venetorum moleſtia, quod Cretæ regnum, firmiſſimum chriſtianæ reipublicæ propugnaculum, certo diſcrimini objiciendum intelligerent.

Quocirca ne in tot anfractibus quidquam, quod a prudentia auxilium peti poſſet, omitterent, militum ſupplementa urgebant, oppidorum atque arcium præſidia augebant, ſedulo claſſem inſtaurabant, pecunias undique in immanes ſumptus erogandas corrogabant; a Gregorio petebant, ut eccleſiaſticorum bonorum venditione, aliave ratione feſſæ Reipublicæ exinanito ærario ſuccurreret. Verum Pontifex ab iis, ex quibus majora ſubſidia hauriri poterant, averſus, centena tantum aureorum millia in Venetis ditionibus ex ſacerdotum decumis colligenda Senatui conceſſit. Quapropter quotidie impenſis in immenſum creſcentibus, dies noctesque quanam ratione grave belli pondus, quod ſoli fere ſubire cogebantur, ſuſtinerent, Patres agitabant. Iiſque, qui mutuum Reipublicæ exhibentes in publicum pecunias conferebant, magna fœnora rependebantur; jamque e civium tantum opibus cuncta pendebant, ea quoque ſpe irrita, qua Senatus ſperabat, fore ut, ſubductis rationibus, pro iis ſumptibus, quæ ante ſociarum virium conjunctionem fecerat, ex Pii ſententia Hiſpani ſatis Reipublicæ facerent. Nam Gregorius Regi obſequendo, rem,

Gregorius Pontifex ſubſidia eccleſiaſtica Venetis concedit.

ex

ex quo tempore claſſes coiverant ad calculos redigere ſtatuerat, unde Reſpublica haud exiguam auri vim Hiſpanis debitura videbatur; licet quam rationi adverſum eſſet, ut diligentiæ, qua claſſem primo vere ad Corcyram Veneti miſerant, pœnas luerent, animadvertens, a judicio abſtineret, totumque negotium Cardinalibus permitteret; qui Philippi offenſam, a quo innumeris beneficiis ac dignitatibus exornabantur, veriti, adverſus ipſum (uti æquum videbatur) ſententiam ferre detrectabant. In hac rerum, & conſiliorum perplexitate cum undique ingenti periculorum mole preſſam Rempulicam, ingentes hoſtium vires, ambigua ſociorum auxilia, Pontificem, in quo magnum præſidium ſtatuendum cenſuerant, parum ſuis faventem rebus Patres intelligerent; ſi qua ratione e tot fluctibus emergerent, ſedulo inquirebant. 1573

Neque id difficile admodum fore arbitrabantur. Nam Mehemetes bellum pertæſus, incertos martis eventus, Chriſtianorum apparatus, qui fama augebantur, veritus, ſæpius de concordia ineunda per internuntios cum Marco Antonio Barbaro colloquia ſeruerat, ſequeſtroſque Orembejum, majorem interpretem, ac Salomonem, Judæum genere, profeſſione medicum, adhibuerat. Itaque Senatus, qui atroci tempeſtate, ac procella jactatæ Reipublicæ non conſilio, non viribus, non ſanguine denique ipſo ac vita defuerat, aliquantiſper cedendum ratus, ad pacis nomen animos flectere cœpit. Negotium quo ſecretius perfici poſſit, a Decemviris ſuſcipitur; datis ad Barbarum legatum literis, quibus conficiendæ pacis mandata continebantur. Conſilii Aquenſis, Caroli Regis legatus, qui nuper a Selymo reverſus, in urbe morabatur, particeps efficitur, cui a Rege injunctum fuerat, ut iterum Byzantium petens, pro concordia, quantum in ſe eſſet, enitteretur. Verum, ejus itineris rumore Byzantium perlato, majorum rerum ſpe ſublatis Turcarum animis, negotia Barbari refrixere. Non enim deerant, qui occulte in bellum propenſi, vafra diſſimulatione a pacis ſtudio Regis animum averterè conarentur. Poſt tot terra, marique apparatus, poſt excuſſas immenſi imperii provincias urbeſque, exhauſtas tributis gentes, ingentem claſſem ſummo nixu confectam, neque commodum, neque decorum videri, tantarum rerum fructus

Veneti ad pacem cum Turcis ineundam animum adjiciunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1573 ctus intercipere. Itaque duriora in dies proponebantur. Legatus domi incluſus, arcta cuſtodia detinebatur, vel ut occultiora ab eo Senatus mandata extorquerent, vel ut a Galli colloquio abſtracto, allatas (ut rebantur) ab eo concordiæ novas conditiones pernoſcerent.

Verum cum ſtatim nihil præcipue Aquenſi commiſſum cognoviſſent, Mehemetemque haud inanis ſuſpicio invaſiſſet, Gallos in concordiæ negotio id tantum ſpectare, ut Turcarum gratiam in evehendo Andegavenſi Duce, Caroli fratre, ad Sarmatiæ regnum promererentur, rurſus cum Barbaro tranſegere, variiſque hinc atque inde agitatis, tandem menſe martio in has conditiones pax eſt ſancita. Præcipuæ fuere: *Ut Suppotum Turcis reſtitueretur: Reliqua Epiri, atque Illyrici oppida cum agris ac finibus, quos ante bellum obtinebant, in eorum, qui tunc poſſidebant, poteſtate permanerent. Negotiatoribus bona, quæ bello adempta fuerant, utrinque redderentur. Per triennium Byzantium centum aureorum millia ad Selymum ſingulis annis tranſmitterentur.* In has conditiones pactam, atque a Rege ſubſignatam pacem Marcus Antonius Barbarus legatus per Franciſcum filium citato itinere Venetias miſit. Quo ſtatim in Principis aulam introducto, legatique perlectis literis, effuſum late per univerſam civitatem pacis nomen intonuit: varioque affectu perculſæ fuere mentes. Nam quod id negotium ſecreto agitatum fuerat, rei novitate in diverſa hominum animi impellebantur.

Pax inter Venetos & Turcas, & ejus pacta.

Franciſcus Barbarus, Marci Antonii filius, pacem obſignatam Venetias perfert.

Erant, qui repente ſpes eximias ſucciſas arbitrarentur; præclara initia infauſtos exitus excepiſſe; glorioſum partæ victoriæ decus obſcuratum, noſtræque ætatis Principes vel æmulatione, vel livore occæcatos, præfulgidam facem ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio oblatam ne reſpexiſſe quidem, conquererentur. Erant, qui ſerius humanarum rerum eventus metientes, factam a Venetis cum potentiſſimo hoſte pacem non improbarent: nihil, quod ad Turcas debellandos attineret, a Republica prætermiſſum: non immanitati ſumptuum parcitum: multo ampliora, quam fœderis legibus tenerentur, præſtita: cum Cyprus defendi poterat, ſocios adventum diſtuliſſe, ob id Leucoſſiam amiſſam: claſſi ad Jaderam commoranti exitialem cunctationem, teterrimam luem, & vaſtitatem intuliſſe: ex

ex victoria, Divino potius quam humano conſilio parta, quid vel exigui fructus extitiſſe? in ipſa agendarum rerum opportunitate magnam æſtatis partem, prius quam Hiſpani moverent, inſumptam: Auſtriacum, cum Cytheram tuto progredi poſſet, Fuſcarenum, & Columnam revocaſſe: hoſtes ad Methonem ac Pylum prope fame enectos ac victos dimiſiſſe: conſulto inanibus diſceptationibus tempus obtritum, ut Venetorum exhauſtis viribus, nonnihil de priſtino Reipublicæ decore ac virtute deperiret: centies vicies centena aureorum millia abſumpta. Quid igitur, tot circumventa periculis, incerta ac fluxa ſociorum fide, Reſpublica faceret? niſi ut labentibus rebus ſuccurreret, populorum ſaluti, atque incolumitati proſpiceret; imperium maritimum, quod haud dubie propugnaculum reipublicæ chriſtianæ exiſtimaretur, ex avidiſſimis hoſtium faucibus eriperet? 1573

Verumtamen cum ſtatim Senatus Paulo Theupolo per diſpoſitos equos Romam pacis nuntium miſiſſet, quæque ad id conſilium impulerant, Gregorio ſignificare juſſiſset, iſque extra urbem animi cauſa in Altempſij rure moraretur; confeſtim eo ſe Theupolus contulit, atque, ut in re gravi opus erat, ab iis orſus, quæ Veneti toto triennio pro Reipublicæ dignitate, pro chriſtiani nominis gloria egerant, cum ſenſim ad rerum præſentem ſtatum perveniſſet, tandemque quo ejus flecteretur oratio, Gregorius animadvertiſſet, repentino irarum fluctu perturbatus atque exæſtuans, repulit, Reipublicæque cauſam tueri aggredientem, profari vetuit; acerbiſſimiſque verbis a ſuo illum conſpectu ut moveri præcepit. Ille, ut erat incredibili ingenii dexteritate atque eloquentia, fruſtra exaſperatum Pontificis animum mollire adnixus, diſcedit. Nec deerant, qui ſeverius aliquid in Venetos decreturum Gregorium exiſtimarent; atque, ut plerumque contingit, Principis ſententiæ plebem adſtipulari. Nemo Romæ erat, qui Venetum nomen probris maledictiſque non inceſſeret, atque petulanter carperet; vt legato, ne quid in ſe ab inſano populo committeretur, ædes armatis firmare ac ſtipare neceſſe fuerit; compluresque e Romanis proceribus propenſo in Rempublicam animo, Theupolum adirent, eique ad dignitatem decuſque Senatus tuendum promptiſſimos animos offerrent.

Gregorius Pontifex pacis nuntio valde perturbatur.

Vulgi quoque in Germania ac Hiſpania haud abſimilis animorum habitus cernebatur, licet Philippus de inita concordia certior

Philippi Regis moderatio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1573 tior factus, ne minimum quidem commotus, quidquid decretum fuiſſet, id a ſumma prudentia profectum arbitrari ſignificaret; graviſſimiſque rationibus impulſum eo deveniſſe Senatum cenſere; ſibique polliceri, pro iis, quæ pro Republica geſſerat, ſi ſe obtuliſſet occaſio, a Venetis ſibi gratiam repenſum iri. Verumtamen Pontifex nullis neque officiis, neque precibus flecti poterat; nihil promeritum, ut, ſe inconſulto atque inſcio, pax cum chriſtianæ reipublicæ acerrimo hoſte ſanciretur; atque ut juſtæ & graves cauſæ eſſent, quibus non immerito Hiſpanorum artes, cunctationes, dilata auxilia conqueri Reſpublica poſſet; quid in ſe culpæ eſſe, qui ſummo ardore in fœdere retinendo, ac conſervando elaboraſſet? qui nullum officii genus, ut Principes chriſtianos ad ſocietatem ineundam inflammaret, prætermiſiſſet? Sed Theupolus, cui adhuc ad Pontificem acceſsus, de more, non patebat, cum Novocomeſi Cardinali, in quo uno totius fere pontificatus pondus reſidebat, id ſedulo agebat, ut quam gravibus ac neceſsariis cauſis ad pacem amplectendam Senatus impulſus fuiſſet, comprobaret: *Nunquam majori ſtudio Venetos poſt hominum memoriam ad bellum cum potentiſſima gente deveniſſe; nunquam majores apparatus ediſſe; acrius nunquam pro libertate, pro gloria, totiuſque chriſtianæ reipublicæ dignitate decertaſſe: ſæpius pacis oblatas conditiones rejeciſſe, irreconciliabiles inimicitias mente geſſiſſe, & triremium numerum, & militum copiam ſupra fœderis conditiones præſtitiſſe: primo veris tempore in promptu ſemper cuncta extitiſſe: quid contra reliqui fecerint, ita (ut ne verbis quidem opus eſſet) conſtare, nihil ex præſcripto fœderis actum: auxilia in autumnum prolata; enerves Reipublicæ vires inutili ad Faderam & Corcyram mora redditas; Dei potius ac Superum benignitate, quam conſtanti animo in hoſtem pugnatum: victoriam certe relatam: at quo fructu? dum tempus, quo fortuna virtuti pandere ſinum videbatur, adeſſet, in hyberna Hiſpanos conceſſiſſe: ineunte inſequentis anni vere, nihil expeditum: vel Gallici, vel Belgici belli ſuſpicionibus, claſſem regiam Meſſanæ detentam: duas ac viginti tantummodo ſub Gildandrada triremes ſubmiſſas: a bello in oriente adverſus Turcas gerendo duces Corcyram abſtractos: mox cum omni virium robore denuo in hoſtem itum eſſet; trepidum, animique ſuperioris pavore percuſſum Uluzzalium obteri atque deleri potuiſſe: jam prope hærentem victoriam turpiter amiſ-*

Pauli Theupoli oratoris ad Novocomeſi Cardinali officium.

amiſsam: fruſtra Methonem, fruſtra Pilum oppugnata: in medio conatu, cibariorum inopiæ obtentu, diſceſsum Hiſpanos molitos: ovantem Turcam Byzantium ingreſsum: terra marique ingentem virium molem comparare: Cretæ, Zacynthi, Cephalenes, atque aliarum Reipublicæ maritimarum urbium exitium meditari: quod haud longe abfore, an dubium iis eſse poſset, qui ſine livore hucuſque acta ſedulo inſpexiſsent? ac ſuperiori anno ad quinquaginta tantum dies ſocias vires conjunctas animadvertiſset? an vero tot ingruentium periculorum cumulo Reipublicæ prudentia non obſiſteret? an non imperium maritimum, virtute ac ſanguine majorum partum, non tueretur? Quid, Creta amiſsa, quod Aegæi non modo, ſe totius mediterranei propugnaculum adverſus fidei chriſtianæ hoſtes præcipue objicitur, vel timendum, vel ſperandum foret, Pontifex reputaret: ingentes ſumptus toto hoc triennio a Venetis factos, exhauſtum ærarium, exinanitas civium opes, eoque cuncta redacta eſse, ut niſi lapſis prope rebus Patrum virtus opem tuliſset, aliquid gravius accidere ſummo totius reipublicæ chriſtianæ detrimento potuiſset: nihil magis Pontifici, Apoſtolicæque Sedi conducere, quam, ut ea ſervetur Reſpublica, quæ inſigni pietate, haud contemnendis viribus, ſuorum civium ſanguine chriſtianam religionem, pontificiamque dignitatem defenderit, ornaverit, auxerit. 1573

Hæc variis cum Novocomenſi agitata ſermonibus, in illius animum immiſſa (ea eſt veritatis vis) aliquantiſper initio reluctantem permovere. *Non inficias ire* (inquit) *in nonnullis ab Hiſpanis adverſus leges fœderis, non ex Regis mente, ſed ex temporum malignitate actum. At eo præcipue Pontificem conqueri, quod, re non communicata, pacem Senatus, nulla neque auctoritatis nec dignitatis illius habita ratione, ſanxiſset.* Ad ea Theupolus, ne minimum quidem Pontifici detractum ob id Senatum voluiſſe: rei gerendæ rationes ita poſtulaſſe, ne vulgatum negotium magno detrimento interturbaretur, ſevioribuſque procellis ac fluctibus Reſpublica implicaretur. Tum Novocomenſis, oratori ſuaderet, ut aliqua placandi, Reipublicæque conciliandi Pontificis via iniretur. Ab ea cum averſum minime Senatum fore Theupolus affirmaret, tum Cardinalis legationis flecti, atque ad priſtinam in Rempublicam benevolentiam adigi poſſe in primis ſperare. Jam enim haud levi ſuſpicione Gregorii animus jactabatur, ne prædu-

ro

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1573 ro ac nimis difficili in Venetos animo a se eos alienos redderet; simulque verebatur, ne iniquioribus conditionibus pacem cum hoste firmassent, minusque in posterum ad arma suscipienda alacres forent. Quæ res pristinam ejus severitatem compescuit, cum præsertim intelligeret, quæ Senatus vi ac necessitate egisset, ab ea hominum conditione non improbari, qui & præteritorum memoria, & usu rerum haud obscuræ prudentiæ laudem nacti essent. Ea cum per Theupoli oratoris literas Venetias perferrentur, Patres impulere, ut Senatus consulto legatum ad Pontificem decernerent. Fuit is Nicolaus Pontius, Senator insignis, qui per omnes honorum gradus ad procuratoriam dignitatem sublatus, ætatem in Republica administranda cum domi tum foris contriverat; annumque octogesimum excesserat. Is celeriter Romam proficisci jussus, ut, causis, quæ Rempublicam ad pacem amplectendam compulerant, expositis, pacatum Veneto nomini Pontificem redderet. Pontius, charitate in patriam vires corporis superante, delatum sibi onus ita suscepit ac implevit, ut Reipublicæ causam egregie tutatus, nihil a Venetis, nisi mature ac prudenter actum Pontifici suaderet. Erant in eo viro eximiæ animi dotes, artium liberalium ac scientiarum haud vulgaris peritia; rerum experientia ex magistratibus domi, ex legationibus foris gestis insignis; eloquentia admirabilis, ut quamcumque in partem vellet, animos flecteret. Eo audito, senis prudentiam, dicendique vim Gregorius admiratus, id tantum subjecisse fertur, non debuisse Patres eo silentio secum uti, quem Dei Optimi Maximi vices in terris gerentem, cuncta ad christianam rem spectantia noscere oportebat. Postea vero quam, permittente Deo, pax confecta fuerat, nil ultra additurum. Hisce observantiæ atque obsequii officiis Gregorius delinitus, Pontium legatum amplexatus, in pristinam cum Republica gratiam rediit. Joannes quoque Superantius in Hispaniam legatus ad Regem missus, qui pacem ictam nuntiaret, quibusve ad eam perficiendam Senatus ductus esset, rationes exponeret. Eo Philippus hilari fronte excepto, jampridem Venetorum in Republica regenda prudentiam se nosse fassus; quod concordiam cum Turcis sanxissent, sapienter feciſe arbitrari; nullaque apud se excusatione indigere affirmavit; in omni fortuna perpetuam amicitiam, ac benevolentiam suo nomine Reipublicæ polliceatur.

Nicolaus Pontius orator ad Pontif. eligitur.

Ioannes Superantius orator in Hispaniam.

Inter-

Interea Senatus Franciscum Barbarum, legati filium, qui subsignatas a Principe pacis conditiones deferret, Byzantium quam celerrime regredi jussit; ac statim ad eas, de more, solemni ritu confirmandas legatio decreta, Andreæ Baduario delata est. Barbarus maji initio, quatuordecim dierum spatio itinere confecto, opportune Byzantium pervenit, cum de Christianorum apparatu rumoribus in dies glisscentibus, callide de pace Venetos egisse plerique suspicarentur, ut a belli consiliis Turcas abstractos facilius opprimerent, atque eo magis quod de legati itinere nihil certi nuntiabatur. Inde rursus ad exornandam classem (quam, ne interturbandæ pacis occasio esset, Mehemetes varias nectendo moras, eo usque intra Hellespontum continuerat) conversis, mense junio Uluzzalius & Pialis Bassæ, centum ac quinquaginta triremibus, rostratis triginta, maonis decem, Eubœam rei exitum præstolaturi contendere. Cum vero Pialis Baduarium extra ordinem legatum, atque Antonium Theupolum in ordinaria legatione Barbaro suffectum in Illyricum pervenisse cognovisset, statim Methonem se contulit; exinde Apuliæ litora depopulatus, Castro oppido incenso, multas prædas abegit. Neque minus Veneti classis turcicæ egressu variis curis, suspicionibusque jactabantur: infidam gentem, non jurejurando, non religione permotam, quidquid ei satius foret, collibuisseque, acturam. Itaque Fuscareno, qui, sex triremibus Corcyræ relictis, Jaderam cum reliquis petere jubebatur, in patriamque, post egregie Reipublicæ navatam operam reditus permissus fuerat, Senatus consulto prorogatum imperium, atque, navalibus turmis ex decem triremibus, quæ minus aptæ erant, detractis, alias firmare, ac munitiores reddere niteretur, jussum; ut duarum ac nonaginta triremium expeditum numerum ad res agendas adhuc in promptu haberet.

1573 *Franciscus Barbarus rum pace obsignata Byzantium regredi jubetur. Andreas Baduarius legatus ad Selymum elegitur.*

Antonius Theupolus, ordinarius legatus ad Turcas. Turcæ Apuliæ litora diripiunt.

Finis Libri Undecimi.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

Redintegrandi cum Turcis belli suspicio injecta fuerat, cùm Byzantio nunciatum est, pacem Selymum ratam habuisse. Quem metum Hispani copias in Insubria cogentes attulerant, eo brevi civitas liberata est. Henricus III. e Sarmatiae ad avitum Galliae regnum post fratris Caroli obitum profectus, Venetias divertit. Erga tantum hospitem ea, qua par erat, magnificentia exceptum Veneti officiis nullis defuere. Sinani a Turcarum Rege Africana expeditio mandata. Tunetum & Guletam de Hispanis cepit De finibus dirimendis controversiae inter Turcas, Venetosque obortae. Selymus Turcarum Rex fato concessit. Imperium Amurathes filius est adeptus. Controversias de illyricis finibus inter Turcas & Venetos utrique definiendas praefectis suis mandavere. Amurathes, Antonio Theupolo enixe petente, captivos tandem libertati ex conventis restituit. Christianorum in Christianos piraticam exercentium licentia coercita. Genuensium res ob factiones in diversas partes distracta, Pontifice maxime annitente, novis legibus iterum ordinata. Hermolaus Theupolus, ut Uscochorum latrocinia reprimeret, obsidione Seniam cinxit. Henricus Galliae Rex pacem perduellibus petentibus concessit. Venetiis lethalis morbus in ignota praecipuae capita ingruere coepit. Hunc contagione vulgari non posse, cum ex gymnasio Patavino acciti rei medicae doctores acerrime suasissent ac persuassissent, mutuum valentibus aegrisque commercium permissum est. Hinc brevi per totam urbem morbus evagatus. Vota Christo Redemptori ob civitatem pestilentia laborantem a Senatu aede, morbi vis statim remissior esse coepit, mox omnino levata est. Corcyra senatusconsulto praevalidis munitionibus firmata est. Maximiliano Caesari demortuo Rodulphus filius successit. Turcarum Imperator in Persas movens, Venetos belli suspicionibus levavit. Mocenicus Princeps Venetiis vitam amisit. Sebastianus Venerius Princeps renunciatus. Initio ejus principatus aedes publicae magno incendio conflagrarunt. Principis mors statim subsecuta est. Nicolao Pontio suprema dignitas collata. Tergestinorum opera ad salinas aedificandas Justinopolitanus praetor senatusconsulto evertit & complanavit. Praeterea quae in Belgio ab Hispanis, a foederatis in Gallia, a Lusitanis in Africa per ea tempora gesta sunt, breviter narrata continentur. Franciscus, Magnus Hetruriae Dux, Blancam Capelliam, Bartholomaei Patricii Veneti filiam, uxorem duxit. Venetis petentibus, ut Uscochi alio in mediterranea amoverentur, Caesar minime annuit. Dissidia inter Mantuanum Ducem & Rempublicam, ob Mincium in Athesim effundendum, amice statim composita. Philippus Hispaniae Rex Lusitania potitus est. Gregorius Pontifex ab iis, quibus id injunxerat, religiosa loca in Veneta ditione, Senatu dissentiente, invisi praeceperat; eodem consentiente, Augustino Valerio, Veronae Praesuli, rem deinde conficiendam mandavit. Patriarcha Aquilejensis, Joannes Grimanus, adempta sibi, quod falso jactabatur, a Senatu Tageti, ignobilis & exigui feudi, jura apud Pontificem conquestus est. Maximarum hinc dissensionum inter Pontificem ac Venetos jacta semina. Frustra ad eas componendas Galliae, atque Hispaniae Reges operam auctoritatemque suam contulere.

HI-

HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DUODECIMUS.

M. D. LXXIIII.

BElli renovandi suspiciones annus hujus saeculi septuagesimus quartus excepit, cum variis a Byzantio rumoribus perferretur, Selymum majori studio maritimis rebus incumbentem, ducentas ac quinquaginta triremes, maonas triginta primo vere emissurum; quae assuetis Aegaei custodiis, diversique generis navigiis auctae, trecentorum numerum explerent. Jamque constabat, Euboeae, aliisque in locis ingentem nautici panis copiam ad classem alendam comparari; complura navigia in Aegaeum mitti, ut, quae ad tantas vires sustentandas necessaria erant, curarent. Quasnam vero in regiones impetum facturus Selymus esset, adhuc incertum erat. In Cretam inrum alii suspicabantur, quae ob

Belli turcici redintegrandi suspiciones.

1574

 præ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 præteritas clades, nonnullorumque fluxos animos impar ad belli grave adeo pondus ſuſtinendum exiſtimabatur. In ea vero oppugnanda de maris imperio agi certum erat; cum medio ponto jacens inſula, Aegæo non modo, ac Ionio imperitaret, verum Mediterraneo quoque imminere cenſeretur. Erant qui Corcyræ timerent; quod eo, veluti propugnaculo, occupato, ingentia ad Italiam invadendam fundamenta jacerentur. Nec deerant qui Aſcrivium invaſuros Turcas putarent, cum, ut contractam ignominiæ notam, ex Varbagnæ munitionis expugnatione delerent, tum ut Adriatico ſinui frena quadammodo imponerent. Ad hæc conficienda haud magna impedimenta habituros plerique opinabantur, vel ob immenſum prægrandis imperii robur; vel ob pacis fiduciam, qua permoti Veneti, majore claſſis parte exarmata, Fuſcarenum in patriam revocaverant; ab iiſque imparati erant, quibus potentiſſimi hoſtis impetus averti ac retundi potuiſſet: fœdera cum reliquis chriſtianis Principibus, ob pacem abſque eorum conſenſu cum hoſte initam, abrupta; parum ob id propenſos in Rempublicam ſociorum animos.

Veneti ad bellum turcicum excipiendum denuo ſe convertunt. Senatus Pontifici & Hiſpaniæ Regi turcicas res exponit.

His fiebat, ut Patres variis curis diſtenti, vererentur, ne Selymus eo armorum impetum dirigeret, quo facilius & novis acceſſionibus imperium augere, ſitimque dominandi inexplebilem exſaturare poſſet. Itaque priore animi vigore aſſumpto, tamquam haud dubie hoſtem invadentem excepturi, denuo milites conſcribere, claſſem augere, commeatus curare cœpere. In primis vero id neceſſarium arbitrati, ut Pontifex de præſenti rerum ſtatu doceretur, quæ crebris nuntiis quotidie Byzantio afferebantur, Gregorio ſignificant. Verendum eſſe ne tot apparatuum moles denuo in Reipublicæ ditiones, ac præcipue in Cretam decideret, quæ hoc tempore pro vallo chriſtianarum ditionum objiceretur: in ea tuenda communem omnium rem agi; ne Turcæ, ea occupata, in immenſum maritimas vires augeant; mediterraneum ab Helleſponto uſque ad Gades excurrant; ſibique gradum ad Italiam præſtruant, cujus invadendæ deſiderio Ottomani Principes flagrarent. Pontifex, ſi res urgeat, Reipublicæ minime defuturum; auxilium, atque opem quacumque illi ratione laturum pollicetur. Eodem officii genere, Senatu jubente, Laurentius Priolus legatus cum

cum Philippo Rege fungitur; Gregoriuſque enixe per Nuntium a Rege poſtulat: Selymo denuo in Venetos arma vertente, an novo ſe obſtringere fœdere velit: id ni temporis brevitate maturari poſſit, ſaltem claſſe Reipublicæ præſto ſit: non minus eum in Cretæ regno propugnando, quam Venetos, laborare oportere; cum, eo ſtante, tutius & ſine impenſis, Neapolis, atque Siciliæ regna defenderentur. Pontificis petitioni Philippus annuens, claſſe Venetos, quantum poſſit, adjuturum ſpondet. Eadem Laurentio Priolo confirmat. Sub id tempus a Hieronymo Lippomano, apud Henricum, Caroli Gallorum Regis fratrem, qui nuper a proceribus Sarmatiæ Rex declaratus fuerat, Reipublicæ legato, literæ acceptæ: Stephanum Battoreum, Dacorum Regulum, per ſuum apud eumdem Henricum oratorem, illi ſignificaſſe; denuo ad bellum cum Selymo Republica redeunte, in Turcarum ditiones impetum ſe facturum; Laſcum quinetiam Sarmatam, Palatinum Sidarienſem cum quinquaginta millium equitatu turcicos fines ingreſſurum, omnia ferro atque igne demeſſurum, polliceri.

1574

Hieronymi Lippomani, ad Henricum Sarmatiæ Regem electum legati, literæ.

Dacorum Principis pollicita cõtra Turcas.

Interea incredibili celeritate ac ſtudio quæ ad bellum neceſſaria erant, curabantur. Literæ ad Marcum Quirinum claſſis legatum mittuntur, ut Corcyræ, Zacynthi, & Cephalenes quatuor triremium cuſtodiæ, alteras totidem, ac majorem quoque numerum, ſi ita ſibi videatur, adjungat. Magiſtratus, prætores, præfecti ad populos ditioneſque Reipublicæ tuendas, Senatuſconſulto datis literis, incitantur. Lucæ Michaelio, qui ſupremam in Creta præfecturam gerebat, præceptum, ut quatuor triremibus extra ordinem ſenas adjiciat, numerum pro temporis ratione augeat: Venetorum Colonias ſignificet, Reipublicæ ſtatutum eſſe, non pecuniæ, non viribus, non denique vitæ parcere; quantum ſibi vel auctoritatis, vel potentiæ comparaverit, illud omne ad tuitionem nobiliſſimi regni collaturam: Latinum Urſinum totius militiæ præfectum ampliſſimis verbis publico nomine extollet; hortetur, ſi ſe occaſio dederit, virtutis ac fidei teſtimonium Senatui exhibeat, quod, dum in Cretam mitteretur, non minus ab ejus virtute, reique militaris diſciplina, quam a benevolentia, & in Venetum nomen Urſinorum familiæ obſervantia ſibi pollicitus fuiſſet.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 set. Danieli Venerio, Cretæ Duci, Paschali Ciconiæ, Cydoniæ præfecto, qui, furente bello, integritatis ac virtutis laudem in eo munere administrando tulerant, ne regno discederent, injunctum: Ciconia, qui reditum impetraverat, in patriam profecto, Aloysius Justinianus, nuper Dux designatus, in præfectura succederet. Quatuor navigia bellico apparatu, nitrato pulvere, pilarum copia, frumento insuper onusta in Cretam missa. Sforcia Pallavicinus, universæ Venetorum militiæ præfectus, cum duodecim peditum millibus, in quibus cogendis delectus summo studio adhibebatur, ac plerique jam conscenderant, in Cretam trajicere jussus. A Genuensibus per literas petitum, ut Reipublicæ nomine in Cyrno, ac Sardinia mille ac ducentorum peditum delectum haberi permitterent: præfectura Raphaeli Justiniano eorum patricio delata: idque facile impetratum, officii insuper ac benevolentiæ adjectis literis, quibus opes eorum atque subsidia nunquam justius, quam in Veneta Republica defendenda, totius reipublicæ christianæ propugnaculo, impendi posse, significabant. Classem quoque in urbe augeri Senatus statuit: triginta triremium gubernatores creati, imperatoris munus Jacobo Superantio, cujus virtutis opinio rebus anno superiore gestis inclaruerat, tributum. Is tunc summo cum imperio Brixiam, ut insolescentes ac tumultuantes civium animos sedaret, ex quorum factionibus in summa perturbatione civitas versabatur, a Senatu missus, prudentia, & auctoritate initia ac semina dissidiorum sustulerat; eique Senatusconsulto, ut statim ad urbem se conferret, scriptum, ut quamprimum supremum imperium administraturus ad classem proficisceretur. Lucæ Michaelio, in Creta magistratu fere functo, cum extraordinaria ac dictatoria fere auctoritate successorem dari decretum, qui & regnum ab hoste tueretur, & prolapsas res in ordinem redigeret, populos sublevaret, agrestes homines a potentioribus ac divitibus oppressos atque afflictos recrearet. Jacobo Fuscareno, qui nuper cum eximia prudentiæ ac virtutis laude imperatoris munus obiverat, id onus mandatum est, eique amplissima non modo in militaribus rebus auctoritas, sed in iis quoque, quæ ad quietem ac tranquillitatem attinerent, concessa: in omnes quavis dignitate, atque auctoritate pollentes jus vitæ, nec-

Jacobus Superantius classis imper.

Brixiensium dissidia Jacobi Superantii virtute compressa.

Jacobus Fuscarenus legatus cum imperatore in Cretam mittitur.

cisque cum imperatoria potestate tributum, qua majorem Veneto civi impertitam fuisse nusquam homines meminerant. 1574
In eo magistratu gerendo quæ præstiterit, suo loco dicemus.

Cum ancipites animi ex propinquo rerum eventu penderent, atque, ut immanis hostis, frangendæ fidei assuetus, repelleretur, in belli curis versarentur: ecce a Marco Antonio Barbaro, atque ab Andrea Baduario legatis Byzantio literæ adveniunt, tandem superatis difficultatibus, Mehemetis Visiri præsertim auctoritate atque industria, cujus summa in Venetos benevolentia extabat, atque ingenti animi dolore arma in Rempublicam suscepta fuisse senserat, pacem cum Selymo firmatam esse; eique rei non parum Judæi Salomonis operam momenti attulisse. Id ut quamprimum ad Patres perferretur, Marcus Antonius Barbarus Aloysium filium quam citatissimo itinere Venetias misit, qui Principi ac Patribus de imperio retinendo, atque hosti intrepide sese objiciendo in Senatus aula consulentibus concordiæ nuntium attulit. Postridie Senatu habito, de concordia legati Reipublicæ certiores facti, atque rei exitum Regibus exponere sunt jussi; bellique suspicionibus abjectis, qui summo studio apparatus curabantur, intermissi fuerunt. Interea cum a Selymo nihil, quod ad maritimum robur augendum attineret, prætermitteretur, in quas regiones belli vim intenderet, nondum erat exploratum; licet certis rumoribus per Europam omnem vulgaretur, pace cum Venetis facta, alium sibi ad exercendas vires campum, nisi adversus Hispaniarum Regem non supereſſe, quem incredibili odio, atque irreconciliabili animo vetustis recentibusque causis persequebatur. Bella a Suleimano cum Carolo, & Ferdinando gesta impellebant; nec satis æquo patri animo poterat, Joannis Austriaci, Philippi fratris, auspicus, cladem ad Echinadas sibi a fœderatis illatam. Enimvero ut, quo Veneti animo in hac nova amicitiæ reconciliatione erga Hispaniarum Regem essent, pertentaret, dissidiorumque semina temporis spatio in apertas inimicitias evasura ferret, indeque sibi ad imperium amplificandum firmiorem aditum faceret, Salomonem, quem antea in firmanda pace enixe laborasse ostendimus, Venetias legavit. Is ineunte maio mense cum ad urbem perveniſſet, ut, quæ a Selymo in mandatis habe-

Pacis confirmatæ nuntium ab Aloysio Barbaro Venetias allatum.

Salomon Judæus a Selymo Venetias missus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 bat, exponeret, ſtatim ſecretius Patrum collegium petiit, in quo, dum de arduis atque reconditis rebus ageretur, Decemvirum magiſtri intereſſe conſueverant. Eo perductus, cum primum ſui Regis nomine pacem Principi ac Patribus gratulatus eſſet, mox ſe potiſſimum ob eam cauſam Venetias miſſum fuiſſe inquit, ut claſſem, quam eo anno ingenti numero ac viribus Selymus emiſſurus eſſet, omneſque ſui imperii nervos Reipublicæ offerret, ut iis adverſus Hiſpaniarum Regem, ſi ita ſibi viſum fuiſſet, uteretur. Inde ad Philippi immodicam ambitionem, ac faſtum ſermone tranſgreſſus, multa de illius artibus, multa de imperii arcanis, ad quæ veluti ad metam, cunctas ſuas actiones dirigeret, ut, aliis depreſſis, ejus aucta in immenſum potentia, in chriſtianorum Principum exitium verteretur, differuit.

Salomonis Judæi ad Venetos oratio.

Quis porro, inquit, *ambigat majora Ottomanorum imperio, gravioraque damna Venetos illaturos fuiſſe, niſi ab Hiſpanis vel dilata, vel impedita auxilia fœderis legibus debita fuiſſent; quæ tandem ad pacem conficiendam compuliſſent. Ex his certiſſima documenta, quantum fidei, quantum auxilii in Hiſpana gente ſtatuendum eſset, eos capere poſſe, qui vel illius in Rempublicam animum, vel quam diverſa in ſuo regimine via niterentur, inſpicerent. Hæc omnia optime Selymum noſſe; atque ob id, ſi Reſpublica generoſo animo arma in Hiſpanos vertere, eodemque momento antiquas recenteſque injurias ulciſci velit, claſſem exhibiturum. Non novis regnis inhiare, non ad augendum imperium, quod ſua mole in orientem occidentemque extenſa pene fatiſceret, adſpirare. Quidquid ſuis viribus occuparetur (quod certe exiguum eſſe non poterat) Reipublicæ offerre, atque concedere. Hortari, ne ingentem adeo opportunitatem a fortuna, ſuoque Rege oblatam, labi ſineret; ſinum venienti panderet, læto, ac forti animo exciperet; ea amiſsa, in poſterum potius deſiderio, quam ſpe anticipari poſſe.* Ejuſmodi ſententiis, ac pollicitis referta oratio Salomonis fuit: quæ cum ſummi momenti eſſet, ut in graviſſimis negotiis fieri ſolet, de illa ad Senatum Patres collegii referunt. Nemini ſane dubium erat, quin ad explorandum Venetorum animum, quave in Hiſpanos, poſt ea, quæ turcico bello acciderant, mente eſſent, ea legatio decreta eſſet;

ſet; atque ut jacta ſimultatum ſemina, tractu temporis coalita, omnia in poſterum novorum ineundorum fœderum jura infringerent, cum minime ambigendum eſſet, permoleſtam chriſtianorum Principum amicitiam Turcis eſſe, atque eorum præſertim, qui paulo ante inſigni victoria maritimas illorum vires attriverant; quos licet dura in præſens neceſſitas dijunxiſſet, quacumque oblata opportunitate, acceptarum injuriarum memoria recrudeſcentibus odiis, quæ ægre ab exulceratis animis depelluntur, novo connecti fœdere poſſe arbitrarentur. Itaque ut Salomoni hunc in modum reſponderetur, decretum eſt. Magnas Selymo potentiſſimo Regi de iis, quæ per Salomonem agere cum Republica voluerit, haberi gratias. Ceterum nullas inimicitiarum ſibi cum Philippo Rege cauſas eſſe, ut vel adverſus illum ciere bellum, vel damna illi inferre ſtatueret. Ejuſmodi reſponſum minime gratum ſibi extitiſſe, Salomon palam oſtendens, multa ex iis, quæ antea dixerat, commemorare, oblatam Reipublicæ proferendi fines occaſionem amplificare, Hiſpanorum injurias ulciſcendi opportunitatem extollere, aditum ad imperii incrementa parari: Selymum minime probaturum oblatas a tanto Rege conditiones a Republica parvipendi. Verum nulla in parte priori decreto immutato, dimiſſus Salomon, ac decem auri libris Reipublicæ nomine donatus eſt. 1574

Senatus reſponſum.

Vix Venetiis diſceſſerat, cum ſtatim vulgatur, Selymum impreſſionem in Africam facturum, Tunetumque, ac Gulettam oppugnaturum; iis locis potiri ſe facile poſſe ratus, tum ob ingentes apparatus, quos hoc anno molitus fuerat, tum ob inſitum in Afros erga nomen Hiſpanum odium; cum præſertim ſibi ſuaderet, conſpecta iis in locis turcica claſſe, in Hiſpania ſeditiones ac tumultus excitatum iri, ab iis præcipue, qui Bæticam, atque Andaluſiam incolerent, regione incredibili Maurorum numero refertas, qui, chriſtiana ſimulata religione, ſenſibus intimis mahometicis ſuperſtitionibus affecti, immortali odio Hiſpanos perſequuntur, ac in omnem novandarum rerum occaſionem intenti ſunt. Hac ſpe ſubnixus Selymus Africæ minitabatur. Venetis vero Marco Quirino claſſis præfecto, Lucæ Michaelio legato, ne in Creta claſſem augerent, ne ex inſulis novas triremes armarent, neve præter decem e

Cre-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 Creta alias emitterent, jussere : nova militum supplementa ne in orientem mitterentur, latum : Jacobus Superantius, classis imperator, ab itinere supersedere jussus : cumque jam pedites e Genuensium ditionibus selecti in Siciliam perveniissent, Panormique constitissent, ubi Raphael Justinianus præfectus fato concesserat, Placido Ragazzonio, qui procurandæ annonæ causa adhuc in Sicilia morabatur, Senatus præcepit, ut, persoluto stipendio, præfectos, ac milites tuto Genuam remitteret. Imminuta quoque, prout temporum conditio, ac ingentes a Republica hactenus facti sumptus exposcere videbantur, atque ad certum numerum in Creta, Corcyra, atque Illyrico redacta, arcium atque oppidorum præsidia : Balthassari Rangonio Corcyrææ militiæ præfectura tributa ; Sfortiæ Pallavicino, qui adversa valetudine correptus in Cretam proficisci non poterat, Paulus Ursinus eadem cum auctoritate suffectus : in Illyrico Moretus Calaber, qui singulari virtute ac fide difficillimis temporibus Reipublicæ inserviverat, militibus præerat.

Paulus Ursinus in Creta, Moretus Calaber in Illyrico summi militum præfecti.

Dum hæc geruntur, in Insubribus ab Hispanis copiæ cogebantur ; arma militaresque apparatus summo studio curabantur ; qua ex re multorum animos suspicio incesserat, ne Philippus, ob pacem cum Selymo ictam, Venetis (licet secus ostentasset) infensus, in Rempublicam aliquid moliretur : nam Joannes Austriacus ex Hispania Genuam delatus, Mediolanum se contulerat ; crebra atque occulta colloquia cum Alexandro Farnesio, Parmæ Principe, serebat ; ac momento fere externo milite Insubrum ditiones refertæ, tormenta instructa, multa ad bellum comparata fuerant : tironum Hispanorum mille in Italiam venerant, qui (ut gentis mos est) a rure aratroque nudi fere ad militaria rudimenta vocati, indeque egeni appellati, brevi temporis tractu duris militiæ laboribus assuescunt. Senatus cum primum Mediolanum Austriacum perveniisse cognovisset, Aloysio Contareno, Veronæ præfecto, statim eo se conferre, felicemque ac faustum illi adventum gratulari jussit ; ac ne ulla in re publicæ securitati defuisse videretur, in iis enim, que ad tuendum imperium pertinent, cura ac solicitudo supervacanea numquam videri potest, cum Bergomatibus, qui finitimi Mediolanensibus sunt, verendum præcipue esset, Sfortia Pallavicinus Bergomum a Senatu

Joannes Austriacus ab Hispanis Mediolanum missus.

Aloysius Contarenus ad Austriacum orator.

Veneti de finibus solliciti Pallavicinum Bergomum mittunt.

natu mittitur : præsidia externorum militum augentur, frumenta, atque annona omnis generis importantur. Latum quoque, ut ordinum milites introducerentur : horum in Reipublicæ ditionibus delectus fit, a præfectisque rerum usu & disciplina præstantibus edocti, virtute & fide ad militaria munera obeunda, arcesque tutandas aptissimi censentur. Bergomates quoque cives, quorum semper in Rempublicam mira fides extitit, concilio coacto, quod *Binam* vocant, ad ea, quæ Senatus jussisset, conficienda alacres atque expeditos fore profitentur ; murorum atque urbis custodiæ egregios ac spectatos cives deligunt ; proprio ære collapsa nonnullis in locis mœnia sarciunt : iis ob egregiam in Rempublicam voluntatem a Senatu gratiæ haberi jussæ. 1574

Philippus autem duplici gravissimo, atque difficillimo distinebatur bello ; altero adversus Turcas, qui Africanam, ut diximus, expeditionem decreverant ; altero adversus Belgii populos, qui firmiori apparatu, vehementioreque animi ardore Hispanorum jugum a cervicibus excutere nitebantur, cum jam ab anno M. D. LXVI. vel libere religionis obtentu, vel ob privilegiorum incolumitatem, arma in Regem sumpsissent ; neque ulla vel vi, vel arte perdomari potuissent, licet, Albano Duce, cujus duris nimium imperiis plerique ulcus exasperatum arbitrabantur, ex Belgio revocato, Aloysium Requesenium suffeciisset ; qui cum parum prospera belli initia habuisset, huc potissimum consilia ac vires Philippus conferre cogebatur, ne Belgarum audaciam nimio sibique exitiali incremento augeri sineret. His fiebat, ut ne, si quidem maxime concupivisset, tot distractus curis in alias partes animum intenderet, coalitamque per tot annos Italiæ pacem turbare posset ; ne Italis Principibus necessitate adactis, aliunde auxilia comparantibus, in Italiam totius Europæ bella, non minore aliorum Principum, quam ejus, qui turbarum auctor extitisset, periculo traherentur. Philippus ergo omnem ex Venetorum animis suspicionem eximere, Gusmano Silvensi, suo apud Rempublicam oratori, jubet : qui Principis ac Patrum collegium ingressus, gravi ac vehementi oratione testatus est : *Quæ in Insubribus arma, jussu Regis, cogebantur, ea ad Italicam pacem perturbandam, cujus ipse, si ullo unquam tempore, hoc præsertim*

Gusmani Silvensis, Hispani oratoris, apud Venetos officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 *ſertim ſtudioſiſſimus ſit, minime ſpectare. Joannem Auſtriacum ob Belgicos tumulus in Italiam veniſſe: fidem minime habendam iis, qui vel otio, vel malignitate animi ſermones ſecus in vulgus diſſiparent, quibuſque nil antiquius foret, quam odii ac ſimultatum ſemina ac venena inter Principes ſerere: egregium in Rempublicam Regis animum extare; multas illi cauſas cum ea & amicitiæ & fœderum eſſe, quæ totius chriſtianæ reipublicæ beneficio conglutinarentur, in utriuſque imperii viribus adverſus barbaros præſidium ſitum eſſe: amborum Principum commoda connexa adeo eſſe, ut alterna quadam ſecuritate niterentur.* Adjecit, *curam ſe ac ſolertiam, quæ in imperiis tractandis non minus utilis, quam neceſſaria haberetur, probare; diffidentiam improbare, quæ ex ſuſpicione orta, ab amicitia, quæ vera, non ficta ſit, aliena eſſe debet.* Hæc Guſmanus orator cum diſertis verbis diſſeruiſſet, Senatus gratias Philippo egit; illius in Rempublicam voluntatem perſpectam habere, eique omni tempore ſingulari benevolentia, atque obſervantia reſponſurum ſe affirmavit.

Senatus reſponſum.

Pace cum Selymo confecta, eoque disjecto turbine, qui in Italia novos bellorum motus portendebat, ab ingenti labore quodammodo reſpirare civitas cœpit, quæ triennio difficili ac periculoſo bello afflicta, navigationes in varias terras prætermittere, ampliſſima per omnem Europam commercia deſerere coacta, haud parum priſtini nitoris amiſiſſe videbatur. Eo enim ſitu locata eſt, ut licet nihil illi, uti aliis civitatibus atque oppidis, ex proprio ſolo ad præſidia atque adjumenta vitæ ſuppeditetur; attamen inter continentem ac mare poſita, ex amnibus ad eam confluentibus, & æquore quo alluitur, omnium rerum, quæ non modo ad neceſſitatem, ſed voluptatem quoque vitæ expeti ſolent, copia affatim abundet; quodque non minus refert, cum ad maritimas vires augendas, atque remotiſſimas uſque regiones navigiis adeundas formata ſit, opes ac divitiæ civitatis in immenſum fere publice privatimque augentur, ut vel eorum, quæ importantur, atque exportantur, vectigalibus, vel omnium fere gentium concurſu majores ex hac una civitate proventus, quam alii ex latiſſimis provinciis ſolent, Veneti capiant: quæ bona in primis pace aluntur. Igitur veluti quibuſdam vinculis ſoluta civitas, repente pri-

priſtinum vigorem, motumque recipere, ac momento fere cœpit reflorescere, ut nihil de illius magnitudine atque opibus, acri recens peracto bello, detractum, aut imminutum animadverteres: idque ex Henrici tertii, Gallorum Regis, ad urbem adventu maxime conſtitit, quam rem, quod omnium, quæ hoc tempore accidere maxime ad Reipublicæ vel dignitatem, vel liberalitatem commendandam ſpectat, brevibus perſtringendam duxi. 1574

Vix enim Henricus, qui Alexander antea vocabatur, ex ephœbis exceſſerat, cum, defuncto Sigiſmundo, poſtremo ex Jagelonia gente Sarmatiæ Rege, eximiæ opinione virtutis ac fortitudinis, quam civili bello in Gallia ſuimet concitaverat, ad Sarmatiæ regnum ſummo concurſu procerum eſt vocatus; Lutetiaque ſuperioris anni menſe octobri digreſsus, menſe februario inſequenti in Sarmatiam pervenerat; magnificentiſſimoque apparatu in urbe præcipua Cracovia eidem inſignia regni collocata fuerant. At, Sarmatiæ gubernaculis vix ſuſceptis, aprili menſe Carolus, ejus frater, gravi totius regni, haud exigua catholicæ religionis jactura, quam ille intrepide tutabatur, ex humanis exceſſit. Ejus obitus nuntio ad Henricum perlato, ſtatim in avitum regnum properare decrevit: cumque Senatorum exploratis animis, lege regia, abſque concilii conſenſu, Sarmatia exire vetitum, celerrimamque ejus profectionem apprime neceſsariam eſse intelligeret, iis in Gallia aſsurgentibus tempeſtatibus, quæ aliquandiu fratris auctoritate ac majeſtate coercitæ fuerant; quod a Sarmatis ponte obtinere nequiverat, aſtu ſibi tentandum exiſtimavit. Conſulto itaque Belleurio, quem ſecum in Sarmatiam adduxerat, atque occulto a Maximiliano Imperatore auto per ſuas ditiones tranſitu impetrato, Belleurii ex regno profectione vulgata, binis tantum comitantibus ſervis, per cubiculi feneſtram, in qua degebat, demiſsus, ignoto habitu, ſecreto fugam arripuit: qua ſtatim cognita, centum licet militibus procerum juſsu inſequentibus, mutatis equis, Veſsinam, Auſtriæ urbem, inde Veſcoviam demum Viennam pervenit. Ejus rei eventum Cracovienſis Palatinus Hieronymus Lippomano, Reipublicæ apud Henricum legato, ſignificat; oratque, ut in ea regni trepidatione ac perplexitate Reipublicæ, quam

Caroli Galliæ Regis obitus.

Henricus Galliæ Rex e Sarmatiæ regno diſcedens, Viennam pervenit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 quam ille prudentia & ſanctitate florentem appellabat, conſilium exquirat; id uti a prepotenti, atque ampliſſimo Senatu profectum ſummo loco habiturum. Maximilianus Henricum omni liberalitatis cultu excepit; ad eum inviſendum ac conſalutandum Senatus nomine Venetus orator acceſſit; atque in Galliam rediens, an Venetias pertranſire ſtatuiſſet, perconatus, quæcumque a veteri in Galliæ Reges benevolentia atque obſervantia proficiſci a Republica poterant, detulit. Henricus præcellentem Venetiarum urbem videre, Principem Patreſque ſalutare decreviſſe affirmat. Catharina Medicea, mater, quæ antea per legatum Ferrerium, ſuo, atque Alenconii filii nomine, de Caroli obitu Patres certiores fecerat, iiſdem filii, Sarmatiæ Regis, deſiderium ſignificavit.

Henricus Rex Venetias accedere ſtatuit.

Italiam Henrico appropinquanti, cum haud longe a Venetis limitibus abeſſet, nullum officii genus, quo potentiſſimum ſibi Regem demereretur, atque in tanto excipiendo hoſpite publica magnificentia eluceret, omittendum Senatus cenſuit. Quatuor inſignium maxime civium legatio decreta, quæ illum in finibus Reipublicæ exciperet, atque per ejus ditiones comitaretur: Andreas Baduarius, nuper ex Byzantina legatione reverſus; Joannes Michaelius, legationibus apud cunctos fere Europæ Principes clariſſimus; Jacobus Superantius, & Jacobus Fuſcarenus, qui nondum in Cretam profectus erat, claſſis ambo imperatores. Iis, ut in Carnos ad Regem excipiendum cum frequenti patriciorum atque inſignium virorum comitatu ſe conferrent, imperatum. Sinus Adriatici præfecto, ac Joanni Baptiſtæ Contareno, cui nuper Cretæ cuſtodia mandata fuerat, ut ad urbem cum triremibus duodecim accederent, præceptum; atque ut cuncta recte adminiſtrarentur, tribus ex medio Præconſultorum ordine munus delatum, Leonardo Donato, Alberto Baduario, Laurentio Bernardo. Nemo Italorum Principum fuit, qui non illuſtri aliqua ſignificatione in Galliam Henrico redeunti vel obſervantiam vel benevolentiam teſtaretur. Gregorius Philippum nepotem, Sancti Sixti Cardinalem nuncupatum, legationis, quam *a latere* vocant, dignitate decoratum, Venetias miſit. Emanuel Philibertus Sabaudiæ, Alphonſus Eſtenſis Ferrariæ, Franciſcus Mantuæ Duces, atque alii præcipui Italiæ Dynaſtæ, ad urbem officii & honoris gratia

Senatus legatos ad Henricum in Carnorum fines excipiendum mittit.

Itali Principes & legati ad Henricum Regem Venetias confluunt.

tia acceſsere. Quatuor triremes, in quas Senatores quadraginta purpurati conſcenderant, ad pontificium legatum excipiendum Foſſam Clodiam miſſæ; eique a Principe una cum Senatu ad divæ Helenæ fanum, quod in parva propinqua litori inſula ſitum eſt, de more obviam itum. Bucentauro, excellentis formæ navigio, quod anniverſariis tantum maris ſolemnibus priſco inſtituto adhibetur, excipi Legatus non modo cupiebat, verum etiam flagitabat. Sed ne honor Regi debitus, aliqua in parte minus illuſtris evaderet, floſque publicæ liberalitatis decerperetur, id Cardinali concedi minime potuit. 1574

Henricus a legatis ad vicum, quem *Pontebam* vocant, exceptus, regie per Forumjulii habitus, e Corneliano oppido Tarviſium, ubi Bartholomæum Lippomanum, prætorem, dignitate equeſtri ornavit; inde ad Margaram vicum in æſtuariorum margine acceſſit. Sexageni Senatores oloſerico purpureo in lato clavo amicti, quorum ſinguli cymbis ſerico villoſo panno coopertis vehebantur, triremibus aliquot ſequentibus, tota ad viſendum effuſa cum ſcaphis ac cymbis civitate, Murianum, ab urbe paſſuum millibus, illum deduxere. In terram exſcendenti ingentes tormentorum, fiſtularum, caudatorumque ignium conſalutationes horribili fragore, ut cælum prope hiſcere videretur, factæ. Capellorum ædes, exquiſito cultu atque apparatu regio ornatæ, Henricum excepere. Ad eum inviſendum poſtridie Mocenicus Princeps cum Senatu, Superantii imperatoria, quam decem ac quatuor triremes ſubſequebantur, delatus advenit. Rege conſalutato, exhibitis, quæ temporis ratio depoſcebat, officiis, eadem imperatoria una ad litus, in quo divi Nicolai ſacra ædes eſt, devecti, a Joanne Triviſano, Venetiarum Patriarcha, frequenti ſacerdotum cum ſacris infulis corona ſtipato, in fanum, quod a religioſis viris divi Benedicti ordinis incolitur, deducuntur: ſolemni ritu Deo ac Cælitibus cantico, quod ad divos Ambroſium ex Auguſtinum referunt, gratiæ actæ. Inde Bucentaurum ingreſſi, per rivum, quo totam civitatem diſterminant, *Canale* vocatur, incredibili pompa, triremium, bicemium, celocium, cymbarum, lintrium, atque aliorum navigiorum, quæ ad ſtuporem uſque exculta atque adornata erant, excipiuntur, innumeris

Henricus Rex Venetiis honorifice excipitur.

pro-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 prope multitudinis plausibus, lætisque acclamationibus populi comitantibus, qui ex omnibus regionibus ad regiam pompam visendam confluxerat. Nullum terra, nullum mari, ex quo ea spectare posset, inanem locum multitudo reliquerat; fenestris non modo ædium, verum tectis quoque ac supremis contignationibus insessis. Henricus vero, cujus latus Princeps tegebat, insuetum urbis situm contemplari; assurgentia mediis aquis superba palatia admirari; immensam prope omnium ordinum ex adventu suo lætitiam summa voluptate spectare. Inter has æthera pulsantes voces ad Fuscarorum magnificentissimas ædes, quæ vel substructionibus, vel situ (freto enim dominantur) insignes Regi destinatæ fuerant, ventum est; a Mocenico usque ad cubiculum deductus, in quo sibi illum sub uranisco assidere voluit. Triginta ex patricia juventute adolescentes, qui ei continuo adessent, delecti.

Per aliquot dies Venetiis Henricus commoratus, quæ in eis magis visenda erant, inspexit; nullum in se publici splendoris argumentum desideravit. Aedes, ac palatia, quæ utrinque, mediam civitatem dirimente freto, assurgunt, ita noctu collucentibus flammis rutilantia, luminibusque vario artificio, & opere contextis, elaboratisque ornata inspiciebantur, ut prope nova contentione noctis tenebræ cum diurna luce certare viderentur. Ludi habiti; naumachiæ institutæ; in aurea divi Marci basilica sacra solemni ritu sonorum ac vocum admirabili concentu celebrata; quibus Rex una cum Principe ac Senatu, Pontificis legatus, aliique Italiæ Duces, ac proceres interfuere. In genua procumbenti superbo apparatu scabellum appositum, ab eoque bina pulvinaria pari intervallo aliquantulum distantia, a dextera legatus, a læva Princeps obtinebant. Sabaudus, Ferrariensis, Mantuanus, Nivernienſis, atque alii sequebantur. Majoribus quoque comitiis, in quibus tota Reipublicæ majestas residet, interfuit. Erat amplissima Valesia gens in album Venetæ nobilitatis adscripta: quapropter Regi, utpote qui jus comitiorum habebat, urnæ, in quibus globuli argentei, atque aurei ad sortiendos magistratuum electores continentur, honoris gratia patentes ex Decemvirum decreto exhibitæ fuere, ut, duplici aureo globulo exstracto, inter electores adnumeraretur. Ejus a publico scriba nomine, de more, edita voce, pro-

pronuntiato, jactis coram Principe ac Sexviris sortibus, ei civem in Senatum adlegendi prærogativa obtigit; Jacobumque Contarenum, morum probitate ac doctrina conspicuum civem, nuncupavit, cui mille atque amplius suffragiis, frequentissima enim ea die comitia erant, reliquis præteritis competitoribus, ea dignitas est delata. In eadem comitii aula altera die, ammotis subselliis, tripudia ac saltationes habitæ. in quibus præcipuæ ac spectatæ pulchritudinis matronæ, omni muliebri mundo ornatæ, sumptuaria lege solutæ, adfuere. 1574

Jacobus Contarenus ab Henrico Senator nominatus.

Verum quod præstantia ac novitate reliqua antecellere Henrico visum est, Navale publicum fuit, navigiis, tormentis, armis, nitrato pulvere, omnique bellico apparatu peregregie instructum. Quæ omnia tot sæculorum spatio sedula industria ac virtus cogere potuerat, singula admirabili ordine digesta conspiciebatur. Ingens fabrorum cum lignariorum, tum ferrariorum, architectorum, nautarumque numerus, qui omnes publico ære aluntur, statisque horis ad artes suas exercendas confluunt, in eo ambitu, qui trium fere passuum millium circuitu extenditur, cernere erat. In officinis opifices insudare, tormenta infundi, fistulas ferreas, pilas effingi, thoraces, cassides, galeas formari. In amplis atque prælatis fornicibns triremes ducentæ, quinqueremes quatuordecim erant, ita aptatæ, ut a solis ardore æstate, hyeme vero ab imbrium ac ventorum injuriis tutæ essent; biremes ad hæc, scaphæ, celoces, lintres, in quibus singulis contemplandis mira voluptate Regis animus perfundebatur. Inter hæc turcicas triremes, relataſque hostium ex superiori victoria exuvias ac spolia videre licuit. Quodque nobili atque eximio spectaculo extitit, ita omnia ad triremem conficiendam ex composito parata fuerant, ut momento fere ab inferiori carina usque ad malum, incitante ac certante opificum industria, perficeretur. Ut autem nihil ad Regis demerendum atque oblectandum animum relinqueretur, Decemvirum permissu, a populo ad Carmelitarum pontem pugnæ simulachrum ligneis fustibus editum est, quod priscæ memoriæ vestigium ludricrorum plebis certaminum adhuc retinetur: eam pugnæ imaginem non absque voluptate in Jacobi Fuscareni ædibus inspexit. Octo igitur diebus exactis, cum Ferraria iter in Galliam arripere Henricus statuisset, a

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 Principe, ac Senatu uſque ad locum, quem *Lizzafuſinam* vocant, abeſtque ab urbe quinque paſſuum millibus, deductus eſt. Eadem cymba Rex ac Princeps vehebantur; altera pontificius ſequebatur legatus; reliqui mox Duces, quos Senatores claudebant; inde publica navigia, quæ abs tranſverſa munitione (*currum* illud vocabant) in amnem Medoacum trajecerant, ingreſſus, Ducibus, atque immenſa prope confluentis populi multitudine Patavium proficiſcitur; quaque per Venetas tranſibat ditiones, ſumptu publico, regiiſque honoribus excultus fuit.

Mocenicus diſcedenti Regi iter fauſtum, proſperaque cuncta precatus, Senatus, patriciæ nobilitatis, omniumque civitatis ordinum propenſum ſtudium atque obſervantiam, quam erga majores illius omni officiorum genere excoluerant, detulit; neque ullo unquam tempore humanitatis ac benignitatis memoriam, qua ipſe regio adſpectu Rempublicam exornaſſet, elabi ex animo Venetos paſſurus teſtatur. Erat in Aloyſio Mocenico Principe ſummæ gravitati haud impar eloquentia conjuncta, inſitumque oris totius decus, quo cunctos in ſui admirationem atque amorem ita alliciebat, ut ad ſuſtinendam Venetam majeſtatem factus videretur. Illum Rex amplexatus, gratias ingentes Reipublicæ egit: ſi ſe aliquando obtulerit occaſio, in ea tuenda atque augenda regni vires, opes collaturum, ſe ipſum quoque adfuturum pollicitus. Cum vero ea tempeſtate Gallia religionis diſſidiis, procerum ambitione, imperandique cupidine fluctuaret, qua maxime debilitari atque enervari potentiſſimæ gentis gloria videbatur; Mocenicus inter eundum, reliquis ſemotis, Regem alloquendi facultatem nactus, ſenſim ad ea, quæ in Galliis acciderant, orationem deflectens, quodque ad reipublicæ chriſtianæ incolumitatem in primis pertinere arbitrabatur, Henricum ad inteſtinas diſſenſiones tollendas, ſubjectos beneficiis demulcendos, conciliandos, pacandoſque animos, quatenus ejus dignitas permitteret, eſt adhortatus. *Quantum enim inde virium atque exiſtimationis Galliæ acceſſurum? quantum ſibimet decoris, & commodi obventurum? quam ingens iis, qui torvis oculis ampliſſimi regni potentiam aſpicerent, formido incuteretur? tutiſſimumque præſidium ſociis ac*

Mocenicus Princeps Henricum Regem ad diſſenſiones à Gallis tollendas hortatur.

ac fœderatis augeretur? Quæ a Mocenico dicta fuerant, Henricus, uti a viro magnis rebus gerendis aſſueto profecta, magnifacere viſus eſt; idque ſibi conſtitutum eſſe affirmavit, quacumque ratione a belli tumultibus ad pacem Gallos traducere, cunctoſque regni ordines concordiæ & tranquillitatis vinculo connectere. Venetias Principi redeunti Henrici nomine præcellenti forma adamas delatus eſt; quem initio accipere abnuens, cum moleſtum id Regi futurum cognoviſſet, acceptum Senatui detulit; cujus decreto loculo aureo in candentia lilia aſſurgenti impoſitus, inter gemmas, aliaque pretioſa, quæ in aurea baſilica ſecretiori loco aſſervantur, relatus eſt. Haud abſimili liberalitate Aloyſium Foſcarum, ad cujus ædes diverterat, patricioſque adoleſcentes, qui ei adſtiterant, torquibus aureis donavit. Ut vero e Sarmatia in Gallias revertentis, ad urbemque adventantis Henrici memoria in omnem poſteritatem diffunderetur, Arnoldo Ferrerio, Regis legato, flagitante, Senatuſconſulto Patres e regione majoris palatii ſcalarum, quas *gigantum* vocant, marmoreo lapidi ejus rei eventum inſculpendum hiſce verbis curarunt. 1574

Adamas ab Henrico Rege Mocenico Duci dono datus

HENRICVS. TERTIVS. GALLIAE. REX. ET. PRIMVS. POLONIAE. CHRISTIANISSIMVS. ACCEPTO. DE. IMMATVRA. CAROLI. NONI. GALLIAE. REGIS. FRATRIS. CONIVNCTISSIMI. MORTE. TRISTI. NVNTIO. E. POLONIA. IN. FRANCIAM. AD. INEVNDVM. REGNVM. HEREDITARIVM. PROPERANS. VENETIAS. ANNO. SALVTIS. M. D. LXXIIII. DECIMOQVARTO. KAL. AVGVSTI. ACCESSIT. ATQVE. AB. ALOYSIO. MOCENICO. SERENISSIMO. VENETORVM. PRINCIPE. ET. OMNIBVS. HVIVSCE REIPVBLICAE. ORDINIBVS. NON. MODO. PROPTER. VETERIS AMICITIAE. NECESSITVDINEM. VERVM. ETIAM. OB. SINGVLAREM. DE. IPSIVS. EXIMIA. VIRTVTE. ATQVE. ANIMI. MAGNITVDINE. OPINIONEM. MAGNIFICENTISSIMO. POSTHOMINVM. MEMORIAM. APPARATV. ATQVE. ALACRI. ITALIAE. PROPE. VNIVERSAE. SVMMORVMQVE. PRINCIPVM. PRAESERTIM. CONCVRSV. EXCEPTVS. EST. AD. CVIVS. REI. GRATIQVE. REGIS. ANIMI. ERGA. HANC. REMPVBLICAM. MEMORIAM. SEMPITERNAM. SENATVS. HOC. MONIMENTVM. FIERI. CVRAVIT. ARNOLDO. FERRERIO. SECRETIORIS. CONSILII. PARTICIPE. REGIO. APVD. REMPVBLICAM. LEGATO. ID. ETIAM. POSTVLANTE

Dum Henrici tertii in Galliam reditus ſummis Italorum populorum plauſibus concelebraretur, jam Africa belli incendio conflagrabat; cum Selymus centum ac ſexaginta triremium, maonarum triginta, magno reliqui generis navigiorum nume-

Selymi ſub Sinanis imper. Africana expeditio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 numero, ſub Sinanis Baſſæ imperio Helleſponto emiſiſſet, qui Aegæo, Ionio, ac Tyrrheno emenſis; julio ineunte in Africam ſerius quam putarat, pervenerat; quod peſtifera lues Byzantii eo anno ſæviens ingentem mortalium ſtragem ediderat. Interea vero ex Lepti, Julia Cæſarea, Conſtantina, Meningis inſula coacti incolæ, quibus Maurorum atque Arabum manus cum duobus Janizzerorum, quatuor Judæorum millibus ſeſe adjunxerat, ut quadraginta millium bellatorum ſummam æquarent, ad Guletam, ac Tunetum expugnandum accurrerant. Tuneto Regis nomine Gabriel Serbellonus Mediolanenſis, Guletæ Petrus Canera Hiſpanus præerant; qui ingruentem terra marique hoſtem excepturi, cuncta ad defenſionem diſpoſuerant, pro anguſtia temporis foſſas purgari, refici aggeres, ſarciri mœnia, editiones erigi curaverant. At Turcæ terreſtribus copiis magno impetu Tunetum adorti, momento tormentorum diſploſione mœnia diverberant, disjiciunt, proſternunt; Serbellonus deditionem facere, ſeque in arcem recipere cogitur. Tuneto occupato, extemplo omnibus viribus Guletæ expugnationem incipiunt; quæ initio licet ſtrenue ab Hiſpanis, recenti militum ſupplemento auctis, defenderetur, tandem cum diu obſiſtere non poſſet, in hoſtium poteſtatem conceſſit. Nec mora, eodem ardore atque impetu turris, in quam Serbellonus ſe receperat, vi capta, cunctaque diruta ac ſolo complanata ſunt, tormenta abducta, plures captivi effecti, inter quos Serbellonus, Carrera, Paganinus Auria, cui, quod ſaucius eſſet, hoſtium barbara crudelitate cervices abſciſſæ ſunt. Itaque haud exigua chriſtianæ reipublicæ jactura, duo præcipua Africæ monumenta, licet non abſque hoſtium inſigni cæde, quorum, ut ferebatur, ſupra quatuor & viginti millia interfecti fuerant, corruere: eaque medio ſeptembri menſe accidere.

Sinanes Tunetum & Guletam in Turcarum poteſtatem redigit.

Sinanes victor recta in Helleſpontum contendit. Verum obortа tempeſtate, ventis undiſque jactata claſſis haud parum detrimenti perpeſſa, prope naufragium ſubiit: abreptæ hinc atque inde furente pelago triremes, vix poſt aliquot dies in unum coactæ ſunt. Sinane Gomenitiarum portum prope Corcyram ingreſſo, a Fabio Canalio legato, ac Joanne Mocenico prætore nonnulli ex oppidanis miſſi, qui de more dona tur-

turcicæ claſſis imperatoribus deferrent. Corcyræum mox fretum cum triremibus quindecim Sinanes prætervectus, magno tormentorum bombo arce conſalutata, pari ſignificatione exceptus, deſæviente procella, cum univerſa claſſe ad Ducatum promontorium delatus, inde Pylum perrexit, Uluzzalium operiturus, qui poſt Africanam victoriam cum triremium manu uſque ad Melitam ſeſe intulerat, ut, ejus inſulæ ſitum contemplatus, infenſi in Hieroſolymitanos equites animi, incenſo ac depopulato ſuburbio, veſtigia relinqueret. 1574

Uluzzalio reverſo, quintodecimo kalen. novembris una Byzantium contendere; ubi, licet ſancita ac firmata pax cum Republica a Selymo fuiſſet, atque Andreas Baduarius Venetias, uti diximus, reverſus eſſet, graviſſimæ adhuc inter Turcas ac Venetos de finibus controverſiæ vigebant, quæ concordiæ conditionibus non ſatis explicatæ videbantur: ad quas componendas Aloyſius licet Grimanus in Illyricum miſſus eſſet, nulla tamen concordiæ ratio inter Turcas, ac noſtros iniri potuerat, cum, Jadera, Sicco, ac Spalato præſertim omnibus fere agris exutis, ab eorum poſſeſſione ſe divelli minime Turcæ paterentur; quod ad caſtella præſcripto pacis reſtituenda nequaquam teneri ſe dicerent, triennio citra impedimentum iis potitos: Selymum vetuſto majorum more ea loca, in quibus equus pedem fixiſſet, faniſque extructis, preces juxta eorum religionis ritus habitæ fuiſſent nulli unquam cedere aſſuetum. Senatus cum negotium Byzantii, atque in Illyrico urgeret, caſtellaque, quod agris comprehenſa eſſent, juxta pacis leges reſtitui oportere diſceptaret, nihil impetrari poterat, vel eo præſertim quod, Africæ victoria elatis Turcarum animis, haud parum petulantiæ, atque audaciæ injecerat, ex quo duriores in rebus tractandis ac moroſiores evaſerant; Patreſque, quod fraudulentam pacis interpretationem Illyricis exitialem fore intelligerent, vehementer commovebantur.

Controverſia de finibus inter Turcas & Venetos

Inde Pontifex, qui ex Tunet[illegible] & Gulet[illegible] amiſſione ingentem dolorem perceperat, ruſſus ad nova inter chriſtianos Principes fœdera animum ſuſtulerat, magnoque animi ardore Venetos per Paulum Theupolum oratorem incitabat. Hortabatur: *Quam parum tuta nuper confecta cum Turcis pax*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 *pax esset, perpenderent; immanes impensas reputarent, quæ ejusmodi essent, ac si assiduo Respublica bello premeretur: inani, atque incerto pacis nomine ea pericula obtegi, quæ aperto bello erumpere solent. Jam omnia Venetis hoc rerum statu a Turcis timenda, quorum actiones suspectæ, dubii apparatus, perplexa atque incerta consilia sint. Quod si Hispanorum vel mora vel negligentia ad infaustam sanciendam pacem coacti fuerant, opportuna se remedia adhibiturum; negligentiam insitamque cunctationem depellere; errata præterita corrigere, eosque ad promissorum fidem præstandam arctissimis vinculis coacturum.* Ad hæc Theupolus: *Difficillimum, ac periculosum cum Ottomanis Regibus bellum Venetis semper extitisse; neque denuo suscipi posse, quin momento maritimum imperium incertæ fortunæ aleæ committeretur: trium annorum spatio, quibus cum acerrimo hoste pugnatum esset, exhaustas fere Reipublicæ vires. Quantum auri erogatum? quantum civium sanguinis effusum? non Venetis animos; at belli nervos hoc tempore deesse: immensis pene sumptibus, in iis ditionibus retinendis, obrui, quæ pro vallo totius christianæ reipublicæ, atque Italiæ præsertim objectæ sint. Quapropter Pontificem potius rogare, ut suorum decessorum exemplo ecclesiasticis opibus Rempublicam juvaret; majori fructu tantarum divitiarum proventus, quæ ecclesiis, religiosisque locis a pietate insignibus viris relictæ fuerant, quam in iis regionibus tutandis, quibus salus, decusque totius christianæ reipublicæ niteretur, impendi non posse.* His a Theupolo magna dicendi vi expositis, permotus Pontifex, quo statu res Venetæ sint, in purpuratorum collegio exposuit: *Maximos sumptus, quos pro maritimis ditionibus defendendis erogare Veneti cogantur, quæ barbarorum imperio circumfusæ ingenti peditum, equitum, triremiumque numero indigeant, omni studio enitendum esse, ut ad potentissimi hostis excipiendum impetum paratiores reddantur; in primisque Cretæ regnum, ad quod conservandum cunctos christianos Principes certatim accurrere oportere; ne, si in Turcarum potestatem concederet, brevi omni maris mediterranei navigatione potirentur, remigioque, cujus ea insula, ob insitam incolis maris peritiam, ferax est, au-*

cti,

cti, maritimas in immensum vires cum totius christianæ reipublicæ exitio protenderent; formidandique cunctis effecti, Italiæ quoque minitarentur. Aequum itaque censere, ut Veneti ecclesiasticis opibus juventur; ob id senas e sacerdotiis decumas Reipublicæ concedendas esse arbitrari. 1574
Ceterum his, quæ a Gregorio in Patrum concilio pluribus pro Republica dicta fuerant, parum eventus respondit. Nam cum a Senatu extraordinaria subsidia potius, quam decumæ, quas nullus unquam Pontifex pernegaverat, peterentur, re in consultationem primo adhibita, mox remissius agitari cœpta, demum cunctatione extracta; Gregoriumque ad injurias a Turcis illatas ulciscendas propensum, ad alias curas ac solicitudines novi rerum eventus attraxere; cum præsertim Philippum Hispaniarum Regem ad omnium virium suarum robur in Belgico bello conferendum multa compulissent.

Nam hujus anni initio Midelburgum, ab Arausionensi Principe obsessum, deditione amiserat: ac licet paulo post victoria potitus, in qua Ludovicus & Henricus Nassovii, Arausionenses fratres, ac Christophorus Palatinus, qui validam Germanorum manum ad opem Belgis ferendam adduxerat, occiderant; attamen alterna fortuna toto hoc anno pugnatum fuerat; in diesque difficilior eas provincias perdomandi ratio fiebat, quæ usque ad extremum spiritum obstinato pro sua libertate, ac privilegiis animo certare statuerant. His rerum successibus annus hujus sæculi septuagesimusquartus elabebatur, pace cum Selymo sancita; maritimi, terrestrisque belli suspicione depulsa; Galliæ Regis ad urbem adventu insignis, quem bina quoque sequuta in urbe incendia memoratu dignum reddidere; quorum alterum Aloysio Mocenico diem, quo ad principatum evectus fuerat, proceribus civitatis convivio exceptis celebranti contigit, quo publicarum ædium pars conflagravit; alterum nundinarum tempore, quæ Venetiis solemni ascensionis festo perveteri consuetudine habentur, noctu exortum, non absque civitatis metu, in qua navalis incendii adhuc memoria hærebat, tabernas complures, quæ eo tempore in foro excitantur, cum pretiosis mercibus absumpsit. *Incendia Venetiis exorta.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1574 Per eos dies Cosmus Mediceus ex humanis est ablatus ; qui e privato cive ad Hetruriæ dominatum evectus , magna in eo administrando virtutis documenta dederat ; eique Franciscus filius successit , qui , Federico Strozzio legato Venetias misso , patris obitum , suamque in Hetruria successionem Patribus significavit . Ad eum officii causa Andreas Gussonius orator designatus . Guidus quoque Ubaldus , Urbini Dux , fato concessit ; ac Francisco Mariæ filio , qui avi , Reipublicæ Venetæ primum summi militiæ præfecti , postea imperatoris , nomen gestabat , imperium reliquit ; eique Matthæus Zannius legatus est . Exeunte anno , a Gregorio Summo Pontifice janua , quam *sanctam* vocitant , solemni ritu est reserata ; & cuncto christiano orbi cælestibus communicatis thesauris , jubileum indictum ; quod initio licet , ut centesimo quoque , sæculari scilicet anno , celebraretur , decretum esset ; attamen , quo animarum saluti certius ac salubrius consuleretur , ad quinquaginta , inde ad vigintiquinque annos a Summis Pontificibus est redactum .

Cosmi magni Ducis Hetruriæ obitus.

Franciscus filius patri suffectus Federicum Strozzium Venetias oratorem mittit.

M. D. LXXV.

1575 INitio anni ingens de Turcarum maritimo apparatu per omnem Europam fama circumferebatur , ancipitique cura distenti quasnam in partes belli impetus verteretur , cuncti circumspectabant . Nam Tuneti , ac Guletæ victoria sublatus Selymi animus majora meditabatur . Noverat Philippum Hispaniarum Regem Belgico bello implicitum , integras vires ad certamen afferre non posse ; Venetos a pace nuper inita non discessuros ; reliquos christianos Principes maritimis nudatos viribus nullum suis impedimentum conatibus allaturos . Quapropter crebris rumoribus , ac sermonibus increbuerat , Melitæ insulæ expugnationem moliri , tum prisco atque acerrimo in Equites odio , tum vehementi cupiditate eam notam delendi , quam superioribus annis Turcas contraxisse rebatur , cum Suleimanus pater ingenti conatu eam insulam adortus , turpiter repulsus fuerat . Inter hasce cogitationes repentina mors Selymum intercepit , qui licet in Asia , Cypro , in Africa , Tuneto , & Guleta aliorum ma-

Selymi obitus.

manu ac virtute potitus esset , a patris tamen majorumque virtute haud parum deflexerat ; cum ii militiæ laboribus & curis assueti bella gererent , immobiles cuneos & conserta prætorianorum militum robora regerent ; ipse vino ac libidini deditus , in summo otio vitam degens , nunquam septis , nedum urbe exisset ; Ottomanorumque gloriæ oblitus , cuncta per Bassas administraret , ex quo disciplina corrupta , novi invecti mores , vastum illud ac pene insuperabile imperium enervari , & corrumpi cœptum . Selymo Amurathes filius , septem ac viginti annos natus , successit , qui statim Mustapham e *Cauciorum* numero (ex eorum enim ordine legati deliguntur) ad Senatum cum literis misit , qui & Selymi patris obitum , & regni ab se suscepta hereditario jure gubernacula significaret : eique Jacobum Superantium Equitem officii causa Senatus legatum misit . Suæ dominationis initio magnum Amurathes virtutis specimen præbere visus . Constans animus , a voluptatibus , quibus se pater mancipaverat , aversus , in legibus atque institutis majorum servandis severus ; quamvis hæc virtutis semina barbara gentis crudelitate corrumperet , regni cunabula fratrum parvulorum cæde auspicatus . 1575

Amurathes Selymo succedit, qui Mustaphã Venetias mittit. Jacobus Superantius ad Amurathem orator.

Illum plerique & Selymi victoriis anno superiore tumentem , & gloriæ desiderio incensum , otio ac situ turcica arma hebescere non passurum arbitrabantur . Cum ex veteri majorum more ita Ottomani Reges instituti sint , ut ad regni fastigium evecti , statim claram aliquam expeditionem , qua priscorum Regum egregia gesta ac trophæa æmulentur , aggrediantur . Itaque rumor de Melitæ oppugnatione augebatur ; nec deerant qui Selymi obitu , atque Amurathis successione , pacis cum Venetis nexu soluto , in Cretam , vel Corcyram moturum dicerent . Quapropter etiamsi novo Regi Jacobum Superantium Senatus legasset , qui & gratulationis officio fungeretur , & concordiæ conditiones confirmaret ; tamen in omnem eventum intentus , duodecim in Creta triremes , quæ reliquæ classi adjungerentur , armari , militumque supplementum mitti curaverat . Gregorius quoque de Turcarum animo solicitus , ut pontificias ditiones tutiores redderet , Ancona[illegible] , in Piceno sitam urbem , & situ

Veneti classem augent.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 ſitu & portu inſignem, communire decrevit. Jacobum Boncompagnum filium eccleſiaſticæ militiæ præfecit, atque ad nova ineunda fœdera chriſtianos Principes vehementi animi ſtudio incitabat. Per Joannem Antonium Fachinetum Nuntium Senatum ad claſſem augendam, vireſque maritimas inſtaurandas hortabatur. In ancipiti turcicarum rerum eventu minime conducere, populorum ſalutem, orientis inſulas, Crætæ regnum fortunæ objicere: ea in re non minus de incolumitate, quam de dignitate Reipublicæ agi, quæ prævalidis claſſibus & publicum decus ſemper retinuerat, & terrorem hoſtibus incuſſerat: plurimum de illius veteri gloria, qua perpetuis incrementis per tot ſæculorum ſucceſſiones inclaruerat, imminutum iri, niſi, turcica emiſſa claſſe, virium firmitate ac robore maris imperium, quod majores ſui non minus ſanguine, quam auro pepererant, tueretur. Senatus & in rem chriſtianam curæ, & in Rempublicam voluntatis ergo Gregorio gratias egit; neque imperii ſecuritati, neque decori deeſſe ſtatutum ſibi eſſe affirmavit: proinde novas in Creta triremes armari juſſiſſe; præſidium, quod ante bellum ſexcentis peditibus conſtabat, ad ſex mille auxiſſe; claſſem, quæ pacis tempore multo e minori numero triremium conſtabat, præterita hyeme ad quadraginta perduxiſſe: ut vero omnia, quæ ad ſuorum finium ditiones tutandas neceſſaria, atque opportuna ſint, ſedulo curentur, minime Senatum arbitrari e re ſua eſſe, potentiſſimum Regem laceſſere, cujus vim nuper maximo detrimento Cypri amiſſione, auri immenſæ vis effuſione, civium internecione expertus fuiſſet: iis cauſis compulſus, quæ tandem omnium confeſſione juſtiſſimæ habitæ fuerant, belli conſilia ad pacem traduxiſſet: idcirco obnixe Pontificem ad Rempublicam amplexandam hortari; rogare, ut eccleſiaſticarum opum aliquid in immanes ſumptus conferret, qui non minus in Reipublicæ quam in reliquorum chriſtianorum Principum incolumitatem a Venetis profunderentur.

Gregorius Pontifex Venetos ad fœdus contra Turcas ineundum hortatur.

Hæc licet a Theupolo oratore Senatus nomine Gregorio ſignificarentur, attamen indefeſſo animo nullum officii genus prætermittebat, quo ad novam ineundam ſocietatem Patres impelleret: *Nullam neque ampliorem, neque opportuniorem objici*

jici facultatem poſſe, qua ob Selymi interitum a ſancitæ pacis jurejurando ſoluti eſſent, ab ea, inquam, pace, quæ belli ſolicitudinibus, intolerandiſque impenſis circumſideretur: cum Philippo Rege iis de rebus per ſuum legatum egiſſe, quem a novis fœderibus alienum non eſſe cognoverat: centum ac triginta triremes omnibus rebus apprime inſtructas cum militum flore, præter duodecim, quas Genuenſes ad ejus nutum præſtaturi erant, aliaſque totidem, quas Franciſcus Magnus Hetruriæ Dux Regi expeditionem aliquam molienti exhibere debebat, hoc anno habiturum: Siciliam, Neapolitanumque regnum ſelecto militum præſidio firmata eſſe; a Sebaſtiano Luſitaniæ Rege triginta armata navigia cum millibus octo pugnaciſſimorum bellatorum maritimis rebus aſſuetis offerri. Cur igitur Patres cunctarentur claſſem augere, arcium atque oppidorum præſidia novis ſupplementis firmare? Cur adeo ingentem illatas ulciſcendi injurias opportunitatem parvipenderent? Cur animos non tollerent, atque ad eas ditiones in libertatem vindicandas, quæ Reipublicæ ab Ottomanis Regibus ablatæ fuerant, non converterent? Non impari vehemntia hæc a Gregorii legato differebantur, qui frequenter Principis ac Patrum collegium adiens, flagrans Pontificis deſiderium, poſtulataque deferebat. Atque ut facilius Pontifex Patres permoveret (cum ſatis conſtaret ægre ad fœdus repente adigi poſſe) in eo præſertim enitebatur, ut quammaxime claſſem augerent; non ut hoc tempore ſocietas iniretur, ſed ut maritimarum virium incremento ad ea amplexanda, quæ Dei Optimi Maximi benignitate ad Reipublicæ, totiuſque chriſtiani orbis decus objici poterant, ſe compararent. 1575

Dum hæc ſummo ſtudio Romæ, atque apud Principes agitantur, ab Antonio Theupolo Byzantio litteræ perferuntur: Amurathem nuper ad tot regnorum, ac provinciarum imperium ſublatum, ſuperioribus bellis, & præcipue Veneto defeſſos atque afflictos populos, permiſſo aliquamdiſper otio & quiete, antequam novas expeditiones moliretur, recreare ac reficere decreviſſe: quocirca claſſem centum triremium numerum non expleturam, a qua nihil a chriſtianis Principibus timendum foret; in navalibus opera intermiſſa, veteribus ſarciendis, maris tempeſtatibus afflictis inſtaurandis tri-

re-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 remibus ſtudium negligenter admodum impendi. Eo nuntio chriſtianis ditionibus metu ſolutis, alio Principum conſilia averti, Gregorii Pontificis ardor frigeſcere; atque (ut plerumque accidit, ex ſecuritate otium, ex otio mollitis animis ambitionem oriri) novarum ſocietatum egregia conſilia, atque novos motus Amurathem regni initio trahentem, opprimendi inanis ſpes: in faſtum, atque ambitus inſuetum genus evaſere; dum Itali Duces, inſignium cognominum ſpecie capti, quæ ſummo ſtudio ac precibus conſequi a majoribus Principibus nituntur, atque ad prægreſſionis diſſenſiones æquales antecedendi ſtudio delabuntur, quæ adeo excrevere, ut turbas quoque inter Reges exciverint. Earum exordium a Magni Ducis titulo ductum, quo a Pio V. Pontifice Maximo Coſmus Hetruriæ Dux decoratus, inſuetiſque honoribus Romæ exceptus, in Regum aula corona ornatus fuerat. Coſmi vero dignitatis incrementum reliqui Italiæ Duces æquo animo pati nequiverant; immo, unoquoque ſibi potiorem locum ac dignitatem varias ob cauſas vindicante, Sabaudus antiquitate, nobilitate, imperio, quod in Italiæ ac Galliæ finibus ſitum eſt, minime ſibi cedendum Coſmo rebatur; Ferrarienſis quoque ob majorum ſuorum ſplendorem, qui præclaras in Italia dignitates conſequuti, multis ſæculis imperaverant, ei, qui nuper Florentiæ dominatum Ducis titulo ſuſceperat, primas deferre indignum exiſtimabat. Nec minus Franciſcus Gonzaga, Mantuæ Dux, de primatu cum Alphonſo decertabat: ut nova atque inſueta animorum peſtis Ducum Italorum animos corripuiſſe videretur; denuo inter Maximilianum quoque, ac Gregorium, compreſſis Veneto bello diſſidiis aſſurgentibus, cum ille, uti Cæſarea auctoritate fulgens, titulos humanaſque dignitates, cui vellet, ſibi impertiri datum, ad Pontifices eccleſiaſticos tantum gradus ſpectare, acerrime contenderet.

Italorum Principum de titulis & prægreſſionibus contentiones.

Hoc veluti œſtro percitæ mentes varia moliri, agitare; Gregorius quin etiam ordinem, quo Principum legati ei in baſilica adſiſtere conſueverant, immutare eſt adortus. Cum enim ad urbem inviſendam ſuperioris anni exitu Menapiorum Princeps acceſſiſſet, dum portæ, quam *ſanctam* vocitant, diſcluſione jubilei annum Gregorius auſpicaretur, inſigni illum honoris argumento afficere ſtatuens, legatis Regum antepo-

nere,

nere, vetuſta conſuetudine obliterata, cogitaverat. Itaque ad 1575
ſtatas ejus diei ceremonias Galliæ, Luſitaniæ, ac Venetorum legatis excitis, cum reliquos eam ob cauſam intereſſe nolle Theupolus cognoviſſet, ut Reipublicæ dignitatem tueretur, ſibi quoque abſtinendum, neque Menapio eo loco cedendum exiſtimavit, quem regii legati, inter quos Veneti cenſebantur, obtinebant. Ea re perturbatus Pontifex vehementer eſt conqueſtus, atque Regum legatis, qui prope ad Pontificis pedes conſtant, poſt purpuratos tribuere ſubſellia meditabatur; idque ita ejus animo inſederat, ut & Romæ cum Theupolo, & Venetiis per Nuntium cum Senatu ageret; ut decreto Reſpublica acquieſceret, ſuoque exemplo reliquos ad ſibi obtemperandum incitaret: Venetorum exemplo reliquos excuſationes nectere; a Senatus autem ea in re conſulto nullo pacto diſceſſuros. Pontifici vero ſæpius eadem efflagitanti ita reſpondendum Patres cenſuere: *Neque ſpecioſa nomina quæſiviſſe, neque antecedendi ſtudio Rempublicam exarſiſſe unquam, ſed de eo tantum dignitatis gradu, quem ſibi majorum geſta, atque in rempublicam chriſtianam merita pepererant, tuendo ſolicitam ſemper extitiſſe. Ceterum ut obſervantiam atque obſequium erga ſanctiſſimam illam Sedem, atque ipſummet Gregorium etiam atque etiam pateſaceret, Senatui placere, ut ejus orator in eo, quem ſibi collibuiſſet, loco conſiſteret, modo in eodem quoque aliorum Regum legati eſſent, a quibus nunquam ſejuncta Reſpublica, pari cum illis auctoritate ac privilegio uſa fuerat.* Senatus decreto minime acquieſcens Gregorius hoc apud Rempublicam Nuntio præcipit, ne publicis ſtatis ceremoniis amplius, uti moris eſt, cum Principe intereſſet. Itaque propinquo divi Marci, Reipublicæ tutelaris, die, qui dies ſumma civitatis lætitia concelebratur, Patreſque & oratores epulo a Principe excipiuntur, cum biduo antea invitatus fuiſſet, ad Collegium adiens; *juſſum ſibi*, inquit, *ne cum Principe ac Senatu in publicum prodeat, quod Reipublicæ legatus in eum, quem ſibi Pontifex locum aſſignaverat, ſe conferre abnuiſſet.* Rei novitatem ſe valde Mocenicus mirari ait; eo Pontificis conſilio otioſorum malevolorumque hominum ſermonibus materiam ſuppeditari; hortatur, ne parvam iſtam diſſidiorum ſcintillam, ex qua tamen nonnunquam magna in-

Gregorii Pont. conſilium de loco oratoribus poſt purpuratos tribuendo.

cen-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 cendia cooriantur, coaleſcere ſinat, præſenſque ipſe ſolemni diei adeſſe velit, ſuadet. Verum Pontificis præcepto, ne, quod maxime cupiebat, efficeret, prohiberi ſe, Nuntius conſtanter affirmat: idque re præſtitit. Regum legati de Pontificis voluntate edocti tempus ad ſcribendum poſtulant. E Galliis ab Regina matre ad legatum Henrici (ille enim nondum Lutetiam acceſſerat) literæ afferuntur, quibus, ne ulla ratione conſueto loco decedat, jubetur. Itaque Gregorius cum difficilius, ac ſibi initio perſuaſerat, id negotium eſſe cognoviſſet, ſenſimque de priſtino ardore nonnihil remittere cœpiſſet, mora ac tempore re extracta, atque oblivioni tradita, nihil de oratorum veteri jure & conſuetudine immutatum eſt.

Senatus controverſias de finibus & captivis cum Turcis permutandis ſuis oratoribus permittit.

Inter exiguas haſce curas duo Byzantii maximi momenti negotia ad ſtabiliendam cum Selymo ſuperiori anno pactam concordiam a Venetis agitabantur; alterum de Illyrici finibus, de quibus nihil adhuc definitum fuerat, ſtatuendis, alterum de captivis permutandis. Illyrici fines anguſtis terminis comprehenſos, agros caſtellaque Dalmatiæ urbibus adempta, Patres conquerebantur; cum inde multa incommoda ſuboritura pernoſcerent; annonæ difficultas, incolarum imminutio, populorum inopia, efferæ gentis, & ad res novandas turbandaſque paratæ propinquitas. Itaque Jacobo Superantio, ac Joanni Corrario, qui Antonio Theupolo ſuffectus fuerat, Byzantium proficiſcentibus juſſum, ut poſt gratulationis officia de controverſiis finium ſedulo agerent. Legati Byzantium profecti, perhonorifice habiti ſunt; obviam illis ad *aquas* (ut vocant) *dulces* a ſenis Zauſiis magno Turcarum numero itum; a Mehemete Baſſa, ſupremo Viſiro, cujus (ut ſæpe diximus) magna in Rempublicam extabat benevolentia, maximis honoribus exculti, convivio regio, qui honos majoribus tantum Principibus exhiberi ſolet, excepti ſunt. Subinde ad Amurathem perducti, regium faſtigium Superantius gratulatur. Cui, ut mos gentis eſt, barbaro faſtu, pauciſſimis verbis reſpondit; biniſque literis, officii altera, altera de finibus exhibitis, a Rege digreſſi. De Illyrici controverſiis agi cœptum. Legatis, quæ pacis legibus continebantur, præſtari petentibus, iis legibus Selymum ad agros Illyrici reſtituendos ſe abſtinuiſſe, juſſa regia neglecta, per ſummam injuriam ampliſſimos civitatum agros ablatos fuiſſe. Legatorum poſtulatis cum nihil, quod ad rem ſpectaret, reſpondere Baſſæ poſſent, cupiditati morem gentis, Regumque vetuſtam conſuetudinem obtendebant, ut nunquam alicui ea loca permitterent, in quibus phana (quas *Meſchitas* vocant) erecta, oratioque celebrata eſſet. Amurathem nulla ratione adſentiri poſſe; nec, ſi adſentiatur, religionis illorum principem (*Muftim* vocant) inſignioreſque proceres paſſuros: eaque de re ſermone injecto, averſum adeo ſe oſtendiſſe, ut ne verba quidem auribus admitteret: ingens dedecus ſibi obventurum arbitrari, ad imperium, quo nullum majus ſol aſpiceret, provectum, ejus exordia non a majorum æmulatione, atque a regni incrementis, ſed a turpi conceſſione incipere. At contra Superantius, & Corrarius pacis conditionibus, quibus agros reſtitui cavebatur, noſtrorumque refragatione nitebantur, qui, poſitis a Turcarum miniſtris adverſus jus æquumque limitibus, nullo pacto adſentiri voluiſſent. Si Veneti Suppotum oppidum reſtituiſſent, cur & ipſi, quæ concordiæ legibus comprehenſa eſſent, reſtituere nollent? Neque vero quod iis in locis preces fudiſſent, idcirco non teneri, cum ſuperiorum temporum memoriam repetentibus, ſecus actum fuiſſe compertum foret: Samandria civitate Amurathem, Mahometi illius patrem, qui Byzantium ceperat, ceſſiſſe; Suleimanum Budam Joanni Hungariæ Regi tribuiſſe. His Baſſæ devicti rationibus eo ſe conferebant, ut priſcum nimium, Samandriæ factum adduci in exemplum non poſſe, Budæ privatas tantum, non publicas preces habitas, dicerent. Legati, ut tandem ad exitum negotium perducerent, Zemonicum in Jadertino agro oppidum, quod conſtanter reddere pernegabant Baſſæ, dirui petebant. Illi petitioni minime adſentiebatur, ut non longe ab Jaderæ munitiſſima civitate receptum tutum, & caſtellum frenum eidem aliquando injecturum obtinerent. Itaque novis ſuborientibus difficultatibus, prope jam deſperata re, id conſilium capiendum ibi legati cenſuere, ut quamprimum ſingulis de rebus Senatum docerent, ejuſque decretum Byzantii præſtolarentur.

Dum hæc fiunt, Turcarum animos ingens ſuſpicio invaſerat, ne Veneti paci adverſum aliquid moliantur; ad quorſum Hiſpanorum vires & apparatus tenderent, ſpectantes, ex eventu conſi-

1575

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 consilia caperent. Rumor enim Byzantium perlatus fuerat, centum ac quinquaginra triremium classe, Joanne Austriaco imperatore, Hispanos usque in maria Leucadi propinqua se contulisse; eoque rumore permoti, insueto perculsi metu, prætorianis militibus (quos *Jannizzeros*) equitibus (quos *Spaos* vocant) ut ad litora tutanda, maritimis viribus superiori bello depressis atque afflictis, se conferrent, præcepere. Verebanturque, Austriaco Byzantium versus iter habente, ne tumultus aliquis in multiplici atque incondita plebe oriretur. Navigia quoque intra Hellespontum cogi jusserant, anxiusque Mehemetes persancte jurejurando affirmabat, nunquam se, quin Byzantii triremes armarentur, præpediturum, singulisque annis præpotentem classem emissurum. Ea crebris nuntiis augebantur, quibus Persarum Regem brevi arma in Turcas moturum ferebatur; eoque Amurathis animum suspicio provexerat, vt Superantii legati cuncta suspecta habens, de ejus profectione crebro sciscitaretur. Itaque Mehemetes insigni equo ac regia veste eumdem donavit, ut eo argumento, quod in discessu exhiberi solet, non esse cur Byzantii amplius moraretur, intelligeret. At legatus, qui absque Senatus responso minime proficisci decreverat, rursus ad finium negotium pertractandum, incassum licet, convertebatur. Atque ea cunctatione Amurathes in majorem solicitudinem conjectus, legatum aperte dimittere volebat; cum Venetiis literæ afferrentur, nisi quæ de agrorum restitutione petierant, impetrarent, denuo ad terminos præfigendos Regis nomine in Illyricum aliquem mitti, idque munus Ferati deferri curarent. Amurathes, ut aliqua saltem in re Venetis gratificaretur, tribus conspicuis auctoritate viris, qui in rem præsentem venirent, negotium detulit; Ferati, Clissæ præfecto, ac Jafero Zausio; præcepitque, ut, nostris præsentibus, Turcarum fines a Venetis sejungerent.

Amurathes controversiarum definibus definitionem suis præfectis committit.

Non minore studio cœptum antea de permutandis captivis negotium agebatur, in quo impensius navandam operam Senatus censebat, ne, qui summa animi virtute ac fortitudine vitam pro Republica ac religione devoverant, diutius miserrima servitute afflictarentur. Illustres captivi, qui in turri ad pontum Euxinum asservabantur, cum iis, qui Romæ erant, com-

Negotium de captivis permutādis conficitur.

commutati sunt; atque ut tuto & sine fraude negotium conficeretur, Joannes Contarenus Anconem proficisci jussus, ut Roma adventantes, triremibus Epidaurum perduceret; eodemque tempore christianos reciperet, quod augusto mense effectum est. Ea in re eximiam pietatem, prudentiam, industriam Antonius Theupolus legatus patefecit, qui incredibili animi vigore captivorum causam amplexus, nullam ab se præclari conatus laudem desiderari passus est, qua pecunia, qua arte compluribus ex teterrima servitute ereptis, publicæque, ac privatæ liberalitatis exhibitis officiis ad suas oras amandatis. 1575

Antonii Theupoli oratoris opera in captivis liberandis.

Eodem ferme tempore in Cretam Jacobus Fuscarenus pervenerat, præclaraque magistratus initia, ac fundamenta jecerat. Quoniam vero sæpius de Creta insula verba sunt habita, neque hactenus de situ, de opibus, de incolarum ingenio satis actum est, supervacaneum minime arbitratus sum, si paucis hæc ob oculos in præsens proponerem. In ea mediterranei maris regione, quam Aegæum prisci, recentiores *Archipelagum* vocant, Creta sita est. Si cæli positionem inspicias, quarti climatis initio, nono paralello subjacet: si circumjecta maria, ab oriente Carpathium, ab occidente Ionium, ad boream Creticum, ad meridem Punicum spectat. Si ambitum spectes quingenta quinquaginta quinque millia passuum complectitur: in ducenta ac quindecim millia passuum in longitudinem ab exortu solis in occasum extenditur, licet ex priscis nonnulli ad ducenta ac septuaginta, alii ad ducenta septem ac nonaginta protulerint. Latitudo inter septemtrionem, ac meridiem, qua major habetur, quinquaginta passuum millia non excedit. In australi insulæ parte civitates olim visebantur; at noti ardoribus eo tractu exusto, modo ad boream cernuntur. Centum eam urbibus insignem antiquitas celebravit, nunc quatuor tantum præcipuæ numerantur. Ab occidente in orientem tendentibus, prima Cydonia, quæ hodie *Canea* dicitur, sese offert; post Turcicum bellum aggeribus ac propugnaculis munitior effecta. Inde Rithimna, *Retimum* vulgo dictum. Media fere insula Creta civitas, sive *Candida*, a qua regno nomen inditur, quæ & magnitudine & munitione & incolarum frequentia reliquis antecellit. Septia tandem antiquitus, nunc *Scitia*,

Cretæ situs & Cretensium rerum narratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 e Serapolis urbis clariſſimæ reliquiis orta. Tria inſignia ex inſula promontoria in mare porriguntur; in occaſum Cimarium; hodie *Spathæ*; in ortum Samonium, *Salamonis caput* dictum; in ſeptemtrionem tandem *Caput leonis*. Bini portus in boream obverſi, ampliſſimum ac tutum immenſis prope claſſibus receptum præbent; Amphimaleum, *Suda* vocatum; ac Spina leonis, hodie corrupto vocabulo *Spinam longam* nominant, quorum aditus firmiſſimis arcibus, munitionibuſque ſunt obſepti. Ad auſtrum importuoſa ſtationes quaſdam tantum, ac receptus parum tutos habet. Eo vero ſitu a natura Creta donata, eſt, ut Aegæi, ac propinquorum marium regina dici poſſit; meritoque eam Ariſtoteles in Politicis ad eximia incrementa ſuſcipienda maxime opportunam arbitratus ſit. Pari etenim pene intervallo ab Italia, Aegypto, & Syria diſtat. Nam ab Iapygio promontorio quingenta; ab Alexandria quadringenta ac quinquaginta; a Joppe Paleſtinæ urbe (*Zaphum* dicunt) ſexcenta ac ſexaginta paſſuum millia numerantur: ab Africa, ad quam auſtralis inſulæ regio objicitur, ducentorum ac quinquaginta millium intervallo ſecluditur. Tota fere montuoſa eſt, ab ea parte præſertim, qua in auſtrum vergit, in qua inſignis tantum planities montium corona præcincta, quam *Meſſaræam* vocant, viſitur. Ubi enim montes leni clivo in ſeptemtrionem demittuntur, plana variis in locis eſt. Oleo, carne, lacte, ac vino abundat, quod per omnes Europæ tractus diffuſum nulli ſuavitate concedit: frumenti natura ferax, licet auri cupiditate agriculturæ ſtudium vehementer imminutum ſit, cum incolæ lucro illecti, a frumentis ad vitium ſationem ſe contulerint, cui incommodo multis legibus, ac Senatuſconſultis finem imponi ſæpius Patres curavere. Varia animalium genera partim cicuria, partim agreſtia gignit. Mulæ viginti millium ſummam æquare feruntur. Hominum ad trecenta millia cenſentur. Gens ad nautica obeunda munera apprime idonea, marique ab incunabulis aſſueta, ut vetuſtam majorum erga res maritimas propenſionem a natura expreſſiſſe videatur: in quo ſane regni præcipuum robur poſitum eſt, cum ſuperiori bello ex Creta ſex ac nonaginta triremes extiterint.

An-

1575 Antiquitus propriis ſubjecta Regibus fuit. Metellus, qui inde Cretici cognomen traxit, primus Romanis ſubegit. In unius dominatum lapſa republica, ac diviſo demum inter Græcos ac Latinos Imperio, Græcis Cæſaribus obtigit. Anno vero M. CC. IIII. ſociis Gallorum ac Venetorum armis, Alexioque, qui ab Iſaacio patruo pulſus fuerat, in regnum reſtitituto, ac mox Murzuflo tyranno interempto, Byzantium captum, Balduino, Flandriæ Comite, Imperatore creato, quadripartito diviſum Imperium; pars Cæſari; pars Gallis; pars Venetis ceſſit. Quarta rurſus inter Gallos ac Venetos tributa. Inde Venetiarum Princeps, ut decretis atque aliis publicis documentis conſtat, Dominus quartæ partis cum dimidio totius Imperii Romaniæ appellatus. Bonifacius vero, Montisferrati Marchio, cui Creta obvenerat, eam Venetis quadringentarum argenti marcharum pretio vendidit; atque inde Veneto imperio acceſſit; quam ut firmius tuerentur, a priſcis, Romaniſque in primis petito exemplo, nobilium, ac civium Venetorum coloniam miſerunt, quæ iiſdem legibus atque inſtitutis formata ſimulachrum Venetæ Reipublicæ referret.

Creta quomodo in Venetorum poteſtatem pervenerit.

Ad illam tunc inſulam cum ſummo imperio regendam, ut diximus, Jacobus Fuſcarenus ſe contulit; nutantia jura firmavit; labentem juſtitiam erexit; militarem diſciplinam reſtituit; novas arces excitavit; temporis vetuſtate ac negligentia collapſam Equitum diſciplinam inſtauravit. Nam Veneti initio in trecentos ac nonaginta quatuor (quos vocabant) *equitatus* inſulam partiti fuerant, in quibus tres equi cenſebantur, bini ad bellum apti, tertius ad ſarcinas convectandas aliaque minoris momenti munera obeunda idoneus; qui univerſam 1182. ſummam conficerent. Temporis vero diuturnitate prolapſis rebus, ex ſecuritate negligentia, ex negligentia legum atque inſtitutorum contemptu exorto, præcipuum illud præſidium vel convulſum, vel imminutum fuerat, quod, ut ad priſtinum nitorem perduceret, cenſum equitum habere, præmiis propoſitis, nobiles viros ad equitandi peritiam obeundaque militaria munera illicere Fuſcarenus ſtatuit, nihil æque ad generoſos animos permovendos, quam virtutis laudem poſſe ratus. Peregrino quoque milite in ſingulis urbibus atque oppidis diſperſito, regnum firmavit, numero ad quatuor mille ac ſexcentos, Senatu jubente, redacto,

Jacobi Fuſcareni in Cretæ regno leges.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 quibus opportuna tabernacula partim publico, partim privatorum ære conſtruxit. Incolarum militiam pene intermortuam excitavit, ordineſque militares inſtituit. Remigum numerum ad claſſem inſtruendam conſcripſit; plebem, alioſque vel abjectæ ſortis, vel modicæ conditionis homines a potentiorum vi atque imperio vindicavit. Nihil quod vel ad ſecuritatem, vel ad regni decus attineret, fuit, cui ipſe acri ingenio, atque magnis rebus gerendis aſſueto non provideret. Volumen, in quo leges ab ſe conditæ continebantur, evulgavit, quæ ut perpetuo ad Cretæ regnum adminiſtrandum ſervarentur, Senatus poſtea decreto ſancitæ & confirmatæ ſunt.

Hiſpani damna Venetorum navigiis inferunt, Crucem navem capiunt.

Dum iis in rebus Veneti verſantur, animum ad alias ſolicitudines Philippi Regis miniſtri attraxere, qui infeſtum mare reddere, quæ ſemper Reipublicæ curæ fuerat, navigandi adempita ſecuritate, conabantur. Namque navem, Crucem nuncupatam, pretioſis mercibus, bellicoque ad inſularum orientis præſidium onuſtam apparatu, Venetiis digreſſam, ad Cephalenem binæ roſtratæ triremes, Marchionis Sanctæ Crucis una, Armæ Toletanæ altera, impetu facto, ceperunt, avaritiaque ac libidine religionis velo obtecta, quod in ea Judæorum mercimonia inveniſſe, ac multa ſacris vetita legibus infidelium in regiones conveherentur, intercepiſſe affirmabant. Hoc nuntio vehementer perturbati Patres, intolerandum arbitrabantur, eo hominum audaciam provectam fuiſſe, ut Veneta navigia invaderent, & impune occuparent; quæ liberrime quacumque mediterraneum mare diffunditur, navigare ac mobilium inſtar arcium ingentes cujuſvis hominum generis divitias atque opes ſuo ſinu complecti conſueverant; cum præſertim Senatus ſeveriſſimis legibus atque edictis in eos, qui in infidelium regiones vetita inferrent, animadverteret. Itaque Auſtriaco, qui tunc Neapoli erat, literas ſcribendas ſenatusconſulto Patres cenſuere, quibus illata damna, naves interceptas, mercimonia direpta, conquerebantur; pro amicitiæ jure prædas reſtitui, noxioſque plecti, ne quid ejuſmodi in poſterum accideret, flagitabant. Hieronymus quoque Lippomanus ad eum eſt legatus, qui proſperum adventum in Italiam gratularetur; de auxiliis, maritimiſque opibus per regium oratorem Reipublicæ oblatis gratias ageret; demum de iis, quæ in navem Crucem ge-

Hieronymus Lippomanus ad Joannem Auſtriacum legatus.

geſta fuerant, conqueſtus, ut ſatis Reipublicæ fieret, efflagitaret. Re Neapoli & in Hiſpania agitata, tandem virtute ac prudentia Alberti Baduarii, oratoris, Madriti confecta; navigium ac bona adempta, juſſu Regis reſtituta ſunt. Atque ut in poſterum ejuſmodi occaſiones amputarentur, ex quibus privata cupiditate inter Principes diſſenſionum ſeges ſerebatur: ne ex Neapolitano regno aut Sicilia prædatoriæ naves in orientem exirent, graviſſimis propoſitis pœnis, Philippus ſanxit. Eadem libidine Franciſcus Mediceus, Hetruriæ Dux, ac Hieroſolymitani Equites correpti, excurrere maria, infeſta navigantibus itinera reddere cœpere. Ab Hetruſcis triremibus galeonem Venetum interceptum, ſed ſtatim reddi a Franciſco juſſum; licet id ſe in gratiam Reipublicæ feciſſe, non quia ita teneretur, jactaret.

1575 *Albertus Baduarius navis reſtitutionem a Philippo impetrat.*

Hetruſcorum & Meliteniſium excurſiones.

Torniellum navigium e Syria rediens Melitenſes cepere, quod in eo Turcarum, & Judæorum merces, adverſus quos perpetuas inimicitias profitentur, inveniſſent. Qua ex re adeo Senatus exarſit, ut claſſis legato, Adriatici ſinus Cretæque cuſtodiæ præfectis præciperet, quocumque in loco Melitenſes triremes inventas, armis cunctis exuerent, religioniſque proventus, quos ampliſſimos in Venetorum ditionibus poſſident, nomine publico intercepti ad damna ſarcienda aſſervarentur. Ad hæc cum Pontifice de Equitum injuriis expoſtulatum, quod ab iis parvi lucri gratia chriſtianæ reipublicæ tot incommoda accederent: dum communem hoſtem in Venetos laceſſerent, maria turbarent, negotiatores maximis moleſtiis afficerent. Illud ſcilicet chriſtiano Equite dignum videri, rapinæ tantum ac prædæ inhiare, neque communi bono, neque illius Reipublicæ rationibus proſpicere, quæ nuper immenſas opes, civium ſanguinem pro religione liberaliter effudiſſet? His permotus Pontifex, ad magnum militiæ Magiſtrum literas, quibus poſthac milites in officio continere jubebatur, dedit; quæ Torniello navigio erepta fuerant, abſque diſcrimine cuncta reſtitui juſſit; Joannem Buratum equitem, Anconæ progenitum, qui præſens direptioni adfuerat, perpetuo ex cunctis eccleſiaſticis ditionibus exilio, redditibus publicatis, mulctavit; ſacerdotio, religioniſque habitu adempto, excommunicationis ſpiculum intorſit.

Senatus mandata ad maris præfectos contra Melitenſes.

Venetorum cum Pontifice de Melitenſibus querelæ.

Gregorii Pontificis contra Melitenſes maria infeſtantes decreta.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 Regis vero decreto in Italiam ad Joannem Auſtriacum perlato, Crucem navigium, quæque ex eo ablata fuerant, ſtatim reddi integra fide juſſit; Hieronymum Lippomanum, legatum, ſummis honoribus affecit; quem ejus nomine Sotus a ſecretis convenit, prolixaque oratione de iis, quæ in ſequentem annum Amurathes meditabatur, differuit. *Neminem eſſe, cui commune reipublicæ chriſtianæ bonum animo non hæreat, quem non aſſidue ea meditari oporteat, quibus ſeſe nimis efferenti Turcarum potentiæ obſiſti poſſet, ne immenſa dominandi libidine perciti, horrendam cunctis perniciem minitentur, atque in dies Chriſtianorum ſpoliis aucti vehementius inſurgant. Hoc malum nullo magis, quam Venetorum cum Rege amicitia, ac ſocietate averti poſſe. Ac ſi Senatus claſſem quammaxime augeri, ut regiæ opportune jungi queat, ſedulo curaverit; ſi quidpiam pene ex præterita Hiſpanorum cunctatione adhuc moleſtiæ in Patribus reſideat, penitus animo depellant; cuncta in poſterum ex ordine, conſultiuſque acturos, præterita errata correcturos, ea in re ſecuritatem, quam Veneti optent, præſtaturos. An ex eorum utilitate* (ait) *eſſe arbitrantur, publicas, privataſque opes aſſiduis ſumptibus in militum præſidiis, in novis erigendis munitionibus, in claſſe adornanda augendaque exhauriri, hoſtiumque progreſſus, aliorumque calamitates otioſe contemplari? Quin potius vivido ad gloriam impetu, poſtquam Dei Optimi Maximi clementia, quæ ad obterendam ac diruendam immanem illam molem neceſſaria erant, patefacta ſint, dum ſuperiores adhuc vigoris ac fortitudinis reliquiæ vigent, tantam auri vim ad aſſiduum metum diſcutiendum impendunt, ut aliquando a cervicibus jugum, temporis tractu ac negligentia formidoloſum intolerandumque evaſurum, excutiant.*

Joannes Auſtriacus Lippomanū oratorem contra Turcas incitat.

Hieronymi Lippomani reſponſum.

Hæc Sotus; cui Lippomanus legatus, *Quo major Ottomanorum Regum potentia eſt, eo magis* (inquit) *maturitate, ac prudentia opus eſſe, antequam ea conſilia capiantur, quæ ſpecie generoſa atque utilia, ingentes ſemper curas, nonnunquam damna & clades ſecum traherent; iis minime adeunda, qui periculo proximiores, pro aggere reliquis ſtarent; recenſque, quantum pondus iis immineat, quibus cum Turca pugnandum ſit, experti fuerant: ingentes ſumptus a Venetis pacis tempore fieri; multo majores bello facturos; in commune bonum propenſos ſemper extitiſſe. Ceterum quæ ex ea voluntatis propenſione penderent, ad majora pericula reſervari oportere. Quis enim dubitet, Creta, Zacyntho, ac Cephalene amiſſis, nullo obluctante, Ottomanorum claſſes in Salentinos Apuliamque venturas, Siciliam Neapolitanumque regnum invaſuras, in Italiæ uſque viſcera penetraturas? Ex quo quantum detrimenti Philippo Regi acceſſurum eſſet, neminem non noſſe. Nulla ex parte Regis cum Republica rationes conferendas eſſe, cum ea prævalidis militum, equitumque præſidiis, arcium oppidorumque munitionibus maritimum in oriente imperium retineret; Rex contra nullo incommodo aut impenſa Neapolitanum regnum, Siciliam, Sardiniamque defenderet.* Iis a Lippomano dictis, Sotus reſpondere nixus, mox Joannis Auſtriaci virtutem extollit; illum a Deo Optimo Maximo hiſce temporibus datum, ac ſervatum, quo in magnis expeditionibus ad religionis chriſtianæ incrementum uteretur; eximiam hanc præclare gerendarum rerum opportunitatem otio minime conterendam eſſe. Vigebat profecto in Auſtriaco Principe veræ gloriæ ac laudis immenſa cupido; vehementique animi ardore expetebat, ut denuo Principum chriſtianorum vires ſuis auſpiciis jungerentur, hoſtemque, de quo antea triumphaverat, denuo frangeret atque obtereret. Verum hæc potius exoptari, quam ad exitum perduci poſſe videbantur. Nam ingentium occaſionum momenta ſemel amiſſa, perraro ſeſe rurſus objiciunt; cumque multa hoc tempore hiſce conſiliis officerent, tum præcipue rerum Belgicarum ſtatus obſtabat. Licet enim Cæſar ad ea diſſidia componenda legatum in Belgium miſiſſet, Bredæque conventus habitus eſſet, non abſque ſpe, ut pacis leges Belgæ a Philippo ea conditione acciperent, ut Hiſpani milites ex provincia dimitterentur, ſartaque ac tecta eorum privilegia ſervarentur: tamen re agitata, nihil confici potuerat, cunctaque in incertos belli caſus rurſus provolvebantur, Bura ab Hiſpanis, aliiſque oppidis occupatis.

1575

His Genuenſium motus in Italia acceſſerant, qui ob civium factiones in diverſas partes Rempublicam trahentes, magnas turbas conciverant; ac niſi a reliquis Principibus obviam itum foret, in ingentes ruinas erupturas. Ad eas controverſias componen-

Genua ſeditionibus turbata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1575 nendas Joannem Idiaqueum Legatum Philippus Genuam misit; cujus auctoritate arma depositа, externa auxilia dimissa, lex, quam *Garimberti* vocabant, a Carolo Quinto Imperatore anno M. D. XXXXVII. lata, qua a sorte ad electionem magistratuum creandorum ratio traducta fuerat, abrogata est. At ea abrogatione inter veteres novasque familias recrudescentibus odiis, cum rem ad civile bellum proclinatam Gregorius intelligeret, ut Italiæ quietem conservaret, Joannem Franciscum Canobium citato itinere Genuam mittit, qui civibus significet, Joannem Moronum, Cardinalem, ad eos legatum, ut concordiæ rationem aliquam inveniat, designatum. Maximilianus quoque Aquensem Episcopum, ac Vitum Dorimbergum, apud Venetos legatum, eo proficisci jussit. Verum apud inflammatos civium animos magis internecina odia, quam suasiones poterant. Cum interea Gandiæ Dux ex Hispania a Rege missus, urbem una cum reliquorum Principum legatis ingressus, tumultus sedare, pristinaque concordia civium animos conglutinare adnixus, partium simultatibus atque rabie, nil auctoritate conficere potuit. Veteres cives, Joanne Andrea Auria imperatore lecto, qui suos primum ad tuendam libertatem acriter cohortatus, pecuniæ haud exigua vi coacta, novos militum delectus habuerat, ab Austriaco, qui tunc Neapoli erat, in duos menses triremes impetraverat; sublato reipubliceæ Genuensis vexillo, repente civilis belli initia Veneris portu, Clavari, & Sestro occupatis, fecere. Licet vero legati tandem legum ordinandarum facultatem a Genuensi Senatu obtinuissent, attamen adhuc elidi dissensionum semina non poterant. His de rebus veteres familiæ per Ambrosium Spinulam Senatum edoceri curarunt, qui tumultuum originem, progressus, causas, quibus ad arma capienda impulsi fuissent, prolixa oratione exposuit. Et quoniam jam in arbitros, apud quos ordinandarum legum jus esset, convenerat, ut officio atque auctoritate quamprimum negotium confici Senatus eniteretur, flagitavit, ne cunctatione incendium, prope restinctum, denuo assurgens, majores vires atque incrementa susciperet. Spinula perhumaniter excepto quam molesta, quæ amicæ reipublicæ acciderant, Patribus extitissent, Mocenicus Princeps significavit; gravique sermone ad concordiam est cohortatus; atque ut penitus flammæ civi-

Ambrosius Spinula Venetis Genuensium dissidia significat.

civilium turbarum tollerentur, Senatus nullum officii genus prætermisit. At Pontifex, majori studio in eam rem incumbendum, ne eo malo sensim Italia corriperetur, arbitratus, modo prece, modo minis, modo obnuntiationibus id egit, ut, tandem conciliatis animis, concordia revivisceret, atque inde ordinandæ Reipublicæ decreta ac leges a Cardinale Morono, pontificio legato; Petro Fauno, Episcopo Aquensi, cæsareo oratore; Carolo Borgia, Joanne Idiaqueo, regiis legatis, conditæ ac latæ, in sequentis anni fere initium vulgatæ sunt. 1575

Compositis Genuensium rebus, Italiæ pax, quæ nutare videbatur, confirmata est; verumtamen humana ope ea, quæ divinitus impendebant, fata averti nequivere, cum jam pestiferæ luis semina Italiæ fores obsedissent. Nam Tridentum ejusmodi contagione correptum fuerat, quæ in omne genus hominum debacchata cunctos fere illius urbis incolas absumpserat; idque virus autumno per occultos veluti cuniculos Venetam civitatem invasit, ab infima plebe in quibusdam civitatis regionibus initio facto; cui extinguendo nihil a Patribus prætermittebatur, ordinario procurandæ sanitatis magistratui extra ordinem duobus insignibus Senatoribus, qui cum summa auctoritate præessent, adjectis. Vincentio Mauroceno, ac Joanni Aloysio Bragadeno, Marci Antonii fratri, qui ad Famagustam pro fide ac religione a Turcis obtruncatus fuerat, munus id est delatum.

Genuensium res compositæ.

Venetias pestifera lues invadit.

M. D. LXXVI.

SEquitur annus partæ salutis quingentesimus septuagesimus sextus supra millesimum, atroci pestilentia, quæ urbem universumque fere terrestre imperium invasit, Reipublicæ acerbus; nec minus piratarum insolentia molestus, qui licet nonnunquam armis coerciti, aliquando officiis apud Principes repressi, Venetos exercebant; ii hoc anno ineunte ex Liburnia regione erupere, quæ sterili solo, præruptis montibus, cautibus, recessibusque impervia, homines feritate animi ac corporis robore præferoces rapto ac præda vivere assuetos gignit; ut etiam Romanæ reipublicæ temporibus latrociniis ea regio infamis haberetur. Uscochorum nomen gens hac fere tem- 1576

Uscochorum direptiones.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 tempeſtate nacta, variis ex cauſis evelli nunquam, aut excindi potuit. Inde ante poſtremum cum Selymo bellum damna ſæpius noſtris, Turciſque illata, haud parvis curis Patres afſecerant. In turcicas enim ditiones excurrendo, jumenta abigere, homines in ſervitutem abducere, navigationes per Adriaticum ſinum habere cœperant. Inde Suleimanus Rex ſæpius cum Senatu conqueſtus fuerat: mari, quod Reſpublica obtineret, in ejus fines piratis aditum præberi, qui, ex Venetorum inſulis facili in continentem trajectu, in ſuos captivitate, ferro, incendioque ſævirent, ut jam illis nihil tutum, cuncta in ambiguo forent: ac ni iis incommodis Veneti obviam irent, ſe cum claſſe in Adriaticum ſinum venturum, Seniam, atque alia loca, quibus piratis receptus eſſet, expugnaturum minabatur. Hæc cum Patribus admodum moleſta eſſent, omni ſtudio & conatu, ut diſſenſionum cauſas cum Turcis tollerent, malumque ab Illyricorum cervicibus amoverent, enixi fuerant. Sed bello oborto, cum ita temporum ratio poſcere videretur, ut, ſi quid emolumenti poſſet, ab effera gente caperetur, eis navigandi facultas permiſſa eſt. Pace deinde compoſita, cum rurſus navigatione intercluderentur, ad eaſdem artes, quibus victitabant, converſi, acrius invehi, cuncta turbare, in turcicos fines ſeſe inferre, nulli parcere, inde finitimam gentem in Reipublicæ ſubjectos, ex quibus tot ſibi damna extare putabant, elicere; res quoque Venetorum minime intactas relinquere, celoce, qua literæ ad Senatum perferebantur, nuper direpta, verberibuſque quodam Turca affecto, boniſque exuto. Quæ ſane cum intoleranda viderentur, ad eam peſtem avertendam omnes nervos adhibere Patres ſtatuunt; Senatuſque conſulto claſſis legato injunctum, ut extemplo cum ſelectis triremibus quinque in maria Seniæ propinqua ſe conferret, prædones perſequeretur, nulli parceret, quotquot inveniſſet, interficiendos curaret, a navigando prorſus arceret, Seniæ exitu atque ingreſſu navigia prohiberet, commerciis interdictis, annonæ inopia eos facilius perdomari poſſe rati. Ac ne quid intentatum relinqueretur, ut præfectus in Uſcochos crearetur, latum, qui & ſubjectorum ſaluti conſuleret, atque aſſidue fatigando ac obſidendo gentem affligere niteretur; quæ licet non admodum numero præſtaret, attamen & locorum aſperitate,

Senatus mandata ad claſſis legatum de Uſcochis perſequendis.

& re-

& receptuum frequentia, noctiſque adjumento noſtrorum conatus irritos reddere conſueverat. Id onus Hermolao Theupolo, Stephani olim Marcii Procuratoris filio, obtigit, qui a teneris annis maritimæ innutritus diſciplinæ, haud exiguum floreſcentis virtutis ſpecimen in juventa præbuerat. 1576

Hermolaus Theupolus contra Uſcochos præfectus.

Vincentio quoque Throno, oratori, juſſum, ut de Uſcochorum injuriis damniſque cum Maximiliano expoſtularet, quæque inde Venetis non modo, ſed univerſæ reipublicæ chriſtianæ detrimenta impenderent, exponeret. Eo iniquam prædandi licentiam ac ſcelera gentis provecta, ut amplius ferri non poſſent. Peteret, ut ſua auctoritate inſoleſcentes conſceleratorum hominum ſpiritus comprimeret; neu pateretur in ſuis ditionibus eos coaleſcere, qui modo amicis graves, aliquando ipſi quoque moleſti eſſent futuri. Cæſar, Throno audito, vehementer commotus, ne in poſterum a Senienſibus damna alicui inferrentur, operam ſe daturum ſpondet; interea ut ablata reſtituantur, ſontes plectantur, quique rapto viverent amoverentur, curaturum. Cumque eis loca, ad quæ cum præda ſe reciperent, adimenda, atque in primis Buccarim, & Flumen demolienda eſſe arbitrarentur, Serinio Comiti, cujus ditionis ea oppida erant, Pragam ut accederet, juſſit. Quatuor viros cum ſumma auctoritate Seniam legavit, qui prædas reſtitui præciperent, in auctores & conſcios ſcelerum ſeveriſſimis pœnis animadverterent. Thronus Maximiliano de egregio in Rempublicam animo gratias egit. Ceterum ad evellendas ſtirpitus hujuſce peſtis radices, Uſcochos omnes ex iis locis ad unum pellendos, atque in alias terras amandandos eſſe contendebat. Dum Seniam incolerent, eadem ac pejora in dies ſuboritura graviſſimorum morborum ſemina; nili penitus ſublata ſint, repullulaſcere: ſtipendia pernegata, annonam interceptam, incitamenta ad majores direptiones futura. Sed Maximiliano, quo magis ſatisfacere Venetis videbatur, eo majores difficultates inſurgebant, dum graviora atque certa remedia excluderentur, parva & exilia non ſufficerent.

Vincentius Thronus orator cum Cæſare de Uſcochis cõqueritur.

Maximiliani Cæſaris reſponſum.

Interea cum prævalida triremium manu Theupolus præfecturam inierat; Seniam vicinaque oppida gravi obſidione premere cœperat. In earum rerum motu Cæſaris legati Seniam perveniunt, difficiliuſque, ac ſibi perſuaſerant, negotium, ut ajebant, rati,

præ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 præda omni jam diſſipata atque abſumpta, & cum iis agendum, qui, calcatis legibus, metu juſtitiæ poſthabito, dominorum jugum excuſſerant; popularem ſeditionem veriti, celerrime diſceſſere, cibariorum inopiam, quod arcte nimium a Theupolo Senia circumſideretur, cauſati. Senienſium non modo, verum etiam totius illius regionis tractus incommoda ejuſmodi erant, ut neceſſitate adactus aliquod rebus præſentibus auxilium ferre Cæſar cogeretur. Quocirca oratori Veneto ſcriptum exhibuit, in quo optimam in Rempulicam voluntatem teſtatus, nihil ſe æque cupere, quam ut earum diſſenſionum ſeges auferatur, affirmabat; Senia, qui ære publico non mererent, emiſſurum; reliquis, ne ad vitam rapto agendam neceſſitate impellerentur, ſtipendia aſſignatum iri: denuo quatuor legatos ad ablata reſtituenda mittere ſe decreviſſe; præfectum, quem Uſcochorum latrociniis faviſſe perhibebatur, amovere, aliumque ſufficere; ex Uſcochis inſigniores duodecim Lubianam perduci, ut meritas pœnas luerent, enixurum.

Dum piratarum inſolentiam vi atque officiis reprimere Patres conantur, quamvis ſuperiore anno quantam ex turbata navigatione moleſtiam percepiſſet, Philippus abunde patefecerat; attamen avaritia infenſoque Franciſci Bonavidii Hiſpani animo diſſenſionum cauſæ rurſus emerſere. Is enim quatuor, quibus præerat, triremibus in orientis maria delatus, Memiam navem Byzantio redeuntem diripuit. Verumtamen partæ prædæ brevem admodum lætitiam tulit. Nam maris tempeſtate in Creticum mare abreptus, a Joanne Baptiſta Contareno, cuſtodiæ regni præfecto, triremi capta, vivus ipſe in illius poteſtatem pervenit; ex quo & multum Contareno laudis acceſſit, & haud parum timoris iis eſt injectum, qui, gentium jure neglecto, maria infeſta reddere ſummo mortalium detrimento nitebantur. Ejus rei eventum quamvis ſummopere publicis rebus conducere Patres intelligerent; nihilominus exinde, ni prudentia adhiberetur, diſſidia exciri poſſe conjectabant; dum hinc Philippus liberare Bonavidium contenderet, inde Selymus captivum una cum triremi ſibi tradi flagitaret, pœnas ab Hiſpanis de illatis Muſſulmanis injuriis damniſque repetiturus. Igitur in re ancipiti minime cunctandum arbitrati, cum Philippi legatus Bonavidium libertate reſtitui obnixe petiiſ-

Franciſcus Bonavidius Memiam navem eripit.

Joannes Baptiſta Contarenus Bonavidii triremem capit.

petiiſſet, Regem, quæcumque e Republica eſſent, ultro ſemper facturum pollicitus, Patres ad Contarenum Senatusconſulto literas dedere, quibus una cum triremi captivum dimittere jubebatur; atque Alberto Baduario oratori juſſere, ut quæ in ejus gratiam decreta eſſent, Philippo ſignificaret; ablata Turcarum atque Judæorum mercimonia reſtitui, ac poſt ne quid ejuſmodi accideret, ſeveriori edicto caveri poſtularet. Rex, qui ea, quæ evenerant, ægre admodum tulerat, ejuſmodi ex Senatusconſulto voluptatem cepit, ut Patrum prudentiam ſummis laudibus efferendo, gratias per ſuum oratorem Senatui egerit, prædas omnes ſtatim reddi, Bonavidiumque Neapoli carcere includi juſſerit. 1576

Byzantium nuntio earum rerum perlato, Mehemetes Baſſa, Joanne Corrario vocato, multa de Hiſpanis conqueſtus, ut traderetur ſibi triremis cum captivo petit. Corrarius, *negotium ad Senatum ſpectare*, inquit, *ab eo pœnas, de Bonavidio, utpote a ſuis capto, ſumendas. Quis enim ejuſmodi ſcelera magis quam Veneti, abominaretur? Quis acrius Venetis prædonum licentiam coercuiſſet? ſæpius ut iis rebus proſpiceretur, cum Hiſpaniarum Rege actum; nullum non lapidem moviſſe, ut tuta navigantibus maria paterent*. Sed antequam Byzantio literæ afferrentur jam Senatuſconſulto facto, quæ ad id impuliſſent, Mehemeti Corrarius exponere juſſus fuerat: *amici Regis triremem, & captivum aliis tradendum minime Senatum cenſuiſſe; haud ſecus, ſi res Amurathis ageretur, facturum*. Hæc a Corrario dicta eum æqua eſſe Baſſa intelligeret, captivos, eorumque bona, quæ Contareni triremi adſervabantur, petiit: ſtatimque, ut ea redderentur, latum. Fuerant ſane poſt inſignem illam noviſſimam cladem Turcis illatam maritimæ eorum opes haud parum obſtrictæ ac fractæ, ut neque triremium numero, neque navalium ſociorum nautarumque virtute ac peritia præſtarent. Fame quoque afflicto Byzantio peſtilentia acceſſerat, quæ in plebem graſſata, ingentem hominum multitudinem abſumpſerat. Perſarum inſuper motus alio Amurathis curas avocabant. Itaque Uluzzalius cum triremibus tantum ſexaginta egreſſus, nihil adverſus Chriſtianos moliri potuit.

Turcæ Bonavidii & ejus triremem à Corrario legato petunt.

Ceterum omnis in Gallia & in Belgio vel armorum ſtrepitus,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 pitus, vel diſſidiorum tempeſtates compulſæ videbantur. Quamvis enim Henricus, e Sarmatia in Galliam reverſus, in Remenſi civitate ſacro inunctus oleo, acclamatus Rex fuiſſet, atque ad priſtinam pacem regnum redigere, ſedatis diſſenſionibus, præteritorum oblivionem pollicitus, conatus eſſet; tamen neque officiis, neque promiſſis rebelles animos flectere potuerat, ampliſſimumque illud regnum diſſidentium ſtudiis factionibuſque diſtractum collabebatur; cum præſertim Franciſcus Alenconius, Regis frater, venationis obtentu, una cum Cantabrorum Rege ex aula ſe proripuiſſet, Henricoque fratre relicto, Condæo acceſſiſſet; ſcripto vulgato, nulla in parte a veteri catholicaque religione diſcedere ſibi conſtitutum; ſed Gallos omnes cujuſvis religionis oppreſſos atque afflictos ſublevare, privilegia tueri, externos Gallia pellere, pacem ac tranquillitatem publicam firmare. His ſucceſſibus Catharina Medicea, Regis mater, gravi mœrore perculſa, quacumque ratione filiorum diſſenſiones componere, procellaſque civiles ſedare adnitebatur. Ex his Galliæ tumultibus quot chriſtianæ reipublicæ incommoda ac jacturæ imminerent, cum Senatus animadverteret, Joannem Michaelium atque Andream Baduarium oratores ad Henricum miſerat, qui & initia regni gratularentur, & illum ad concordiam pacemque, cui chriſtiana religio, fœderatorum atque amicorum incolumitas niteretur, amplexandam impellerent. Baduarius in itinere morbo correptus, Vercellis obiit. De ejus obitu a Michaelio, Franciſcoque Molino, apud Sabaudum legato, Senatus certior factus, Michaelium cœptum iter proſequi juſſit. Qui Lutetiam cum veniſſet, regnum Henrico gratulatus, gravi illum oratione Senatus nomine ad pacem eſt adhortatus; quam poſt multa utrimque agitata, æſtatis initio confectam, per Arnoldum Ferrerium Senatui ſignificavit; qui Principis, Patrumque collegium adiens, Henrico regnum ingreſſo nihil antiquius fuiſſe, inquit, quam ut civilia in Galliis exorta diſſidia penitus extinguerentur; multis laboribus & curis exantlatis, tandem pace parta, tranquillitatem regno attuliſſe: ad eamque cunctis anteferendam rebus Reipublicæ, quam ſummo exiſtimationis atque amoris loco haberet, ſuaſionibus adductum: pridie vero quam negotium ad exitum perduceretur, pulcherrimam, ſingularique pru-

Franciſcus Alenconius & Cantabrorum Rex ab Henrico Rege diſcedunt.

Joannes Michaelius, & Andreas Baduarius ad Henricū oratores.

Andreæ Baduarii obitus.

Arnoldus Ferrerius Venetis pacem Gallicā ſignificat.

prudentia refertam Michaelium legatum orationem ad Regem habuiſſe, qua commoda ornamentaque pacis efferens, Henricum ad eam vehementiori ſtudio amplexandam impulerat. Adjecit, non metu aut virium infirmitate adactum, pacis conſilium Regem cepiſſe; quippe qui militum numero, virtute, Helvetiorumque in primis robore antecelleret, licet equitatu minus aliquanto pollere videretur: ea concordia omnes regni proceres, Ugonottos quoque ipſos, comprehenſos, quibus, ob majora mala evitanda, novæ religionis uſus permittebatur: Alenconium, ingentibus quamvis a matre pollicitis oneratum, nil aliud, quam Regis fratri honores deferri conſuetos propoſuiſſe: haud impari ardore animi Cantabrorum Regem, Condæum Principem, Momorantium, Danvillam pacem complexos: Benio Domino, qui eum nuntium Reipublicæ perferret, oratore deſignato, graſſanteque peſtilentia impedito, ſibi id munus impoſitum fuiſſe; illum vero de more Pontifici regio nomine obſequium præſtaturum, concordiam initam ſignificaturum, pecuniæ ſubſidia poſtulaturum Romam profectum. 1576

His a Ferrerio dictis, Mocenicus Princeps, pacem gratulatus, gratias Henrico Reipublicæ nomine egit, omniaque proſpera, & felicia precatus eſt. Tum Ferrerius ſubjecit; ſecum immanes pecuniarum ſumptus, quæ a Republica in claſſem, in milites, aliaque, prout rerum occaſio fert, erogantur, reputantem, Henrico, ut a pecuniæ ſubſidiis hoc tempore petendis abſtineret, perſuaſiſſe, eoque præſertim, quod ſumma liberalitate Carolo ducenta aureorum millia mutuo data nondum Reſpublica recepiſſet. Sed Henricum, qui memorabilem Venetorum Reipublicæ in ſe Galliamque univerſam illuſtri ac præclara admodum ſignificatione orbi teſtatam benevolentiam expertus eſſet, confidere, nullo unquam ſtudio feſſos Venetos ſuis rebus defuturos. Itaque cum pro pace ſtabilienda ingenti auri vi, & ad militum ſtipendia perſolvenda, & ad alia perficienda opus ſit; atque in Germanorum miſſione ſexcentis Francorum millibus exſolutis, adhuc Helvetiis, quibus complura ſtipendia debita erant, in finibus regni morarentur; a Senatu altera ducenta aureorum millia petere, negotiatores viros ſpectatos, atque opulentos prædes daturum: gemma-

Mocenici Principis reſponſum.

Galliæ orator pecuniā a Senatu poſtulat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 marum vim, quæ centum ac quinquaginta aureorum millia æquarent, apud ſe habere; ac ſi ita Senatui libuiſſet, exhibiturum, Ferrerius pollicetur. Ad hæc Princeps: ſuperiori bello exhauſtas divitias, exinanitum ærarium, bis centies centena millia aureorum inſumpta: neque, confecta pace, impenſarum cauſas deeſſe; commeatibus, claſſe, copiis ad imperium maritimum tutandum opus eſſe: attamen de ipſius poſtulatis ad Senatum relaturum. Dum vero ea de re ageretur, hinc propenſus in Henricum animus, inde temporum conditio expendebantur, quæ eo difficiliora erant, quod jam peſtilentia pene momento civitatem corripuerat, ad eamque depellendam omnes Patrum curæ convertebantur. Itaque Ferrerius haud poſt multos dies (uti reliqui quoque Principum oratores fecerant) urbe exeundi facultate petita, adjecit, præſenti civitatis ſtatu animadverſo, ab iis, quæ Henrici nomine poſtulaverat, ſibi ſupersedendum exiſtimaſſe: incredibilem Henricum ob id moleſtiam capturum; quæcumque ad Reipublicæ commodum ab eo manare poſſint, Patres expectarent, gemmas quoque, quatenus iis Reſpublica uti vellet, offerre. Gratiis Ferrerio habitis, cum ſe abſente, ut adſervarentur petiiſſet, uti petierat, Senatus juſſit.

Exigit locus, ut peſtilentiæ vim, quæ Venetiis atque in Gallia Ciſalpina ſæviit, Reipublicæque urbes, Patavium præſertim, ac Brixiam depopulata eſt, poſteritati mandemus; tum ut caſuum varietate lectoris animus expleri poſſit; tum quod ejus rei eventum intuentibus complura vitanda, multa amplectenda ad mortalium utilitatem ſeſe objicient. Ejus morbi ſemina, quæ humanæ ſapientiæ vim ſubterfugientia, vel Hippocrate ipſo teſte, in Deum referri debent, ſuperioris anni æſtate prodierant, quæ ſiccitate, atque intoleranda æſtus vi adeo ſæviit, ut nemo ſimile quidquam alias contigiſſe meminiſſet. Inde aquarum inopia, fructuum copia liberrimo atque inordinato, plebis præſertim, victu, acutæ atque exitiales vulgatæ febres, quibus biduo aut triduo ægri conficiebantur. In inguine, atque ſecundum aures tumores nucum inſtar in nonnullis inſpiciebantur; in aliis ſub axilla, aliiſque in locis phlegmones, in nonnullis nigerrimæ maculæ paſſim corpori inſperſæ viſebantur: magna artuum debilitas, acerbi capitis cruciatus ac deliria, nulla quies, aſſiduæ vigiliæ, ciborum inappetentia; inde pallida, lurida-

De peſtilentia Venetiis graſſante narratio.

1576 tidaque facies, oculi rubentes, ac fere truculenti. Hæc veluti ſemina ad lethalem contagionis vim excipiendam aditum fecere, dum curatione ipſa & contactu morbi vulgarentur. Cujus plerique initia huc ex Tridento fluxiſſe affirmabant, cum ex infima plebe quidam, qui ad urbem acceſſerant, ad divi Baſilii, ac Martialis paucis diebus interiiſſent; quique eas domos frequentaverant, aliquidve aſportaverant, brevi eodem morbo correpti, extinguerentur, ex quo plebeculæ quædam ædes vacuæ factæ ſunt

Ut peſtiferæ huic lui obſiſteretur, procurandæ ſanitati magiſtratus ſedulo, ſeveriſſimis edictis propoſitis, incumbebat; ægrotos a ſanis ſejungendos curabat; ac, niſi prius morbi ſuſpicione ablata, iis immiſceri non ſinebat: flammis quoque materia ad peſtilentem fomitem concipiendum apta abſumebatur; ægri intra domos coerciti, exinde pedem efferre minime permittebantur. Plebi, quæ ad victum neceſſaria, quæve ad morbos pellendos opportuna erant, Senatus pietate, ac liberalitate ſuppeditabantur. Inviſebantur a medicis ægroti; ſi quos ejus mali ſuſpectos reperirent, una cum domeſticis extra urbem ſeorſim mitti jubebant. Morbo correpti ad inſulam in æſtuariis ſitam, divo Lazaro dicatam; reliqui ad aliam eidem divo nuncupatam (*Lazaretti* ambo vocitati) deferebantur; ſupellexque domeſtica comburebatur. Ludi literarii ſublati: quæ ad concipiendum virus apta videbantur, ea paſſim per urbem ab inſtitoribus vendi vetitum. In canes quoque ac feles, ne virus paſſim per urbem vulgarent, ſævitum. His edictis, ſedulaque magiſtratus cura ineuntis hujus initio, januario menſe ſublacta penitus morbi ſemina videbantur. Converſo tamen ad ſolſtitium æſtivum ſole, flammæ ſemina, frigore ac gelu condita, denuo magno cum impetu emerſere; idque potiſſimum veſpillonum, magiſtratuique intervientium avaritiæ, qui pleraque dicata flammis, ſurrepta, in vulgus diſſipaſſent, vel dominorum cupiditati, qui ſupellectilem, qua exui ægre patiebantur, abdiderant, tribuebatur; ex quibus vere novo contrectatione impetum oculis, ſenſumque fugientes ſcintillæ erupere. Inſurgenti malo iis obviam remediis itum, quibus elapſa hyeme depulſum fuerat, atque ut avaritiæ fomenta eliderentur, ac ne afflictis bonorum amiſſione calamitas augeretur, ſimulque publicæ pecuniæ ratio haberetur, ne in poſterum vulcano ſupellex traderetur, ſed opportuna lo-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 lotione perpurgaretur, decretum est; intentioreque magistratus cura rursus morbi vi repressa, majo mense, per aliquot dies nullo in ampla civitate lue correpto, magnam spem ingruenti periculo civitatem ereptum iri cuncti animo conceperant; anno præcipue in æstatem labente, quo tempore his in regionibus ejusmodi morbi invalescere ac recrudescere solent.

Hjeronymi Mercurialis, & Hjeronymi Capivaccei de morbis Venetiis exortis sententia.

Verum, reciprocante veluti maris æstu, rursus tabes caput exerere, atque funestam ostentare faciem visa, metuque perculsa civitas: suspensæ mentes adventantis mali metu tenebantur. Itaque soliciti Patres, ut quæ morbi natura esset, qua ope, quibus remediis averti possit, plane intelligerent, Senatusconsulto, Hieronymum Mercurialem, Foroliviensem, ac Hieronymum Capivacceum, Patavinum, ambos in Patavino gymnasio medicinæ praxim profitentes, Venetias evocant; una cum Venetis medicis iis de rebus differere, ac mature consulere jubent: mox in comitiorum majorum aulam coram Principe, Collegiique Patribus perducti, in binas sententias scinduntur. Veneti pestiferos epidemicosque morbos esse tuentur; Patavini contra gravissimos quidem morbos, verum ab omni contagione alienos censent. Veneti pestiferam esse luem eo argumento ostendere nitebantur, quod cum primum Tridenti orta, ingentem omnis ætatis stragem edidisset, inde in urbem delata esset; uti quoque Athenis Thucidides in magna illa pestilentia eveniisse memoriæ tradiderat, quæ in Aethiopia orta, inde in Aegyptum & in Libyam delata, Philippi Regis ditionibus emensis, tandem Athenas invaserat. Venetiis ea primum loca occupasse, ad quæ ii, qui Tridento advenerant, se contulerant, divi nempe Martialis ac Basilii vicos; inde sensim in varias se regiones civitatis diffudisse, uti quoque Athenis acciderat, Pireæo primum correpto (ut plerique ex plebe, inter Peloponnesios, atque Athenienses exardescente bello, infectos veneno puteos arbitrarentur) e Pireæo vero in superiorem urbis partem illata. Eadem signa in ægrotis & cadaveribus visa, quæ modo inspicerentur, acutas febres, æstus, vigilias, sitim, frænesin, phlegmones, atras vibices, quæque alia hujusmodi pestem comitantur. Itaque minime ambigendum esse, quin pestilens annus, pestilentes morbi essent. Cur enim mutua consuetudine alerentur? cur assidentes, curatensque eadem vis morbi secum trahe-

Veneti medici affirmant Urbem peste vexari.

heret? cur contactu vulgarentur? Genuinam pestis naturam, 1576
causasque latere; sed tamen in id omnes consentire, epidemicum sive vulgarem, lethalem, & contagiosum morbum pestem esse, quæ sane quis in hac cæli constitutione concurrere inficias iverit? Diffusos in populum morbos afflatu, atque attactu conceptos, brevi dierum intervallo ægros extinctos. Non alia itaque remedia, quam ea, quæ pestiferæ lui accommodata sint, adhiberi oportere; supellectilem concremandam vel perpurgnandam; sanos ab ægris segregandos; victu parco ac moderato utendum: quibus si minus sanari, at certe aliqua ex parte corrigi ac minui teterrimum virus posse. His rationibus qui Venetiis medicinam profitebantur, morbum pestem esse, atque uti pestem curandum contendebant.

Mercurialis & Capivacceus argumenta contra Venetos medicos.

Mercurialis & Capivacceus morbum pestilentem non esse suadere eo præsertim nitebantur, quod cum jam annum plebem ignotaque capita invaderet, verisimile non erat, latius diffusum majora incrementa non sumpsisse, urbemque universam refertam populo, commerciis assuetam, opificum copia prædivitem, non corripuisse; humilia tantum tecta, tabernasque afflictas, eorum præcipue, quibus omnium rerum inopia pressis adjumenta non suppeterent: gravissimos sane passim in civitate morbos vagari; at eos pestilentes non esse: nam si, ut apud omnes constat, popularis morbus pestis est; si, Hippocrate teste, a communi causa, ab aere nimirum pendet; cur adhuc laxa tecta ac palatia non subiisset? cur ab ea labe nemini parcere assueta, patriciorum ac civium domus adhuc immunes ac intactæ servarentur? Ad hæc Veneti Medici: haud parum teterrimos morbos processisse, qui nisi frigore consopiti, adhibitaque magistratuum cura repressi fuissent, majorem adhuc civitatis partem occupassent; modo æstu ingravescente præteritis frustra adhibitis remediis, conduplicatis viribus resurgere: nisi vehementi conatu obsistatur, ni quæ ad pestem pellendam opportuna sint, comparentur, paucorum dierum intervallo incendium per amplissimam urbem late effusum, ingentes mortalium acervos absumpturum; idque se Principi, Senatui, omnibusque obnuntiare. At contra Patavini acrius urgere (quodque ad commovendos animos magnam vim habebat) se ad ægrotos invisendos exhibere; nullum inde periculum pertimescere; vitam, ut aliis, ipsis quoque jucundam, objicientes; suo experimento

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 to ſecuritatem cunctis allaturos, perplexum populum ut metu exſolvant, opportuna ad ægros ſanandos auxilia adhibituros: magna ſpe eſſe, cito contagionis metu depulſo, priſtinæ ſanitati civitatem reſtitutum iri. Inter has diſſidentium ſententias ancipites Senatorum mentes alternis veluti fluctibus agitabantur: idque uſu venire compertum erat, quod idem Thucydides Athenis contigiſſe narrat, initio a medicis morbi natura minime perſpecta, peſtiferæ lui ingens pabulum acceſſiſſe. Ac ſane in utramque partem magna rerum momenta caſura videbantur. Si peſtifera lue correptam civitatem vulgaretur, in cunctis ordinibus terror, vectigalium imminutio, Europæ atque Aſiæ negotiatorum ab urbe averſio, in Reipublicæ hoſtibus ad res novandas incitamenta. Si diſſimulatione tempus extraheretur, præſentium malorum incrementum, majorum metus, gravior in ea, quæ vitari oporteret, lapſus expendebantur.

Senatus Patavinorum medicorum ſententiam amplectitur, & liberas tractationes permittit.

Ceterum periculorum, quibus reliqui deterrebantur, contemptus, magna in medica facultate Patavinorum auctoritas, aut ſibi plaudentium mortalium cupido, tantum potuere, ut, Deo Optimo Maximo noſtris ſceleribus infenſo permittente, Mercurialis & Capivaccei ſententia vinceret. Qui ut pollicita præſtare poſſent, a Patribus petunt ædes; ſervos miniſtroſque aſſignent; liberum quocunque libuerit acceſſum permittant; neminem aliorum conſuetudine excludant; ad omnem a plebe timorem depellendum, dealbatis cymbis amotis, quibus extra urbem defunctorum corpora, ſupellectiliaque deferebantur, aliæ earum loco reponi jubeant. Dura hæc nimium, ac difficilia videbantur: attamen in pleriſque adeo medicorum conſtantia impreſſionem fecerat, ut illorum apud Senatum obtineret ſententia, qui poſtulatis adſentiendum arbitrabantur. Vulgato per urbem Senatus conſulto, populus lætitia exultare, vani timoris ſe arguere, in majus rem opinione potius, quam veritate auctam, cuncta ſibi felicia ominari. Mercurialis & Capivacceus, duobus Patavinis chirurgicam artem profitentibus, quatuor Venetis medicis, qui eorum ſententiæ adhæſerant, binis e Jeſu Societate ſacerdotibus, qui infirmos cæleſtibus auxiliis, diviniſque ſacramentis reficerent, adſcitis, rem aggrediuntur. Omnium ædes intrepide ingreſſi, ægris ſubſidia miniſtrant, medicamenta adhibent, propria pecunia multis ſubveniunt; haud

haud improſperis initiis cœptum negotium, inter metum ac ſpem futuri exitus ſuſpenſa civitate. 1576

Peſtiferæ lui maximum incrementum.

Verum incredibile dictu eſt, quantum brevi vis morbi increverit, publicaque ſalus peſſum ire cœperit. Quatuor tantum dierum ſpatio per multas civitatis partes, quæ antea intactæ fuerant, peſtis pervagata, complures omnium ordinum familias lachrimis ac funeribus replevit. Nonnulli ex Patavinorum numero, inter quos alter e Jeſu Societate ſacerdos, extincti; jam, medicorum diſſidia eventu ſublata, pauci admodum de morbi vi naturaque amplius ambigebant. Patavini tamen, in præceps rebus labentibus, aut propria exiſtimatione aut obfirmata ſententia ducti, cœptum munus perſequuntur. Sed cum neque veritati refragari, neque morbi graſſantis vi obſiſti poſſet, exitu trepidi, ac pudore ſuffuſi, ſcripto exhibito, quo & eorum in Rempublicam animi ardorem teſtabantur, quæque acta fuerant, excuſabant, Reipublicæque fortunas vitamque devovebant, jubente Senatu, dimiſſi ſunt; turpi diſceſſu, adventus percelebri fama corrupta, cum non deeſſent qui in eos animadvertendum dicerent, quod, liberrimo illis ad ægrotos aditu patefacto, in immenſum fere ægritudinum vis excreviſſet. At vero in iis non voluntatem, non laborem, non diligentiam deſiderari potuiſſe certum eſt. Sed quis humano conſilio, & conatu Divinæ obviam ire poteſtati ſibi ſuadeat? Sæviente igitur, atque in dies novo pabulo aucta peſtilentia, quæ majori ſtudio, ac ſolicitudine res adminiſtrarentur, Senatus conſulto decretum eſt, ut, ad præfectos ſalutis aliqua in parte graviſſima negotiorum mole levandos, in ſingulis civitatis regionibus, quæ numero ſunt ſex, triumviri ſanitati curandæ præficerentur, qui ſupremo magiſtratui obtemperarent. Unicuique paroeciæ (ſeptuaginta vero duæ omnes numerantur) terni, unus e nobilitate, alter e civium ordine, tertius e plebe attributi, qui ægris neceſſaria ſuppeditarent, extra urbem devehendos curarent; ſuſpectos domi coercerent; de ſingulis regionis quiſque ſuæ triumviros doceret; ab iis ad ſalutis præfectos, inde ad Principem ac Patres, quæ gravioris momenti erant, deferrentur. Hiſce inſtitutis quæ ad ſalutem publicam ſpectarent adminiſtrari cœpta.

Senatus regionibus & paroeciis cives præficit ad ſanitatem procurandam.

Sed nullis terminis coercita lues, quacumque ſævire, nulli

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 parcere : insueto terrore mortales correpti urbem destituere, adventantia pericula fuga tantum vitare se posse rati; inde a negotiis pertractandis abstineri; magistratus antea fastidioso ambitu expetiti negligi; mercatura deseri; atque in oppida agrosque, Patavinos præsertim ac Tarvisanos, civitas effundi; tabernæ clausæ; mercatoria via hinc atque inde continuato officinarum ordine prædives squalida, ut justitium civitati indictum videretur, patronorum & clientium discessu judicia sublata, cuncta horrorem lethumque portendere. In eo rerum statu, veluti reliquis luminibus extinctis, Aloysius Mocenicus Princeps una cum Senatu præfulgebat, neque tot fluctibus jactatæ civitati deerat. Ceterorum magistratuum, Decemviris, ac Quadragintaviris capitalibus exceptis, jura omnino silebant, & quamvis senatorii quoque ordinis multi interirent, & nonnunquam qui mane in Patrum collegio sententiam dixisset, ad vesperum pestilentia correptus fato concederet; frequens tamen toto eo tempore Senatus fuit; ac non modo urbana negotia, verum externa quoque tractavit, & eos, qui publicis muneribus fungebantur, intra certum tempus in urbem redire, ab eaque, severissimis propositis pœnis, egredi vetuit. At secus in majoribus comitiis res se habuit, in quibus cum supra mille trecenti patricii de more adnumerarentur, vel absentia vel metu eorum, qui frequentiam salutis causa oderant, perraro toto eo tempore trecentorum summam æquavere; licet nunquam statis diebus a magistratuum creatione cessaretur. In eo potissimum Patrum laborabat industria, ut quacumque ratione vis morbi, si minus tolli, at saltem obtundi posset; præstantissimum usu magistro remedium rati, ut, sanis ab ægris secretis, extra urbem morbi fomenta amandarentur. Edicto quoque cautum, ne, qui decimum atque octavum annum non excederent, egredi vicinia possent.

Mocenici Principis & magistratuum constantia in Republica regenda.

At nullis repagulis aut aggeribus cohiberi lues poterat; reliquis quoque ægritudinibus, in humanis corporibus gigni assuetis, in pestilentiam desinentibus. In urbe quotidie ducenti, extra urbem in insulis, in quas ægri deportabantur, sexcenti, præter illos qui animam in itinere efflabant, absumebantur. Complura solerti cura atque agitatione commenta inani irritaque experientia adhibebantur, ingenti morbi vi humanis

nis opibus remediisque reluctante, ut quæ alios levarent, aliis perniciem necemque inferre viderentur; licet medicorum plerique auro illecti pericula ultro adirent; nec deessent homines, qui semel contagione capti, adepti sanitatem, ægrorum saluti intrepide vacarent, quod qui semel evaserant, difficulter eodem morbi genere implicarentur. Verumtamen nulla hominum inventa ad furentis mali impetum sistendum idonea erant; quin rapidi torrentis more civium statum imis summa miscens perverteret. Inde privatorum fortunæ propinquorum interitu ingentem in utramque partem mutationem sunt perpessæ. Tota urbe ejulatus, ac lachrimæ; vacuæ dominis ædes; filii a parentum complexu, ne attactu exitiali tabe inficerentur, divellebantur; plurima per domos viasque strata exanima corpora conspicere erat, cum ad eadem extra civitatem asportanda cymbæ vel lintres non sufficerent; inde tetris odoribus aer affectus pestiferos halitus reddebat, ut tandem, catervatim strage edita, cuncta sævo pestis impetu sternerentur. Non magistratuum, non legum metus; non in eos qui ægris sese immiscebant, quæstio, ut ante, habita; timorem audacia, spem desperatio exceperat. Quotidiana funera, morsque ob omnium oculos apposita, jam ita assuetudine mali efferaverant animos, ut non divini, non humani juris pœnis coercerentur; tantaque malorum mole attoniti in omne nefas proruerent. 1576

Cum vero in dies sæva lues caput altius efferret, ab humana ad Divinam opem Princeps Patresque conversi, Dei Deiparæque Virginis, ac Cælitum præsens auxilium exposcunt; Senatusque decreto Joannem Trivisanum, Venetiarum Patriarcham, aliosque præsules, qui vel in urbe, vel in suburbiis erant, una cum sacerdotum primoribus accersunt; hortantur, monent, calamitosis hisce temporibus afflictæ civitati præsto sint; se cives esse in eadem alitos innutritosque meminerint; muneris ne obliviscantur sui; pietatis in pauperes, religionis in omnes documenta præbeant: absentium quoque cognatis ac propinquis, ut publicæ voluntatis suos certiores facerent, jussum. Ut autem egregio aliquo monumento Reipublicæ religio, ac pietas eniteret, vestigiis majorum innixi, qui felicitatis publicæ fundamenta in Dei cultu posuerant, ejusmodi Senatusconsulto

Senatus Trivisanū Patriarcham & præsules ad supplicationes invitat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 sulto decretum Patres sanxere : *Procul dubio credendum esse publicas urbium calamitates Dei Optimi Maximi vindices pœnas esse, quas in se publice peccando populi provocarent ; ejus rei complura, eademque præclara in Sacris literis exempla extare ; Hebræam gentem adeo Deo dilectam sæpius ob publica errata severe coercitam, Divinasque iras nisi pœnitendo, satisque publice faciendo non evasisse. Quis enim humanæ industriæ conatus Divino numini obsistat, cum semel ejus Angelus in civitatem gladium distrinxerit, uti huic populo atque urbi contigisset ? Itaque nullum aliud præsentibus malis remedium superesse, nisi ut a Deo Optimo Maximo cuncti supplices opem implorent. Quapropter Senatui placere, triduo, nonis nempe, septimo, ac sexto idus septembris, supplicationes publicas haberi ; iis Principem una cum Senatu interesse. Sexto idus, sabbato, die festo beatæ Virginis ortui dicato, supplicationibus absolutis, Principem Senatus nomine Deo Optimo Maximo Rempublicam voto obstringere, basilicam Christo Redemptori dicatam, a fundamentis erecturum ; ad eam singulis annis, qua die pestilentia civitas liberata foret, accessurum.* In ea extruenda decem aureorum millia impendi, binos sacerdotes cum annuo sexaginta aureorum stipendio attribui, atque ad ea exequenda Senatores duos eligi, decretum est.

Senatus sanctissimum votum de basilica Redemptoris construenda.

Aloysii Mocenici Principis ad Venetum populum oratio.

Itaque statuta die, post habitas supplicationes, Aloysius Mocenicus Princeps in Marcia basilica ad populum, qui frequens pro temporum conditione convenerat, conversus, in hanc sententiam verba fecit. *Usu satis compertum esse, quam verum sit, quod Rex ac Propheta Divino afflatus spiritu cecinerit : Domino civitatem non custodiente, frustra qui eam custodiunt, vigilare : quam enim industriæ vim, quæ adjumenta, quæ remedia tentata non fuisse, ut populus pestifera lue liberaretur ? quæ humana præsidia prætermissa, ut publicæ civitatis saluti consuleretur ? cuncta in irritum cessisse ; funera funeribus aggerari ; recentes calamitates præteritis cumulari, ut tandem a summo vertice usque ad pedem nihil fere intactum relictum sit. Quis dubitet* (inquit) *hominum cogitata, atque inventa præpotenti hoc morbo inferiora esse ? gladioque huic obsisti non posse, qui Dei Optimi Maximi vibratus dextera, in hanc beatam olim fortunatamque civitatem sæviret. Quis Servatoris irati oculos, unicumque intuitum sustinere posset, qui veluti insitæ misericordiæ oblitus, iratum justoque furore adactum se nobis ostenderet ? Amplissimæ hujus civitatis, otio assuetæ, luxu deliciisque diffluentis, errata id commeruisse : quibus modo recessibus, quibus latebris ab eo se obtegeret, quem ubique præsentem, neque in cælum ascensu, neque in inferna descensu, neque velocissimis pennis in remotissimas regiones transgressu vitare posset : unicum tantum præsentibus malis remedium esse, ut qui iratum Numen offensa lacessiverint, iidem pœnitendo jejuniis aliisque pietatis operibus placare niterentur : hoc tantum immensam Dei Optimi Maximi benignitatem conciliari, decretaque in miseros mortales (si ita fari licet) immutari. Si contritum Ninivitarum pectus, profunda populi humilitas, Regis in solum procumbentis seque prosternentis pietas, latam a Deo sententiam, vastam perdendi civitatem, revocare potis fuit ; cur qui sacra baptismatis unda abluti, nunquam alium Deum, quam qui ex nihilo cuncta in lucem produxit, agnovimus ; qui nullam aliam, quam ejus religionem coluimus, fiduciæ nonnihil sumere poterimus, ut post tot clades, atque ærumnas respirare tandem nobis liceat. Nemo est, qui præsentes calamitates non persentiat ; gravius ceteris nos experimur, quibus hujus civitatis totque populorum cura concredita est. Proni itaque ac supplices Deum Optimum Maximum exoramus, ut nostrorum erratorum oblitus, aversam faciem in nos convertere, egregiumque opus, ci divinam illam suimet imaginem insculpsit, agnoscere velit. Peccasse universam* (inquit) *hanc civitatem, prævaricatum populum, tuis sanctissimis jussis præceptisque minime obtemperasse fatemur. Ecce lachrimabundi veniam petimus, atque ex intimis cordis penetralibus nondum extinctæ pietatis indicium expromimus. Senatus iste, quo cingimur, nosque ipsi Divinæ Majestati tuæ templum, unigenito Filio tuo, Redemptori nostro, vovemus ; perpetuum posteritati publicæ religionis Venetique Senatus pietatis monumentum, singulis annis a nobis posterisque nostris religioso cultu invisendum, pro & pestiferæ cladis, & Divinæ opis auxilium in omne ævum æternæ memoriæ consecretur. Hæc animi nostri devota ne spernas obsequia, a te omnipotens Pater petimus ; Angelo jubeas tuo, ut cruentum illum atque horrificum gladium vaginæ reconda. Tuque, Dei-*

1576 *pa-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 *para Virgo, cujus hodie ortum colimus, afflictorum ſubſidium, pelagique iſtius, quo jactamur, ſtella, cujus auſpiciis fundamenta Venetæ urbis jacta ſunt, cui tot templa erecta, tot aræ dicatæ: annue precibus, Filiumque tibi dilectiſſimum nobis conciliare ne graveris. Tuque adeo, Marce Euangeliſta, Reipublicæ hujus patrone, quo auſpice vexilla in remotiſſimas regiones, majores noſtri protulere: iſtam, quæ tuo ductu vivit ac ſpirat, civitatem ne deſeras.* Voto emiſſo, iis procurandis, quæ Senatus conſtituerat, Antonius Bragadenus, atque Auguſtinus Barbadicus Senatores creati.

Antonius Bragadenus & Auguſtinus Barbadicus ad procurandã baſilicæ cõſtructionem eliguntur. Venetiæ mirabili Dei beneficio a peſtifera lue liberantur.

Vix emiſſo voto, cum repente gravi pondere preſſa hactenus civitas, præſenti Numinis vi reſpirare viſa eſt. Nam poſtridie illius diei quatuor tantummodo defunctorum nomina in foro propoſita ſunt, quæ antea nonnunquam ducentorum atque amplius numerum complere conſueverant. Inde ad meliorem ſpem cunctorum animi erigebantur. Septembris initio edicto cautum fuerat, ut per dies octo in ſingulis quibuſque viciniis omnes ſe domo continerent. Cum parum proſpere proceſſiſſet, inſequenti octobri menſe feliciori eventu repetitum eſt, pœna capitis, cunctis magiſtratibus exceptis, egreſſu ex ædibus interdicto; & quo alacrius cuncti imperata facerent, quatuor ex Senatorum numero lecti, bini qui publicam pecuniam in infimæ plebis egentes erogarent, bini qui annonam cibariaque curarent. Novembriſque initio plurimum obtundi atque hebeſcere morbi vis cœpit. Itaque in Senatu de publico voto ſolvendo actum, Leonardoque Donato Equite ferente ac ſuadente, latum, ut in ea civitatis regione, quæ ab aliis ampliore freto in ortum ſejuncta, ſinuati arcus forma inſulam conficit, *Judaicaque* vocatur, templum, privatorum quibuſdam coemptis ædibus, exædificaretur, religioſiſque viris Franciſcani ordinis, *Capuccinis* vulgo nuncupatis, qui ob exactum religionis cultum apud cunctos in ſumma exiſtimatione ſunt, ejus cura mandaretur. Subinde vis morbi miteſcere, remedia admittere, pharmacis vinci, timori ſpes ſuccedere paulatim cœpit; donec kal. januarii penitus profligato atque extincto, Dei Optimi Maximi benignitate, ſumma omnium lætitia civitati ſalus eſt reſtituta. Quantam vero ex ea clade calamitatem pertu-

tuliſſet, haud dubia indicia erant imminutus incolarum ac 1576
præſertim plebis numerus, ut ex hominum infrequentia non ſatis priſtina civitatis facies agnoſceretur, quadraginta circiter millibus ea tabe abſumptis. Quæ continentis ditiones pervagata, Brixiam, ac Patavium præcipue afflixit, quod Venetæ urbis propinquitate eadem pericula & calamitates ſubiit. Ejuſmodi initia, incrementa, exitus peſtilentiæ fuere.

Inter tot curas reliqua negotia non intermittebantur. Nam cum æſtate ineunte, Senatus juſſu, Jacobus Superantius Byzantio in Illyricum perveniſſet, de finibus cum Ferate, Boſſinæ præfecto, agere cœpit; ac licet caſtella in Jadertino agro ſita jure reſtitui Reipublicæ debere multis rationibus contenderet, nil tamen impetrare potuit. De Zemonico oppido, quod ſummi momenti habebatur, acrius actum; Turcis belli jure, triumque annorum poſſeſſione ſe tuentibus; noſtris contra pacis conditiones objicientibus: ſed obfirmatæ nimium mentes vinci nequivere. Quinquaginta tamen pagos in eo agro, e Turcarum manibus ereptos, Superantius Jadertinorum finibus adjunxit. Siccum mox delatus, in eaſdem incidens difficultates, cum Daslinam & Richticinam caſtella non poſſet, Verpolium & Pariſottum obtinuit, uno inſuper ac triginta pagis, incolarum frequentia & ſoli ubertate inſignibus receptis. Atque ut legato, cujus magnum nomen, ingens exiſtimatio apud Turcas erat, Baſſa gratificaretur, in Jadertinorum finibus Poſſidariæ comitatum, Jaderæ civitati valde opportunum, Reipublicæ conceſſit. Iis confectis, abſens procuratoria dignitate majoribus comitiis decoratus, in patriam reverſus eſt.

Controverſiæ de finibus a Jacobo Superantio cum Turcis cõpoſitæ.

Verum finium controverſiis, ex quibus diſſidiorum pleræque occaſiones oriri poterant, compoſitis, quonam Amuratis conſilia tenderent, ſolicitis animis Patres circumſpectabant. Inſuetam genti armorum ceſſationem; veriſimile non videri, præpotentem Regem milites, qui perpetuis ſtipendiis alebantur, in otio degere diutius paſſurum. Itaque nihil quo maritimum imperium tuerentur, omittendum rati, animum ad Corcyram muniendam, noviſque aggeribus ac propugnaculis firmandam convertere, quæ & ſitu & natura magnum ad ſecuritatem Italiæ momentum afferret, & ad Macedoniam Achajamque invadendam, ſi ſe occaſio daret, opportuna ad-

Senatus decretum de Corcyra munienda.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1576 admodum cenſeretur; cum ab Iapigio promontorio ſexaginta paſſuum millium intervallo, ab Epiro mille tantum diſtet: totidem enim a Buthroto, modo *Serpa* vocitato, ad piſcoſos lacus, qui Venetæ ditionis ſunt, numerantur. Viris muniendarum urbium peritiſſimis, militarique ſcientia illuſtribus adhibitis, multæ conſultationes habitæ; cumque ea tempeſtate Ferdinandum Vitellium ceteris in ea arte præſtare communi omnium conſenſu ac prædicatione cenſeretur, a Sabaudiæ Duce, cujus tunc ſtipendia merebat, ut ejus conſilio atque opera in Corcyra munienda Reſpublica uti poſſet, Senatus petiit, ultroque obtinuit. Singulis rurſus examinatis atque expenſis, urbis ambitum ampliorem reddere, biniſque arcibus, altera in monte, altera in planitie extantibus, priore, quam novam vocant, collem Divi Marci excipere, veterem aggere ac propugnaculis firmiorem reddere ſtatutum. Ut ea exequerentur, Joanni Contareno, Corcyræ legato, munus tributum; Vitellioque eodem miſſo, magno apparatu ac ſolicitudine opus cœptum. Id Venetorum conſilium chriſtianis Principibus, atque iis præſertim, quorum res agebatur, probatum maxime, ac pergratum fuit. Hiſpaniarum Rex, quantum ex Corcyra Italiæ ſecuritatis accederet, non ignarus, Senatus prudentiam ſummis laudibus extulit: cunctos chriſtianos Principes una cum Venetis in eo neceſſario atque egregio opere deſudare oportere, ſe quoque Reipublicæ minime defuturum affirmavit: ob idque ei a Senatu gratiæ actæ.

Ioanni Contareno provincia Corcyræ muniendæ mandatur.

Alio quoque argumento haud obſcure propenſa illius in Rempublicam voluntas patuit. Nam Byzantio Antonius Ghirardius, navi, majori ex parte Hebræorum mercimoniis onuſta, digreſſus, quæ Venetias delaturum ſe ſcripto, legato Veneto præſente, obſtrinxerat; cum, privati lucri gratia mutata ſententia, ab itinere deflectens, Meſſanam ſe contuliſſet, opulentaſque ac pretioſas merces aſportaſſet: iis Byzantium perlatis, magna mercatorum commotio, ingens Turcarum clamor exortus eſt: Baſſa indignari, negotiatores, ut ab legato damna ſarcirentur, petere. Philippus, literis Senatus acceptis, ſtatim navem reſtitui, Ghirardium captivum Reipublicæ miniſtris tradi juſſit.

Antonius Ghirardius navem Hæbreorũ mercibus onuſtã Meſſanam ducit.

Philippus Rex navem & Ghirardium captivũ Venetis tradi jubet.

Hoc anno Maximilianus Cæſar non minus rerum dolore cor-

cordiſque tremore, quam graviſſimis curis confectus, ex humanis Ratisbonæ exceſſit. Nam cum poſt Henrici Galliarum Regis e Sarmatia diſceſſum ei ſuffici fruſtra adnixus eſſet, Stephano Battoreo Daciæ Principe, & amicorum ſtudiis, & Amurathi favore ad regnum ſublato; quo pacto a ſuæ factionis hominibus eamdem ſibi delatam dignitatem tueretur, ſedulo cogitaverat, comitiiſque Ratisbonam vocatis, cum & Sarmatarum potentia, & Turcarum auctoritate ſecus atque exiſtimaverat multis implexum difficultatibus negotium animadverteret, mœrore animi jactatus, una cum regni jure vitam amiſit, Battoreuſque pacatam Sarmatiam obtinuit. Maximiliano Rodulphus filius ſucceſſit, qui paulo ante Rex Romanorum creatus, Bohemiæ atquæ Hungariæ regni gubernacula ſuſceperat. Ad eum de more legati a Senatu Joannes Michaelius, & Leonardus Donatus Equites lecti, qui & patris obitum dolerent, & Imperium gratularentur.

1576 *Maximiliani Cæſaris obitus.*

Stephanus Battoreus Sarmatiæ regnum obtinet.

Rodulphus Maximiliano patri in Imperio & regnis ſuccedit.

Joannes Michaelius & Leonardus Donatus ad Rodulphũ oratores.

M. D. LXXVII.

1577 DUm hæc in occidente fiunt, frequentes a Corrario Byzantio literæ afferebantur, appetente vere Amurathem claſſem præpotentem Helleſponto, incertum quonam conſilio, quaſve in regiones, emiſſurum. Quocirca Jacobo Fuſcareno, Cretæ legato, Senatusconſulto præceptum, quatuor conſuetis triremibus, ſex extra ordinem adjiciat; ac, ſi a Corrario Byzantii maritimos apparatus urgeri intelligeret, alias decem atque octo, quæ in Creta erant, inſtrui; eaſque quam primum ante turcicæ claſſis exitum Corcyram, ut reliquis jungantur, proficiſci curet. Triremium inſuper præfecti viginti quinque creati; trium millium ac quadringentorum peditum delectus haberi juſſum: horum octingentos Sforcia Pallavicinus; quadringentos Marchio Rangonius; totidem Jacobus Malateſta; ſexcentos Thomas Conſtantius; parem numerum Germanicus Saorgianus Comes, & Sbarra eques conſcripſere, in Cretamque Moretus Calaber, qui ſummam militiæ præfecturam gereret, miſſus. Verum has ſuſpiciones belli ab Amurathe in Perſas illatum diſcuſſit, Venetoſque non modo, ſed etiam chriſtianos reliquos Principes a maritimi belli metu per annos aliquot liberavit.

1577 *Venetorum de bello turcico ſuſpiciones.*

Turcæ belli Perſicum decernunt.

Ejus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1577 Ejus belli cauſæ ſucceſſuſque etſi a præſenti, quod molimur opere aliena fortaſſe videantur, attamen quædam in arctum cogere non abs re fore exiſtimo, ut a quibus ab expeditione in rempublicam chriſtianam averſus Amurathes fuerit, quibus viribus diſtineri ac retardari illius conatus potuerint, pateſcat.

De Perſarū Regum ſucceſſione narratio.

Tamaſo Perſarum Regi ſuperiore anno, majo menſe vita functo, undecim filii ſuperſtites fuere, ex quibus octo ob ætatem ad regnum capeſſendum nequaquam idoneis, reliqui, Mehemetes nempe, Iſmaheles, atque Haiderus, in ſpem regiæ ſucceſſionis ſeſe extulerant. Iſmaheles, feroci atque elato animo, ad magnas res agendas nato; licet Mehemeti, ætate ſecundo, regnum Tamaſus teſtamento reliquerat; ſtatim, patre humanis ſublato, a proceribus Arſaciam præcipuam regni urbem vocatus fuerat. Interim in aula regia tumultu excitato, Tamaſi filia, ex Albanorum Principis ſorore progenita, ad quam una cum regiis conſiliariis teſtamenti exequendi munus ſpectabat, nunc Haideri fratris precibus fatigata, nonnullorumque ſuaſionibus illecta eidem ſuffragari, nunc religione tacta in Iſmahelem, facinus abominari. Diu in ancipiti verſata, tandem callidum conſilium amplexatur. Re cum ſuis communicata, juvenem ambitione æſtuantem fraudulenter in regio ſolio locat: qui inter plebis plauſus dum omnem auctoritatem ac potentiam ad ſe trahere poſſe arbitratur, ſe deceptum extemplo perſenſit; amicorumque neminem conſpicatus, cauſas rei exquirit. Zaliani dolum neſcientis opera, Regem ſe acclamatum fuiſſe comperit; cumque vires illi ad novam retinendam dignitatem deeſſent, metu in fugam actus, regnique faſtigio deturbatus, interitum evadere nequiit. Truncatum ſororis ac procerum conſenſu caput plebi oſtentatur; quæ horrifico ſpectaculo commota, ac furore percita in auctores facinoris, ducem nacta, ſæviiſſet; ni Iſmaheles, dum hæc fiunt, ſuperveniens, Rex conſalutatus fuiſſet. Is Ottomanorum inſtitutis ac religioni addictus, quam animo imbibitam, ne aditum ſibi ad regnum præcluderet, ad tempus diſſimulaverat, principatus fundamenta octo parvulorum fratrum nece jecit. Haideri amicos perſequutus, novo edicto ſubjectos ab Hali Perſarum propheta ad Abubaci atque Oſmani, quos Turcæ ſequuntur, cultum tranſire jubet. Inde graves motus in Perſide ſub-

ſuborti, dum Rex vel regnandi cauſa, ut ſibi ad Meſopotamiam, Babiloniam, atque Aſſyriam aditum ſtrueret, vel occultis atque arcanis conſiliis vetera inſtituta, nemini parcens, quacumque ratione evertere nititur. Jamque vulgabatur, armatum Babiloniam petiturum, ut Suleimanum Turcarum Regem imitatus, in ea civitate Perſarum diademate ornaretur. Earum rerum fama Byzantium allata, Amurathem adeo perculerat, ut iis initiis obviam eundum, æmulumque & hoſtem Regem opprimendum ſtatueret. Sed cum violenta imperia plerumque minus diuturna ſint, repente, non modo plebis, ſed procerum quoque immutato animo, ſtudiis in invidiam verſis, primorum, ſororiſque vel inſidiis, vel veneno Iſmaheles vita exuitur; extemploque Mehemetes Codabanda, Salmacis Mirizæ auctoritate, ad regnum evehitur. 1577

In hunc fulmen belli conceptum, Amurathes ſui imperii exordia nobilitaturus contorſit; latiſſimum præpotenſque regnum aggreſſus, vario fortunæ eventu laceſſivit. Erant ſane Perſidis regionis fines antiquitus intra anguſtiores multo terminos coacti: qui ad ſeptemtrionem, Media, vulgo nunc *Siruano*; ab occaſu Suſiana regione, modo *Cheſiſtan*; ab oriente Carmania, *Chermain* hodie vocant; a meridie ſinu Perſico continebantur. Hac vero tempeſtate quidquid Tigri limitibuſque imperii Turcici ab occaſu; ſinu Perſico Indicoque oceano ad auſtrum; ab ortu Cambajæ regno, ſolitudinibus interjectis; Bactriana regione ad boream, atque Hircano, vel Caſpio mari immenſo fere terrarum tractu cingitur, Perſarum imperio paret. Omnium rerum frugifera regio, innumeris referta incolis, proceribus ac principibus nobilitata permultis. Alia enim Turcis, alia Perſis imperandi ratio. Penes illos nulla nobilitas, in omnes ſumma poteſtas, lege minime coercitum imperium. Apud hos moderata dominatio, plebs a nobilibus diſcreta, qui multis oppidis urbibuſque imperant, ſupremumque Principem (ſicuti in Europa, qui *beglerbei*, ut vocantur, obtinent) tantum agnoſcunt. Turcæ nutum Regis pro lege habent: Perſæ inſtitutis majorum, moribuſque nituntur. Illi deſpoticum; hi politicum regimen tenent. Quod vero ad amplificandi atque provehendi imperii artes attinet, longe Perſis Turcæ præſtant, cum non modo ob repellendas injurias, aut ſubjectos tuendos,

Perſicæ regionis & regni deſcriptio.

Turcarum & Perſarū morum comparatio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1577 dos, ſed regnandi in primis cupidine arma capiant; non pacis adipiſcendæ ſtudio, ſed ut ex bellis bella ſerendo novis acceſſionibus fines proferant. Perſæ alternatim modo in pace degunt, modo arma cient. Ingentes divitias quæque humana induſtria ad firmanda atque augenda imperia excogitari poſſunt, ea omnia Turcis bella peperere; inde tormentis cujuſvis generis, machinis cum ad expugnanda tum ad tutanda oppida, ceteroque bellico apparatu, fiſtulatoribuſque in primis abundant. Ab earum pleriſque imparati Perſæ ſunt; non iis multi tormentorum magiſtri, non ingens, ut apud Turcas, ſcloppettariorum numerus, non extruendarum ac muniendarum arcium peritia; ſagittis potius præſtant, aſtuque militari pollent: modo inferre ac repente referre pedem, hoſtem ſimulata fuga in inſidias præcipitare, quam juſto ordinatoque prælio dimicare. Inde effectum eſt, ut ſæpius, Turcarum internecione ac ſtrage edita, nunquam eorum amoliri progreſſus potuerint; quippe qui urbes expugnando, novas erigendo arces, militum præſidiis firmando, in Perſidem ſe intulerint; ac licet bello ancipiti, immenſam fere Turcarum multitudinem excindere, non tamen Tauriſio, non Media pellere tunc Perſa potuerit.

Alio igitur averſis Amurathis curis, turcici belli aſſidua ſuſpicione amota, immani impenſarum mole, quæ in claſſe atque milite abſumebatur, liberata Republica, vectigalium fructus augeri, auri vim in ærarium congeri, uberioraque pacis bona percipi cœpere. Opportunum id quoque chriſtianæ reipublicæ acciderat, ut, quo tempore Gallia civilium diſſenſionum fluctibus, Belgium bello agitabatur, alio communis hoſtis vires converterentur. Nam licet, conditionibus inter Henricum Regem ac fœderatos Principes pactis, incendium illud, quo ſex ac viginti annorum ſpatio Gallia corripiebatur, ſi minus extingui, at ſedari ſaltem poſſe videretur; tamen in iis exequendis nova diſſidia exoriebantur. Nam, regni ordinibus Bleſium vocatis, quæ religionis capite continebantur, quo Ugonottis non tantum libere de religione ſentiendi, ſed in univerſo fere regno ejus exercendæ facultas permittebatur, ordines abnuere, Petro Epicanaco, Lugduni Antiſtite pro eccleſiaſticis; Claudio Baufremonio pro nobilitate; Verſorio Pa-

Pariſienſi pro populo unam tantummodo religionem, eamque 1577
veterem, Catholicam Apoſtolicam Romanam in Galliis admittendam contendentibus: nihil iis regnis ac provinciis accidere deterius poſſe, in quibus diverſæ pugnanteſque inter ſe religiones eſſent: inteſtinam in viſceribus peſtem aliquando magno impetu erupturam, ingentemque ſtragem daturam. Huic ſententiæ, matre, Mompenſerio, ac Belleurio ſuadentibus, Henricus acceſſit; inde novi tumultus excitari, fœderati rurſus arma comparare, nova moliri, cuncta iterum ad bellum ſpectare cœperunt. Legatos ad Germanos Principes Henricus mittit: cur nuper invectam religionem, bellorum civilium ſegetem, excindere ſtatuerit, exponit: id ni ſponte ſubjecti faciant, armis coacturum. Petit, ab ope iis ferenda abſtineant. Ludovicus Comes Palatinus, & Caſimirus fratres acerbo ac minaci reſponſo oratores dimittunt; Haſſiæ Lantgravius occulto novæ religioni favens, ſubſidia tamen perduellibus minime laturum pollicetur. Navarræ Rex in Gallia Narbonenſi, Condæus in Xantonibus arma parant, populoſque ad nova fœdera concitant.

Gallorum nova diſſidia.

Eodem tempore Gandavi, pacis licet formula confecta, Joannis Auſtriaci, quem Philippus iis provinciis regendis præfecerat, adventu, Belgarum ſuſpenſæ mentes detinebantur. Quamvis enim initio Hiſpanos alioſque peregrinos milites dimiſiſſet, invidiam ab Arauſionenſis Principis factionibus vitare nequiverat, qui & auctoritate & religionis, quam profitebatur, libertate, miro artificio populorum animos ad libertatem novumque reipublicæ ſtatum conſtituendum erexerat. Ita eo anno Galliæ, Germaniæque inferioris res ſe habebant.

Pax in Gallia denuo ſancitur.

Verum, in Galliis Ugonottis depreſſis, Brovagioque & Charitea urbibus a regiis captis, tandem Mompenſerii Ducis auctoritate ac opera pax denuo icta. De religione in id conventum, ut Catholica in quibuſcumque provinciis, civitatibuſque conſervaretur; ubicumque aboliti ejus cultus fuiſſent, reſtituerentur: novæ uſus in locis, qui fœderatis parerent, iis exceptis, quæ ſuperiori bello ceperant, permitteretur unicuique quam de religione ſententiam vellet amplecti liberum eſſet, at catholici ritus in connubiis quo ad cognationum gradus ubique ſervarentur. His conditionibus ſeptembris menſis exitu firmata pace tranquillitas

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1577 litas Galliæ eſt reſtituta . Initam concordiam Henricus per Hieronymum Gondium Veneto legato ſignificat , deque ea ut Senatum , cujus conſilia e Sarmatia in Galliam rediens intimis ſenſibus exceperat , certiorem faciat , rogat . Eodem officii genere mater per eumdem Gondium utitur : ſubdit , Venetæ nobilitatis Catharinam Mediceam participem eſſe gloriari ; memoriaque tenere , Franciſcum illum Magnum , præcipue Henricum Secundum ejus conjugem monuiſſe , atque in præceptis ei dediſſe , Venetam Rempublicam amore atque exiſtimatione proſequeretur , vires illius conſiliaque magnificaret : hiſce regis præceptis ac monitis Henricum Tertium filium inſiſtentem , pace , qua nihil melius æque mortalibus Deus eſt elargitus , amplexum , regnum ſæpius jactatum , majoribus in poſterum adjumentis ac præſidiis fultum , ad priſtinam amplitudinem ac decus revocare ſtatuiſſe . Hæc in Gallia . Hoc ipſo anno licet Amurathes Perſidis bello detentus claſſem , uti aſſueverat , non emiſiſſet ; attamen ab ingenti Corcyrææ munitionis opere minime ceſſatum ; in quo perficiendo ſedulo enixeque ſtudium impenſum . Cum vero ad res Belgii firmandas conducere illud in primis Philippus exiſtimaret , ſi quacumque ratione ab aſſiduo turcici belli metu liberaretur , Joannem Marilianum Byzantium miſit , qui de paciſcendis cum Amurathe induciis ageret , iiſque Rodulphum Imperatorem ac Venetos comprehendendos curaret . Sed ob varias difficultates extractum negotium , tunc ad exitum perduci nequiit .

Hieronymus Gondius Regis nomine Veneto legato pacem ſanctam ſignificat .

Joannes Marilianus ab Hiſpanis Byzantium mittitur .

Hoc eodem anno , tertio nonas junii Mocenicus Princeps exceſſit , vir prudentia , eloquentia , legationibuſque apud Principes inſignis . Ejus principatus tempore varie jactata Republica , ſuprema quæque , vel improſpera , vel felicia eſt expertus ; Cypro penitus amiſſa ; navali victoria parta ; pace cum Selymo ſancita ; Henrici Regis ad urbem adventu ; peſtilentia in civitatem ſæviente . Ei ſummo omnium conſenſu Sebaſtianus Venerius , Marcius Procurator , cujus imperio proſpere ad Echinadas adverſus Turcas pugnatum fuerat , eſt ſuffectus ; cui principatus initio Gregorius per Capuanum Archiepiſcopum , quem Joanni Baptiſtæ Caſtaneæ in Veneta legatione ſucceſſorem dederat , Roſæ munus deferri juſſit , quo

Aloyſii Mocenici obitus .

Sebaſtianus Venerius Princeps eligitur .

quo firmatam Reipublicæ pacem & ſævo peſtilentiæ morbo ſummo Dei beneficio liberatam civitatem gratulabatur . Edicto tertia dominica menſis julii die civitatem peſtilentiæ lue penitus immunem eſſe pronunciatum ; qui dies omnium ordinum celebritate ac lætitia inſignis fuit . Princeps , ac Senatus cum ſolemnibus miſſarum ſacrificiis in aurea baſilica interfuiſſent , ſtrato ponte , qui e foro ad oppoſitam regionis Judaicæ partem pertinebat , ad templum Redemptori ex voto erigi cœptum acceſſere ; ſolemneſque ea die ſupplicationes habitæ , religioſis viris ſacriſque collegiis agminatim egregia pompa procedentibus , quæ immenſa prope populi multitudo ſubſequebatur . Ibi Chriſto Redemptori ob peſtilentia liberatam civitatem gratiæ actæ , ſacraque celebrata . Templi autem brevi moles excrevit , ad ſummumque perducta eſt ; Andrea Palladio architecto in egregio opere virtutis ingeniique vires conferente . Supra centum aureorum millia in id a Senatu collata ſunt : cura Capuccinorum familiæ , Senatuſconſulto cœnobio extructo , tributa , qui ſitus opportunitate atque amœnitate illecti , eo magno numero confluunt . Templum idem Gregorius Summus Pontifex privilegiis ornavit , cunctis fidelibus qui ea die , expiatis peccatorum ſordibus , cæleſti pane refecti inviſerent , perenni jubileo , aliiſque cæleſtibus muneribus conceſſis .

1577

Venetorum gaudium ob edictum de ſanitate promulgatum .

Andrea Palladii architecti opera Redemptoris baſilica Venetiis conſtructa .

Verum publicam civitatis ex profligato ſæviſſimo morbo , ſaluteque reſtituta lætitiam mœror ex ingenti incendio , quo decimo tertio kalen. januarii majorum comitiorum Senatuque ampliſſimæ aulæ conflagravere , excepit . Id in cubiculi camino , ſtatim a meridie , quo tempore palatium ac forum vacua ſunt , exortum , ad ſummam contignationem ſublatum , plumbum , quo ea integitur , ſtatim ita colliquavit , ut imbris in morem per ſuggrundia ac fornices e tecto ad terram deflueret ; eodemque tempore multis e partibus flamma erumperet . Patricii foro propinqui accurrunt ; aditus occupant ; pulſu campani æris res pervulgatur , navalium præfecti cum ſocis adcurrunt ; præcipui magiſtratus , privati cives in forum advolant , quacumque ratione incendium reſtinguere conantur ; quod pabulo auctum , divi Marci baſilicæ , inſigni publicæ bibliothecæ ſtructuræ , atque ærarii ædibus minari videbatur . At centoni-

Palatii Veneti in eendium .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1577 tonibus madefactis, ſummiſque tectorum inſtratis, ut igneis favillis, atque undique erumpenti materiæ ardenti obſiſterent, obviam itum. Sed jam ſupremis tabulatis penitus flamma correptis, quæ inter denſiſſimi fumi globos uſque ad cælum ferebatur, momento ingenti cum fragore ac ſtrepitu aulæ majoris, atque ejus, quam *ſcrutinium* vocant, tecta decidere, eorumque ruina quæcumque excellenti artificio præclara, diuturnitas temporis, ac Patrum ſtudium ad ſtuporem uſque cogere potuerant, ſepulta conflagravere; atque inter hæc Joannis Bellini, Titiani, præſtantiumque pictorum opera, quibus egregia Venetorum facta ad vivum repræſentabantur, igne abſumpta in cineres converſa ſunt; ac poſtridie illius diei nondum extinctum incendium, pabulo deficiente, paſſim in reliquias ſæviendo aſſurgebat, ut tandem firmiſſimi tantum parietes nudati ſupereſſent. Eam ob rem haberi comitia per aliquot dies non potuere. Tres a Senatu Patres lecti, qui de loco comitiis habendis opportuno Senatum conſulerent, Aloyſius Georgius, Jacobus Superantius, Paulus Theupolus; reque maturius expenſa, tertio kalen. januarii latum, ut comitia in ampliſſimis navalis atriis cogerentur, eaque ita effingerentur, ut penitus eorum, quæ conflagraverant, Ducis ſuggeſtu, ſedilibus, aliiſque formam exprimerent. Quintodecimo kal. februarii de more comitia habita ſunt. Inde variis ſententiis de ſarciendo palatio actum, nonnullis a fundamentis novas erigendas ſubſtructiones cenſentibus, in quibus cives ad creandos magiſtratus convenirent. Verum cum, ſolerti architectorum cura palatio inſpecto, nulla in parte debilitatum animadvertiſſent, vaſtam illam atque inconcuſſam molem egregio, ut ante ea tempora ferebant, artificio, quod vix imitari poſſent, compactam Patres conſpicati, Senatuſconſulto, nihil de veteri forma immutandum, incendio tantum conſumpta ſarcienda eſſe, decrevere: brevique in eam, quam modo cernimus, amplitudinem evaſit. Eodemque ordine majorum geſta præſtantium pictorum penicillo expreſſa viſuntur, iis, quæ recens inſequuta ſunt, adjectis, inſignique præſertim navali ad Echinadas pugna, in qua ob oculos ponenda una cum aliis pleriſque ſummam vel ingenii vel laboris laudem Jacobus Tentorettus tulit; quæque priſci decoris ablata incendio fuere, cle-

Senatus decretum de palatio inſtaurando.

Jacobi Tentoretti Pictoris percelebris virtus.

eleganti cælatura atque ſculptura, auro undique fulgente, compenſata ſunt. 1577

M. D. LXXVIII.

SUmmum inde mœrorem cum Venerius Princeps contraxiſſet, exacta jam ætate, ſuperioribus vitæ laboribus & curis pro Republica ſuſceptis confectus, naturæ conceſſit. Exequiis de more habitis, pari animi ardore, haud imparibus in Rempublicam meritis, eadem ætate, eadem apud omnes exiſtimatione, pro ſupremo magiſtratu obtinendo Jacobus Superantius, & Paulus Theupolus adnitebantur. At dum virtutis ac laudis æmulatione rapti ad faſtigium anhelant, Nicolao Pontio, Marcio Procuratori, ea dignitas eſt delata, qui ſuæ veluti fortunæ faber, in anguſta ac tenui re firmiſſimis futuræ amplitudinis jactis fundamentis, a liberalium artium ac philoſophiæ ſtudiis, quæ publice Venetiis, mandante Senatu, per aliquot annos profeſſus fuerat, ad Rempublicam tranſgreſſus, prudentia ac dicendi vi inter ceteros eminens, omnes honorum gradus emenſus fuerat. Ab omnibs Italiæ Principibus legationes, quibus & liberatam peſtilentia civitatem, & initum a Pontio principatum gratulabantur, confluxere. Ab Emanuele Philiberto Sabaudiæ Veruæ Comes; a Franciſco Magno Hetruriæ Duce Joannes Alamannus; ab aliis alii acceſſere, publicæque tranquillitatis ſpe aucta, a maritimo apparatu eo anno ceſſatum.

1578 *Sebaſtiani Venerii Principis obitus.*

Nicolai Pontii Principis electio.

Italorum Principum ad Venetos legationes.

Jam enim Amurathes, Muſtapha imperatore declarato, bellum cum Perſarum Rege cœperat, copiis omnibus veris initio ad Simbram, quod *Arzirum* hodie vocant, cogi juſſis. Inde Muſtaphas in Mediam Atropaciam (*Tirvanum* dicunt) contendit. Luſtrato exercitu, cum uſque ad Periardos montes (*Chielder* appellant) in Perſarum fines ſe immiſiſſet, commiſſo prælio, victoria penes Perſas fuit. Verum cum ad Canacum amnem, ex quo in Mediam trajicitur, ventum eſſet, Perſis tranſitum intercludere conantibus delectis, flavio ſuperato, Erem primo objectam civitatem occupat, præſidioque militum firmat. Oſmanum Baſſam ad Sumacchiam, Mediæ caput, oppugnandam mittit, quam ſatim, oppidanis ſeſe de-

De bello Perſico narratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1578 dentibus, recepit. Inde ab Alexandria, *Derbent* vel *Demircapi* vocata, legati ad eum oratum veniunt, ut in tutelam receptos a Perſarum injuriis tueatur. Muſtaphas, Canaco iterum trajecto, in Zeflim (quam antea ceperat) commeatu invecto, circumjectos agros ferro atque igne depopulatus, per montium fauces, inter quas per varios anfractus Araxes amnis provolvitur, difficili admodum itinere in Albanorum fines progreſſus, eiſque per fraudem potitus, inde Carſum, mox Simbram pervenit. Interea de præliis ad Periardos montes, atque ad Canacis confluentem commiſſis Codabandes certior factus, Anzam Mirizem, majorem natu filium, exercitui præficit; is duodecim bellatorum millium numero conſtabat, in Mediamque ſtatim proficiſci jubet; qui cum citato itinere Erem perveniſſet, Caitanum Baſſam, agros ferro igneque vaſtantem vincit, obtruncat, civitatem recipit. Inde Sumacchiam contendens, in itinere Scytharum ingentem numerum opprimit; Abdilchiram captivum patri mittit; urbem ſibi ab Oſmano tradi petit; qui Scytharum auxilii ſpe fretus, tridui ſpatio poſtulato, ſubſidia adventare nequaquam conſpicatus, noctu Derbentum, fuga arrepta, petit. Mirizes urbem ingreſſus, in incolas crudeliſſime ſæviens, mœnia ſolo æquat, imminente jam hyeme, victor Arſaciam ingreditur.

Varia, ancipitique fortuna cum eo anno in Perſide dimicaretur, atque ad terreſtre bellum, maritimis rebus relictis, Amurathes curas omnes traduxiſſet, Veneti ad continentis res, quæ turcico bello intermiſſæ fuerant, animum adjecere. A Senatu legatus cum annuo ſummoque imperio Jacobus Superantius creatus, qui arces munitioneſque inſpiceret; ſi qua in parte aliquid detrimenti paſſæ fuiſſent, inſtaurari ac refici; annonam frumentariam in urbes importari, augeri publica horrea; expediri vetera, nova infundi tormenta; novos ordinum militum, remigumque delectus haberi ſtuderet. Is, magiſtratu inito, omnem operam ac ſtudium in Senatus juſſis exequendis contulit. Dum ea gererentur, infeſta adhuc Uſcochorum facinora aliqua in parte tranquillitatis fructus interpellabant.

Jacobus Superantius legatus cum imperio in continenti.

Melitenſiū piratica.

A Melitenſibus, adverſus fidem ſæpius interpoſitam, crebro Venetorum navigia intercipi, mercimonia diripi nuntiabatur,

tur, ex quibus religionis obtentu Hebræorum ac Turcarum bona abſtulerant. His de rebus acerbe cum Magni Magiſtri oratore (*Receptorem* vocant) conqueſti ſunt Patres: jus gentium violatum, turbata maria, tenuis atque ignobilis lucri cupiditate Turcas in ſuas ditiones, quæ pro munimento reipublicæ chriſtianæ erant, laceſſitos. Juſtas Senatus expoſtulationes cum Magnus militiæ Magiſter audiſſet, ſtatim navigia intercepta prædamque omnem reſtitui jubet; ſuæ religionis hominem, qui acta excuſet, Venetias mittit. Is prolixa oratione Hieroſolymitanorum militum in Rempublicam obſequium atque obſervantiam, quam antea ſemper, nuper vero ſuperiore cum Selymo bello, effuſo ſanguine, patefecerant, ampliſſimis verbis declaravit: negotiatorum damna ſarciri Magnum Magiſtrum juſſiſſe, neque ut poſthac moleſtum Reipublicæ quidpiam accidat, devincta fide, paſſurum; quamvis priſcis Hieroſolymitanæ religionis conſtitutionibus ac privilegiis ubicumque infidelium bona, quos perpetuos hoſtes haberet, inventa eſſent, juſte ſui juris efficere poſſe ſibi ſuaderet. Ad hæc Princeps, ex iis, quæ contra jus, æquum, amicitiæque leges acciderant, magnam moleſtiam Senatum cepiſſe, inquit; nihilominus ſperare, Magni religionis Magiſtri prudentia ac virtute & præterita corrigi, & in poſterum tot incommodis provideri poſſe: ingentis negotium ponderis eſſe, cum in eo de ſubjectorum bonis fortuniſque, de vectigalibus, qui rerumpublicarum nervi habentur; quodque ceteris magis refert, de tranquillitate ac pace publica agatur, dum exili lucro Turcarum provocarentur arma, aſſiduaque belli ſuſpicione chriſtiana reſpublica diſtineretur: in tot tantiſque rebus priſcis Melitenſium privilegiis locum non eſſe; temporum tractu humanarum rerum agitatione aſſiduaque volutatione immutatam cunctorum faciem; optimaque ratione fieri, ut graviſſimarum rerum momenta reliqua ſecum rapiant: eadem ſentientiæ Gregorium Pontificem Maximum eſſe; neque ab his vel Galliæ, vel Hiſpaniæ Reges diſſentire. Cum hoc reſponſo orator eſt dimiſſus.

Mel itenſes navigia & bona Venetis reſtituunt. Melitenſis nuntii cum Venetis officia.

Pontifi Principis reſponſum.

Quæ ab Uſcochis quotidie ſcelera perpetrabantur, haud minori moleſtia Patres afficiebant; cum numero auctis, præteritorumque facinorum impunitate inſolentiores facti, in Ve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1578 netis Turciſque ſubjectos graſſarentur. Nam Senia mioparonum aliquot numero nuper egreſſi, Macarſcam Turcarum oppidum captum & direptum incenderant; publicanum, quem *Eminum* vocant, una cum Turcis quadraginta in ſervitutem abripuerant. Neque eo contenti, in Illyrico Reipublicæ agros fœde depopulati, Siccenſes atque Almiſſanos, ſuperiori bello attritos, haud exiguis damnis affecerant. Inde Byzantium plurimorum lamenta ac queſtus afferebantur; verendumque erat, ne, tenui ex favilla magnis excitatis incendiis, pax cum Amurathe inita interturbaretur. Itaque & officiis & vi obtundendam conſceleratam gentem Patres rati, cum Rodulpho Cæſare agebant, ut tandem ſæviſſimos piratas coerceret, neque publicis tranquillitatis hoſtibus intra ſuas ditiones receptum permitteret. In Cæſare magna moleſtia, vehemens tot malis obviam eundi deſiderium, ampla pollicita. Contra in miniſtris ſumma negligentia, perexiguum illius mandatis obtemperandi ſtudium, quod ſæpius nonnullorum avaritia corrumpebatur. Attamen legatos Seniam proficiſci jubet, ut pœna in noxios, terrore in reliquos aliquam tot reprimendorum ſcelerum rationem inveniant. Verum paulo feliciori eventu, quam, vivente Maximiliano, contigerat, res cecidit. Publicanus una cum Turcis libertati reſtitutus; fontes ſcelerumque auctores minime mulctati: in tot facinorum cauſis excindendis remiſſiore cura actum; licet ad Cæſaris aulam Seniæ præfectus, & Matthæus Danivichius, in ea gente facile princeps, adcerſerentur, Cæſariſque juſſu carceri præfectus includeretur. Hiſce officiis ſeveriora Senatuſconſulta addita. Aloyſio Balbo præfecto juſſum, ut arctiori obſidione, prætoria ac quatuor ſociis triremibus Senienſes premeret; ne Senia adjacentibuſque litoribus, Flumine inſuper, & Buccari oppidis, Vinadolique tractu navigiis cujuſcumque generis egreſſum ingreſſumve permitteret; tranſitu maris intercluſo, unde ſibi victum comparant, inopia fameque adactos piratas, ſolum verſuros. Senatus mandata præfectus impigre exequitur; Senienſes circumſidet, omnem commeatus invehendi facultatem adimit, nonnulla Flumenſium navigia adverſus edictum navigare auſa intercipit. Frena inde piratis injecta, quamvis Carolus Auſtriæ Archidux conquereretur, Flumenſibus ſibi ſubjectis, quos a Senienſium ſce-

Uſcochorum rapinæ.

Senatus mandata ad Aloyſii Balbum de Uſcochis perſequendis.

ſceleribus immunes eſſe affirmabat, navigatione interdici; ac 1578
per Vitum Dorimbergium, Cæſaris legatum, ut obſidione eximerentur, contenderet. Cui Senatuſconſulto reſponſum; neceſſitati publicoque bono obſequendum; neque, ſi in re, quæ maxima ſecum momenta traheret, paulo acrius ſeveriuſque agendum Senatus cenſuiſſet, mirari Carolum oportere.

Eodem tempore Tergeſtini Roſandam amnem cogere, quo ſalinas ædificare poſſint, inſtituunt. Id cum & Venetorum in Adriatico mari juribus, & vetuſtis Tergeſtinorum cum Republica pactionibus adverſaretur, Juſtinopolitanus prætor, atque in Uſcochos præfectus cum triremium ac militum manu Tergeſtum verſus ſeſe inferre, quæque acta fuerant, ſtatim amoliri jubentur. De eo Senatuſconſulto cum nonnihil legatus Cæſaris cognoviſſet, ſtatim Principem, Patreſque adit; quæ a Tergeſtinis novata fuerant, iis vehementer commotum fuiſſe teſtatus; ut in priſtinum cuncta redigantur, curaturum, neque poſthac quidpiam, quod Senatui moleſtum ſit, Tergeſtinos auſuros, ſpondet. Legato audito, juſſa abrogata ſunt; ſed cum cœpta opera urgeri nuntiaretur, eodem repetito Senatuſconſulto, quæ Tergeſtini adverſus fœdera fecerant, deſtructis ac complanatis, vetus neque ullo tempore intermiſſum maris imperium retentum eſt. Inter hæc, quæ ad univerſam rempublicam chriſtianam ſpectare videbantur, Patrum infixa animis hærebant, cum ex Franciſci Alenconii, Henrici fratris, in Belgium repentina profectione, coalita jam per tot annos inter Gallos atque Hiſpanos pax turbari poſſe videretur. Qua in re quid a Republica factum ſit prius quam exponam, operæ pretium me facturum arbitror, ſi qualis hoc anno Germaniæ inferioris ſtatus fuerit, paucis complectar: neque enim Venetorum hiſtoriam ſcribenti mihi vitio daturum aliquem puto, ſi a præcipuo inſtituto parumper deflectens, aliarum provinciarum ac regnorum ſucceſſus aliquando perſtrinxero. Cum enim Venetæ Reipublicæ graviſſima cum reliquis Principibus negotia intercedant; ſi quem eorum eventuum cognitio penitus fugiat, perfecte conſilia ac Senatuſconſulta aſſequi poſſe difficillimum puto. Fax igitur veluti quædam præferenda eſt, qua ex aliorum vel regnorum vel provin-

Tergeſtinorum ſalinæ a Venetis everſæ.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1578 vinciarum incrementis, mutationibus, decrementis rectius, quæ ad Venetos ſpectant, percipiantur.

Belli Belgici expoſitio.

Bello igitur inter Hiſpanos, ac Belgas furente, provinciarum Ordines undique auxilia comparabant, Principes, quibus eorum ſalus, incolumitaſque conduceret, in ſocietatem illiciebant. Quocirca ſuperiore anno Matthiam Auſtriæ Archiducem, adoleſcentem, qui nondum viginti annos exceſſerat, ut auctoritate, clientelis, atque amicitiis, quas in Germania multas habebat, ſibi præſto eſſe vellet, maximis propoſitis præmiis incitaverant, ſummum provinciarum imperium ei delaturos polliciti; qui, Rodulpho Imperatore fratre inſcio, Vienna digreſſus, Antverpiam acceſſerat, præfecturamque inierat.

Matthias Auſtriacus Belgii præfecturam recipit.

Ejus auſpiciis Namurſium, & Ruremunda urbes, Iſabella Angliæ Regina juvante, obſidebantur; e Germania a Proteſtantibus haud parva ſubſidia expectabantur. His Joannes Auſtriacus permotus, Hiſpanos poſt Gandavenſia fœdera dimiſſos denuo accerſit; Burgundiorum, Gallorum, Italorum, ac Germanorum copias cogit: jamque cum expedita militum manu Alexander Parmenſis Princeps in promptu erat; Gregoriuſque Pontifex Maximus haud ſpernenda auxilia pollicebatur. Auſtriacus, Ruremunda obſidione liberata, Moſaque amne cum ſexdecim peditum, duobus equitum millibus trajecto, ad Gemblacum oppidum, quod non longe a Namurſio diſtat, hoſtes aggreſſus, inſignem victoriam retulit; Gemblaco, Lovanio, Tierlemoncio, Areſcotio, & Dieſtio ſe dedentibus; Matthia Bruxellis cum ſuis e fuga dilapſo, indeque in Antverpiam regreſſo. Eodem victoriæ curſu Nivellium a Carolo Mansfelcio obſeſſum, deditioneque receptum: exemplum Philippæ villa & Chimajum ſequuta: cum diverſa ex parte provinciarum Ordines Amſterdamum occupaſſent, Mechliniam, & Liram præſidio militum firmaſſent; Mota vero ab eorum ſtipendiis ad Hiſpanos tranſgreſſo, Gravelingam amiſiſſent.

Joannis Auſtriaci de Belgis victoria.

Dum bello cuncta in Belgio permiſcerentur, ac fortunæ proſpero afflatu Joannis Auſtriaci felicitas in dies augeretur, Franciſcus Alenconii Dux, Henrici Galliæ Regis frater, vel bellica gloria incenſus, vel ab Ordinibus ſolicitatus, in Belgium Fugeram mittit, ſuamque illis operam ac ſtudium pol-

1578 pollicetur. Id cum lætis animis Ordines excepiſſent, ſtatim Roſſepotum, & Pruneum eodem contendere jubet. Re ſæpius agitata, Belgii protector Alenconius vocatur, centum aureorum millibus in ſingulos annos decretis, Landreſeum, Quenojum, & Bapalma arces ſe ei permiſſuros pollicentur. Alenconius publico ſcripto, quæ ad Belgarum cauſam amplectendam impuliſſent, miſeram provinciarum conditionem, Hiſpanorum artes, quantum Galliæ provinciarum conſervatio interſit, perſequitur; Gallorumque ad duodecim millia copiis coactis, in Hanaltinorum fines proficiſcitur, ac ſeptimo idus julii Montium ingreditur, Beomontium obſidione cingit.

Franciſcus Alenconius protector à Belgis vocatus.

Ex eo Alenconii conſilio, quo palam Philippi Hiſpaniarum Regis hoſtes ſibi protegendos ſuſceperat, varia hominum ſermonibus jactabantur; ac plerique pertimeſcebant, ne inde turbandæ inter duos potentiſſimos Reges pacis, magno totius chriſtianæ reipublicæ detrimento, occaſio ſuboriretur. Qua ex re multis de cauſis Veneti commovebantur, cum inter Reges armis decertari non poſſet, quin reliquæ chriſtianæ reipublicæ partes, eodem veluti morbo correptæ, in eadem pericula calamitateſque traherentur. Eadem quoque cura quietis, atque chriſtianæ religionis incrementi Gregorium ſolicitum habebat, qui ob id ad publicam tranquillitatem tuendam ſæpius Senatum hortabatur: *Id & ſe dignum, & proprium ſui muneris eſſe, quippe qui pacis inter chriſtianos Principes cupidus, omni officiorum genere eam fovere ac retinere ſemper adnixus fuiſſet, parvaſque ſcintillas, quibus turbari aliquando poſſet, reſtinguendas curaverat: modo non tam de re communi, quam de republica ipſa laborandum eſſe: nihil Veneto nomine, nihil auctoritate dignius illuſtriuſque confici poſſe, quam ſi omni opera ac ſtudio cum Rege atque Alenconio ſuntre ageret, ut cœptis deſiſteret, neve violandæ pacis auctor eſſe vellet.*

Gregorius Pontif. Venetos ad pacem inter Principes procurandam hortatur.

Rerum igitur gravitate, ac Pontificis ſuaſionibus Senatus permotus, Joannem Michaelium extra ordinem legatum in Galliam & Belgium mittit, ut Alenconium ad ſuſceptam provinciam deponendam impellere niteretur. Michaelius poſt poſitos equos paucis diebus Lutetiam pervenit, Henricum adit; ſuadet, e Belgio fratrem avocet, neu Gallos ejus auſpiciis adverſus Hiſpanos bellum gerere permittat, cujus funeſtos

Ioannis Michaelii, oratoris ad Regem & Alenconiū miſſi, officia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1578 neſtos eventus nuper Galliæ regnum perſenſerat: damna, quæ ex ejuſmodi conſilio manare poſſint, quæve, eo abiecto, chriſtianæ reipublicæ bona acceſſura ſint, perpendit: quam id Veneto Senatui, qui illum citatis itineribus in Galliam contendere juſſiſſet, pergratum futurum ſit, oſtendit. Henricus egregio in quietem publicam animo ſe eſſe teſtatus, nullas in fratris conſilio ſibi partes eſſe; nihil, ut a ſuſcepta ſententia deduceret, non egiſſe; apud illum juventutis fervorem, generoſumque ad gloriam impetum vehementiſſimas adhortationes atque obteſtationes viciſſe; nunc vero ne minimam quidem ſpem, ut a cœptis abſiſteret, ſupereſſe; nihil tamen ſe prætermiſſurum, conſtanter affirmat, ut vel orbi præclarum optimi animi, ſervandæque cum Catholico Rege pacis cupidi teſtimonium exhibeat. Cum Michaelius ab Henrico nihil impetrare ſe poſſe intelligeret, extemplo in Belgium proficiſcitur, Montium, ubi Alenconius erat, ſe confert; nihil, quo animum illius flectat, atque a ſuſcepta provincia dimoveat, intentatum relinquit. Nunc, quantum ea expeditio paci publicæ obſit, ediſſerit: in protegendis Hiſpaniarum Regis hoſtibus ſi perſeveret, haud dubie concordiam abruptum iri, brevique ejuſmodi incendium, quo univerſa chriſtiana reſpublica conflagraret, oriturum. Nunc regis fratris de ſe optime meriti rationes explicat, qui adeo in publicam tranquillitatem animatus eſſet, ut ſummo animi dolore, ob ceptum ab eo, ſe repugnante, conſilium, afficeretur. Nunc quam parum inde emolumenti ſibi obventurum ſit, exponit: rem innumeris difficultatibus obſtrictam plus exiſtimationis jacturæ & periculi, quam ad ea vota, quæ animo conceperat, conficienda ſpei eſſe: aliunde gloriam ſibi quærendam, quæ dubio procul valde imminueretur, atque fœdaretur, dum ab eo diſcordiæ ac bellorum inter duos Reges initia fierent. Senatus demum deſiderium ac poſtulata defert, qui non alio, quam in commune bonum, atque Galliarum Regni amplitudinem & incolumitatem ſtudio ductus, ad eum, atque ad Regem fratrem, ſe extra ordinem quam celerrime contendere juſſum, legaſſet. His, atque aliis Alenconium permovere Michaelius conabatur. At ille, de propenſo in ſe ipſum animo, deque legatione Senatui gratiis actis, multis, quæ ab ſe geſta ſint,

Henrici Regis reſponſum.

Franciſci Alenconii reſponſum.

jure

jure geſta contendit; juſtiſſimis de cauſis ad opem provinciis 1578
ferendam adductum: ſupplices ad ſe Belgas confugiſſe, opem ac patrocinium popoſciſſe; nihil magnis Principibus æque proprium eſſe, quam afflictis opitulari; neque eos, qui humi procumbentes illorum implorent auxilium, deſerere, aut abjicere; in eo, quatenus mortali fas eſt, Deum Optimum Maximum imitantes, qui nihil ſibi gratius eſſe, nihil efficacius mortalibus, quam ut miſeris ſubvenirent, oppreſſoſque ſublevarent, ſignificaſſet: ea de cauſa tantum impulſum ad preces ac voces miſerorum audiendas proclinatum fuiſſe: modo non ſine gravi honoris exiſtimationiſque jactura deſerere eos poſſe; ſi id faceret, indignam Principe notam in omnem poſteritatem ſubiturum. Michaelius ut muneri nulla ex parte deeſſet, verſare in omnes partes Alenconii animum adnixus, nihil impetrare potuit. Eumdem exitum Nazareni Archiepiſcopi, quem Pontifex in Belgium miſerat, legatio habuit. Michaelius legatione functus in patriam revertitur.

Henricus per Ferrerium legatum de iis, quæ tum Hieronymus Lippomanus ordinarius, tum Michaelius extra ordinem legatus cum eo egerant, Senatui gratias egit; ac paulo poſt Hieronymum Gondium Venetias miſit, qui principatum Pontio Regis, matris, Reginæque conjugis nomine gratulatus, adjecit: ſe potiſſimum ab Henrico legatum ad Rempublicam fuiſſe, ut Patribus pro extraordinaria Michaelii ad ſe, Alenconiumque fratrem legatione gratias ageret; nihilque, ut fratrem a Belgico itinere averteret, omiſiſſe, teſtaretur: pacem cum Catholico Rege ſervare ſibi omnino ſtatutum eſſe: quantum inde ad chriſtianam rempublicam commodi manaret, Henricum noſſe: quo chriſtiano orbi eximiam voluntatem, egregiumque in commune bonum ſtudium profiteretur, ut chriſtiani Principes fratrem a ſuſcepta ſententia dimoveret, adnixum: nullis rationibus permoveri, nullis precibus flecti aut remorari obfirmatam mentem potuiſſe: cum decem tantummodo equitibus Alenconio ex aula digreſſo, edicto ſtatim caviſſe, ne quis Gallorum ad opem Belgis ferendam accederet: nihil demum, quo publica quies ac tranquillitas retineretur, quodque ab ſe requiri aut exoptari poſſet, unquam prætermiſſum. Gondio, uti Reſpublica obſervantiam,

Hieronymus Gŏdius Henrici Regis orator ad Venetos.

vete-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1578 veteremque cum Rege amicitiam decebat, Senatus decreto reſponſum.

Interea vero ab Alenconio Beomontium cum duodecim muralibus tormentis quatiebatur, eo conſilio, ut vel deditione, vel vi, antequam Auſtriacus ſuppetias ferret, ad deditionem compelleret. At cum, Hirgeo duce, copias, ut obſeſſis ſubvenirent, Auſtriacus miſiſſet, re per exploratores cognita, Galli, aliquot tantum in extremo agmine amiſſis, ſeſe recipiunt, Antrecumque, ſatis amplum at infirmum oppidum vi capiunt, Verum exiles admodum in Belgio Alenconii ſucceſſus fuere; neque quidquam vel ſuis natalibus, vel hominum opinione, vel fama, qua defenſoris Belgicæ libertatis titulum aſſumpſerat, dignum efficere potuit. Itaque menſe decembri exeunte, militibus ac præfectis dimiſſis, quorum pars in Galliam rediere, pars Ordinum copiis ſe adjunxere, nonnulli Caſimiro Duci, qui Gandavi, quod nuper ab Hiſpanis defecerat, morabatur, acceſſere; Alenconius in Gallias reverſus, Danmartinum oratorem ad Ordines miſit, qui ea, quibus ad deſerendam ſuſceptam provinciam compulſus fuerat, exponeret; fratris Regis preces, novis in Gallia ſeditionibus obortis, magnum apud ſe pondus habuiſſe ſignificaret; quæcumque ab ſe ad eorum res juvandas auxilia extare poſſent, ea omnia delaturum, Proneumque ordinarium apud eos legatum relicturum. Eodem tempore Joannes Auſtriacus, adhuc in flore ætatis conſtitutus, dum poſt multa egregia facinora, poſt inſignem de Turcis ad Echinadas victoriam, pro Philippo fratre Belgio cum ſummo imperio præeſſet, ex humanis exceſſit. Ejus præconſultorum conſilio, ſacramento militari copiæ Alexandro Farneſio, Octavii Parmæ & Placentiæ Ducis filio, obſtrictæ ſunt; qui ſingularis fortitudinis ac virtutis laude priſcis imperatoribus æquandus, bellum per multos annos iis in regionibus adminiſtravit.

Joannis Auſtriaci obitus.

Alexander Farneſius Hiſpanorũ copiarum in Belgio imp.

Neque vero generoſum non minus, quam audax & infauſtum Sebaſtiani Luſitaniæ Regis conſilium ſilentio prætereundum eſt; qui adoleſcens gloriæ ſtimulis, provehendi imperii cupiditate, ac religionis ardore incenſus, quem illius animo Societatis Jeſu religioſi, quorum auſpiciis a teneris annis fuerat educatus, inſtillaverant, in Africam trajicere ſtatuit, a Mehemete præſertim incitatus, qui Feſſenſi ac Marocchi regno

gno a Molucco pulſus, ipſius Regis ope ad ſuas ditiones recuperandas magna ſpe evectus, haud dubiam ei victoriam vel Luſitanarum virium robore, vel populorum in ſe propenſione pollicebatur. Itaque Sebaſtianus, qui vix vigeſimum ætatis annum attigerat, duodecim bellatorum millibus in Luſitania coactis, ſexcentis Italis peditibus, qui, Hiberniæ Marchione duce, a Pontifice ac Philippo in Hiberniam mittebantur, interceptis, tribus Germanorum millibus a Vilielmo Arauſionenſi Principe acceptis, ad hæc equitibus mille ac quingentis cum Luſitanæ nobilitatis ac juventutis flore, quatuor viris, qui ſe abſente, regno præeſſent, relictis, in Uliſiponenſi portu claſſem, quæ mille navigiorum numerum exceſſerat, conſcendit, in Africamque trajecit. Educto exercitu, intra paucos dies hoſtis in conſpectum ſe dedit, qui copiarum ſuarum numero, quæ decem peditum, quadraginta equitum millibus conſtabant, fretus, cum neque numero, neque virtute, neque militari diſciplina Luſitanos præſtare intelligeret, opportuno loco caſtris poſitis, in eas anguſtias Sebaſtianum compulit, ut vel prælium detrectando, commeatuum inopia, aut turpi fuga, nulla ſalutis ſpe caderet, vel pugnam ineundo, certo exitio (uti contigit) ſeſe objicere cogeretur. Nam undique a Mauris circumventus, quamvis Itali ac Germani ingenti auſu hoſtium impetum ſuſtinerent, Rex ipſe animi vigore, quem ætas acuebat, plus privati militis, quam ducis munere fungeretur; Mauri tandem victores Luſitanos fundunt, cædunt, obtruncant, capiunt. In ea pugna primores Luſitaniæ nobilitatis, atque Sebaſtianus occubuere. Inde Luſitaniæ regno ex Regis obitu, nullis relictis filiis, ingens, nec unquam ſarcienda jactura acceſſit. Qua ex re quantum ea conſilia, quæ vel animi impetu, vel ingenti magnarum rerum ſpe, non prudentia ac maturitate fulta ſuſcipiuntur, regnis, rebuſque publicis ſemper offecerint, dignoſci potuit.

Sebaſtianus Luſitaniæ Rex expeditionem Africanam decernis.

Luſitanorũ proſligatio, & Sebaſtiani Regis interfectio.

M. D. LXXVIII.

1579 *Henricus Cardinalis Luſitaniæ regnum ſuſcipit.*

SEbaſtiano Luſitaniæ Regi Henricus patruus, Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum nuncupatus, Joannis Regis filius, Emanuelis nepos, exacta fere ætate, abſque libe-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1579 liberis ſucceſſit. Matthæus Zannius, qui Regis adoleſcentis caſum doleret, regnique ſucceſſionem gratularetur, ad Henricum a Senatu legatus eſt deſignatus; qui cum Uliſiponem egregio comitatu perveniſſet, ex ædibus, quas illi Rex tribuerat, a Feriæ Duce, undique viſendi ſtudio populo confluente, in regiam deductus, ibique in ampliſſima aula ſub conopæo ab Henrico exceptus, legationis muneri egregie ſatisfecit; nullumque ab Rege vel exiſtimationis, vel benevolentiæ argumentum in Rempublicam deſideravit. Nam honorum omni genere excultum, ampliſſimiſque pollicitis oneratum donatumque dimiſit.

Mattheus Zannius ad Henricum Luſitaniæ Regem orator.

Interea rerum novandarum initia, ni a Principibus compreſſa eſſent, in magnam perniciem, paciſque publicæ detrimentum evaſura, in Italia emerſere. Nam in Salaſſiis *Mareſcallus*, quem vocant, Bellagardius, vel ob diſſidia, ut ipſe vulgaverat, quæ privatim cum Carolo Birago, Henrici Regis in ea regione præfecto, exercebat, vel ſecretioribus cauſis adductus, occulto arma comparare, compluribus e Gallia Ugonottæ præſertim factionis accitis, novos motus ciere cœpit. Earum rerum cum per Italiam rumor diſſiparetur, Gregorius Summus Pontifex per Joannem Baptiſtam Caſtaneam legatum, quanti momenti ea ſemina eſſent, perquam ſedulo expendenda Senatui ſignificavit: iis publicam quietem everti, religionem turbari poſſe: hæreſum peſte in Italiam irrumpente, humana divinaque cuncta veluti turbine agitata commiſtum iri: quapropter hortari, rogare, ut pro quiete ac religione majorum exemplo excubet, exorienti malo obviam eat: ad id conducere in primis arbitrari, ſi, arcto cum Apoſtolica Sede nexu Republica conjuncta, ſcintillas in ingens incendium erupturas extinguere omni officiorum genere Patres nitantur. Pergratum id in pacem Pontificis ſtudium Senatui extitit, deque paternis monitis Gregorio gratiæ actæ: nullo eventu ab Sede Apoſtolica ſejungi aut divelli ſe Rempublicam paſſuram. Principio ſane Bellagardius eas e Principum animis ſuſpiciones eximere, quæ ſemel mentibus illapſæ ægre divelli queunt, conatus, literas ad Franciſcum Barbarum, Reipublicæ apud Sabaudum oratorem, dederat: non rerum novarum cupiditate, aut aliquid in Henricum Galliarum Regem meditantem milites cogere; ſed ut ſe a Carolo Birago, quocum ſibi diſſenſionum complures cauſæ intercedebant, tutaretur. Idem Gregorii apud Emanuelem Philibertum legato, Mediolani Gubernatori, Sabaudiæque ipſi Duci ſignificaverat. Verum ob id ſubortæ in Gallorum animis ſuſpiciones eximi non poterant, multiſque ſermonibus jactabant: non hæc ſponte Bellagardium moliri; conſilii participes ac conſcios Hiſpanum ac Sabaudum eſſe, quibus jamdiu alte menti inſederat, ut Gallos penitus Italia excluderent; Hiſpanum, ne acerrimum æmulum aliquando ſua conſilia & conatus interturbaturum experiretur; Sabaudum, ne præpotentem Gallorum gentem intra ſuarum ditionum viſcera diutius ali ſineret: his impulſos, Bellagardium incitaſſe, pecuniam ſuppeditaſſe. Ac licet non deeſſent qui dicerent, vix credendum, Hiſpaniarum Regem in Italia, cujus maximam partem obtineret, turbas miſceri, bellumque ſeri paſſurum, ſuiſque rebus non conducere, diverſæ religionis hominibus magno chriſtianæ reipublicæ detrimento fores iſtius provinciæ pandere; attamen contra objiciebant Galli, dominandi ſitim, proferendique imperii cupidinem in mortalium animis ingentem vim habere; perpetua æmulatione Hiſpaniarum ac Galliarum Reges de imperio decertaſſe: quod vero ad religionem attineret, Ugonottorum auxilia, Gallo e Salaſſiis pulſo, trans montes amandari poſſe. Arnoldus Ferrerius, Henrici legatus, quam ſuſpecta Hiſpanorum ac Sabaudi conſilia forent, apud Principem Patreſque diſceptabat: haud parum Reipublicæ intereſſe, ſi amicum Regem ditionibus, quæ in Italia jamdiu poſſideat, exui patiantur. Senatus, ob ea, quæ nuper in Salaſſiis acciderint, non minus Henrici Regis, quam Italorum Principum, ac Reipublicæ ipſius cauſa ſummam moleſtiam percepiſſe; in publicam pacem ſtudium certiſſimis ſemper argumentis declaraſſe; ne tranquillitas turbaretur, enixurum, legato reſpondet. Hiſpanus quoque orator Collegium adit, ſpecie, ut de iis, quæ tum Romæ, tum in Gallia agitata a Senatu audiebat, Patribus gratias ageret; re, ut quæ mens publica, quove Venetorum conſilia tenderet, conjectaret. Cui Princeps prudenti diſſimulatione uſus, nullos tumultus in Italia eſſe, nullum detrimentum quietem paſſuram, reſpondit.

Bellagardius in Salaſſiis arma comparat.

Gregorii Pont. cum Senatu officia de Salaſſiorum diſſidiis.

1579

Gallorum de Salaſſiorum moribus ſuſpiciones.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1579 *Bellagardius Salaſſios occupat. Venetorum cum Pontifice officia.*

At eodem tempore cum Bellagardium Salaſſios penitus occupaſſe nunciaretur, inopinato eventu commoti Patres, cum Gregorio agunt, ut ſua auctoritate belli in Italiæ faucibus inſurgentis initia opprimat, quæ ſi incrementa ſuſceperint, nulla humana ope remedium adhiberi queat. *Quis enim arbitretur Galliæ Regem ſe præcipua ditione exutum, atque indigne Italia pulſum impune paſſurum? Immo potius non exiſtimet, nullum non lapidem moturum, ut illatas injurias ulciſcatur, ademptoſque ſibi Salaſſios cunctis, nullo religionis diſcrimine, in id collatis viribus, recipiat? Inde quot calamitates, quot portenta eventura ſint, neminem paulo in rebus humanis verſatum ignorare. His addi, quod bello Hiſpanico Galliæ Reges ſæpius ad Turcarum neceſſitudinem confugerint, auxilia exciverint, claſſes portubus exceperint: verendum eſſe, ne hiſce exemplis ab iiſdem Henricus auxilium ad res ſuas ab Hiſpanis tuendas efflagitet; idque eo magis ſibi licere exiſtimet, quod non aliena occupandi, ſed erepta recipiendi ſtudio contenderet. Itaque Pontificem orare, ne bono publico deſit, ut, quod horum motuum initio ipſe per ſuum legatum Reipublicæ ſuaſerat, modo mutuis ejuſdem adhortationibus efficere velit.* Verum Gregorius propenſam in commune bonum voluntatem ampliſſimis verbis teſtatus (quanam ex cauſa incertum) rem tanti facere, quanti antea fecerat, minime viſus eſt. Quocirca Patres de Henrici ingenti animi commotione certiores facti, quem irarum æſtu fere præcipitem agi ferebatur, ſtatimque Lugduni adfuturum, ac, ni alia ratione ditiones ſuas recuperare queat, ad arma venturum; nihil ad reſtinguendum incendium prætermittendum rati, Ferrerio quæ nuper contigerant, exponenti, Henricique nomine opem, conſiliumque poſcenti, Senatuſconſulto reſpondent: *Plenam periculi aleam exiſtimare, hoc tempore in chriſtiana republica arma excitare, quæ præteritis bellis attrita, nec minus internis diſſidiis, quam externis certaminibus labefactata, quiete potius ad vires recuperandas indigeret, quam ut fluctibus acrius jactata ingenti communis hoſtis lætitia naufragium perpeti cogeretur: Henricum propterea hortari, rogare; omnia prius, quam ad arma deſcendat, experiatur; difficile non arbitrari, Bellagardium in Regis poteſtate futurum, cum Biragi tantum inimicitia*

citia ad arma capienda ſe impulſum conſtanter affirmans, ſummam in Regem (uti ſubjectum, ac beneficiarium decet) obſervantiam profiteretur. Id Senatus conſilium magni Henricus facere viſus eſt; nam per Ferrerium Patribus gratias agit; qui amiciorem Veneta Republica Henricum habere neminem teſtatus, cum pares prægravi imperii ponderi a Deo Optimo Maximo ſibi commiſſi præconſultores nactus non eſſet, crebro Senatus ſententiam exquiſiturum, ejuſque prudens non minus, quam fidele conſilium recepturum, affirmavit. 1579

Igitur Gratianopolim Catharinam matrem mittit, ut, an officio quidquam efficere poſſet, experiatur. Cumque Bellagardium imperium non excuſſurum, Salaſſiorumque ditiones traditurum Veneti cognoviſſent, Franciſcus Barbarus legatus ſtatim Gratianopolim ſe conferre, a Decemviris jubetur; Reginam matrem ad rationem inveniendam, qua abſque armorum ſtrepitu controverſiæ componantur, hortari; Bellagardio, quem eodem iturum nuntiabatur, ſuadere, ut, quæ ſe facturum dixerat, ea re ipſa preſtaret. Sed cum Barbarus Bellagardium, quod procul eſſet, convenire non poſſet, Gratianopolim profectus, mandata Decemvirum exequitur. Catharina, legato perhumaniter excepto, gratiis ob impenſam ea in re operam Senatui actis, non alienam (etſi filii dignitatem agi diceret) a concordia ſe fore oſtendit. Subjecit, Gallorum copias, Ugonottorumque præſertim, ne inde aliquid detrimenti catholica religio patiatur, invitam in Italiam emiſſuram, ingenti atque irreparabili expertam damno, quot incommoda, quot clades ex diſſidiis religionis emergerent: his remediis ſuprema tantum adactam neceſſitate uſuram. Verum inde animorum perplexitas, atque anceps ſolicitudo haud parum augebatur, quod Philippus fœdere ſibi Helvetios junxiſſet, ea conſilio, ut (quemadmodum ferebatur) aditum Gallis ad Italiam intercluderet. Quod Henricus veritus, ut machinas abſque Hiſpanorum vel declinaret vel eluderet, cum Bernatibus fœdus iniit, Genevæque patrocinium ſuſcepit, tutius conſuleret rebus ſuis neutiquam poſſe ratus. Cum vero Bellagardius colloquium Lugduni cum Regina matre vel metu, vel exiſtimationis cauſa abnuiſſet, Monluella, ſex a Lugduno leucis, Sabaudi ditionis, eligitur. Ibi Regina, Allobrogum Dux, ac Bellagardius ipſe

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1579 convenere. Post varia utrimque agitata, tandem concordiæ ratio inita est. Bellagardius ab Henrico Salassiorum gubernator, ac cis alpes Prorex est declaratus; motusque armorum compressi, qui haud multos post annos, veluti majoris incendii consopitæ favillæ, in republica christiana, ac præcipue in Gallia, emersere.

Salassiorum rerum compositio.

Austriacorum & Germanorum Principum Venetias adventus.

Dum hæc graviora pertractantur, Ferdinandus Archidux Austriæ, Maximiliani Cæsaris nuper defuncti frater, Maximilianus ejus nepos, Rodulphique Cæsaris frater, una cum Bajoariæ Principe, ac Brunsvicensi Duce, visendæ urbis studio Venetias accessere. Prope Taurisium Senatus jussu ab Antonio Theupolo & Vincentio Throno excepti; Dandulæ gentis ad Judaicam ædes datæ, sumptus ære publico factus, nullaque in eos publicæ liberalitatis studia defuere. Per id tempus de veteribus componendis inter Austriacos ac Venetos controversiis actum; quæ res sæpius tractata, & præsertim anno M. D. LXIII. ad exitum perduci non potuit. Rodulpus omnem dissidiorum materiam amputari, arctiorique Reipublicæ necessitudine jungi cupiens, id per Sigismundum Caballium, Reipublicæ legatum, ac Dorimbergium suum Venetiis oratorem Senatui significat; petit, ut sequestri mittantur, qui cum suis de definiendis controversiis agant; ni convenire possint, se non uti judicem, sed amicum ea in re operam interpositurum. Patres, qui, ut eæ controversiæ penitus tollerentur, sæpe adnixi fuerant, Senatusconsulto, ut bini Senatores in id eligerentur, tulere: Joannes Grittus, ac Leonardus Donatus lecti. Et quoniam cum Ferdinando & Carolo fratribus nonnullæ difficultates adhuc vigebant, Carolus se quoque ea tractatione comprehendi voluit: Ferdinandus licet initio quibusdam impediri se, affirmaret; tamen, ut apud Cæsarem de Marresenæ montibus, deque sententia Tridentina M. D. XXXV. lata exequenda ageretur, est assensus, atque ad reliqua definienda legatos mitti postulavit.

Antonius Theupolus & Vincentius Thronus oratores ad Germanos Principes.

Joannes Grittus & Leonardus Donatus ad controversias definibus cum Germanis tollendas electi.

Eodem anno Franciscus, Magnus Hetruriæ Dux, Blancam Capelliam, Bartholomæi patricii filiam, sibi connubio junxit. Ad eam rem Senatui significandam Marium Sfortiam, Comitem, Cardinalis Sanctæ Floræ fratrem, misit. Is, qua observantia, ac existimatione Rempublicam Franciscus prosequeretur, luculenter exposuit, rationesque suas nullo unquam tem-

Franciscus Magnus Dux Hetruriæ Blancam Capelliam uxorem ducit.

tempore ab ea sejuncturum affirmavit: atque ut arctiori vinculo necessitudo coalesceret, Blancam Capelliam, e patricio Venetæ nobilitatis sanguine ortam, uxorem ducere decrevisse; non tam privati civis, quam Reipublicæ filiam sibi connubio juncturum arbitrari. Senatus decreto Sfortiæ responsum, summam ex eo nuntio Rempublicam lætitiam cepisse, quæ semper singulari amore Franciscum complexa sit; hoc veluti pignore accedente, in posterum sibi omnia ab ea polliceri posse. Sanatusconsulto Blancæ Capelliæ Reipublicæ filiæ nomen attributum. Bartholomæus pater, Victor frater Equites creati; duo Florentiam legati ad Franciscum missi, Antonius Theupolus, Joannes Michaelius, qui compluribus e Veneta nobilitate, atque aliis stipati, splendidæ legationis munus obiere. Franciscus, qui de egregio Venetæ Reipublicæ in se ipsum animo, præclarisque significationibus gratias ageret, Joannem Mediceum fratrem Venetias misit. Turcis res eo anno in Persida parum feliciter cessere. Mustaphæ ab Amurathe Byzantium vocato, Sinanes, Guletæ ac Tuneti expugnatione clarus, est suffectus. Is novis copiis in Persidem delatus, atque ab hoste (quem viribus apprime auctum cognoverat) lacessitus, sub aleæ jactum, exercitum, quo Amurathis potentia nitebatur, ponere non ausus, Simbram se recepit, insistente in tergum hoste, postremumque agmen non sine interitu ac fuga Turcarum carpente. Persa victoriæ cursu provectus, Carso paulo ante ab hoste munito, prope Caspium mare, decem millibus Turcis deletis, potitur. Mox tredecim equitum millium profligatæ copiæ, quæ sub Mehemetis filio præda onustæ, e Persæ ditionibus ad Sinanem Simbram revertebantur, victoriæ cumulus accessere. 1579

Antonius Theupolus & Joannes Michaelius ad Florentiæ Ducem oratores electi.

Turcæ improspere bellum adversus Persas gerunt.

M. D. LXXX.

HI parum prosperi Turcarum eventus denuo de induciis inter Philippum atque Amurathem intentiore cura pertractandis occasionem præbuere, cum ambo ad eas pacificendas multis gravissimisque de causis impellerentur. Amurathes bello Persico occupatus, ingentes sui regni copias virosque in longinquas terras transmittere, præpotentemque hostem, 1580

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1580 totus in ea expeditione versari cogebatur. Philippus Belgico bello implicitus, Henrico Cardinali Lusitaniæ Rege in interitum labente, dies noctesque de Lusitania obtinenda cogitabat. Itaque haud difficile fuit in triennium inducias pacisci, quibus utrimque tum ab Catholico Rege, tum ab Amurathe, Veneti sunt comprehensi; quamvis assidua Turcarum querelis, ac questibus alimenta Uscochorum audacia ac scelere ministrarentur, ad quos obtundendos ac extirpandos non maritima obsidio, non cum Cæsare crebra officia opis aliquid afferebant. Nam Alberto Baduario, qui in ea legatione Sigismundo Caballio defuncto successerat, petenti, ut Senia amoti, in alias regiones sævissimi prædones amandarentur, nihil certi respondebatur. Quinimmo, scripto Cæsaris nomine exhibito, pleræque rationes, cur Senia dimitti non possent, continebantur: *Gentem pugnacem, intrepidam, assiduis duratam laboribus, asperrimo situ, pestilenti assuetam cælo non metu periculorum perterritam, in vita profundenda intrepidam, in Turcas acerrimam esse: circumjectas regiones longe lateque excursuros, nisi horum vel audacia vel terrore Turcæ coercerentur: multa Christianos in ea regione degentes incommoda mansura; Lyca provincia Jaderæ propinqua facile potituros; atque inde haud parum detrimenti Reipublicæ accessurum. Iis vero, quæ contra diceverentur, damna negotiatoribus inferri, infesta maria reddi, complures Christianos, ut se suaque tueantur, Turcis adjungi, ita responderi: impium hominum hoc genus esse, quos dum in religionis hostes stringere ferrum oportuisset, iis aperte faverent. Quod si, manentibus cum Imperatore induciis, in limitibus pugnare, damna inferre, impetum in Cæsaris subjectos facere Turcis permitteretur; cur non injurias damnaque rependere suis non liceret, cum id jure gentium receptum sit, quæcumque hostes in nos, eadem nos juste in hostes moliri posse? jam vero si negotiatorum incommoda, si direpta navigia objiciantur, quin ea gravia admodum, atque prope intoleranda sint, differi non posse; verum iis opportuna remedia adhibituros: interea neque Cæsari, neque christianæ reipublicæ, neque Venetis, ut Senia Uscochi pellantur, conducere.* Id demum addunt: *Gregorium Pontificem Maximum, quot ab ea gente beneficia manarent, reputantem, multis privilegiis concessis, annuam pecuniæ summam in eos erogari jussisse.* Acerbe admodum, quæ exhibito a Cæsareanis scripto continebantur, Senatus tulit: æqua ipsius postulata, uti eorum pondus poscebat, a Cæsare non admitti; rationes negligi; in Venetis ditionibus incendium sensim cuncta depopulaturum, ali; subjectos absumi; navigationem interverti; Turcas in christianæ reipublicæ munimentum provocari; novum atque indecorum videri, crudelissimæ ac rapacissimæ gentis turpe atque iniquum lucrum, resque tam graves, quæ secum propemodum infinitam molestiarum molem traherent, eadem trutina expendi. Quapropter cum Cæsare Senatus mirum in modum conqueritur: non has Reipublicæ spes, non hæc illius pollicita. Rodulphus, parum eo scripto insistere se, inquit; fontes plecti, damna sarciri, in auctores scelerum animadverti jussurum: multis de causis Senia Uscochos non amoturum. Ac licet vehementi dicendi vi suadere Cæsari legatus niteretur: tot malorum capita radicitus excinderet, neve hydræ in morem augeri, latiusque excrescere sineret; nihil amplius impetrare potuit.

Inducie inter Hispanos & Turcas.

Cæsareanorum scripta de Uscochis non removendis.

1580 *Venetorum cum Cæsare de Uscochis querelæ.*

Venetorum & Mantuanorum de aquis controversiæ.

Dum hæc agerentur, inter Gulielmum Mantuæ Ducem, ac Venetos dissidia quædam erupere. Cum enim allatum fuisset, fossam a Mantuæ urbis mœnibus perduci cœptam, qua Mincium lacum in Tiegnonem amnem, inde in Tampsarum, tandem in Athesim effunderet, ingentemque aquarum vim in Veronensem agrum immitteret, ut Mantuanorum siccata aquis loca, magno Veronensium damno, uberiora redderentur; id nequaquam ferendum Patres rati, Franciscum Girardium a secretis Mantuam misere, qui a Gulielmo cœptum opus desisti petat: ni id faciat, suarum rerum indemnitati Senatum consulturum, atque a suis ditionibus ac subjectis imminentia damna aversurum. Eodem tempore Veronensi magistratui Senatus jubet, ut fossorum numerum, quantus ad arcendas Mantuanorum aquas sufficeret, imperet; Sfortiæ Pallavicino, summo militiæ præfecto, significet, ut, trecentis equitibus coactis, pedestribusque quot sibi visum fuerit adjunctis, in promptu sit, jura dignitatemque Reipublicæ tueatur. Girardius Mantuam profectus, jussa exequitur. Gulielmus, numquam damnum ac molestiam Venetorum rebus inferre sibi in animum induxisse, affirmat, se

Franciscus Girardius a Senatu Mantuam mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1580 quoque Venetæ nobilitati adſcriptum, non alio quæ ageret, niſi ut piſcationem ſuis commodiorem redderet, ſpectare; quæcumque faceret, in ſuiſmet ditionibus moliri aquas, nullo pacto in Veronenſem agrum exoneraturum. Harum diſſenſionum fama per Italiam vulgata, in majuſque aucta, Pontificem pro tranquillitate vehementer excubantem impulit, ut Camillum Capilupium cubicularium cum literis ad Gulielmum mitteret: cœptis abſiſteret, neve parvis initiis publicæ quietis turbandæ cauſam præberet: ſi quæ inter illum, ac Venetos controverſiæ extarent, jure agere vellet. His literis, quæ minis quoque reſperſæ fuerant, Gulielmus ſuboffenſus, Pompejum Strozzium ad Senatum miſit, qui ſumma ſemper in Rempublicam benevolentia atque obſervantia ſe extitiſſe teſtaretur; at viciſſim ab ea ſe filii loco haberi putantem, modo ob Gregorii literas minis refertas, ne propenſa illius, ſemperque perſpecta in Rempublicam voluntas in dubium vocetur, ſubvereri ſignificaret. Strozzio reſponſum, quæcumque Gregorius fecerat, ſponte paciſque ſtudio, non Senatu petente feciſſe: ſingulari benevolentia atque exiſtimatione Gulielmum proſequi, eum loco filii Rempublicam, & habuiſſe, & in poſterum habituram. Verum cum novi quotidie rumores afferrentur, ab iis præſertim, quorum res agebatur, aucti, ex Mantuanis aquis haud parva detrimenta Veronenſibus imminere; opera continuari, alveum excavari, quo in foſſam, quam *Molinellam* dicunt, aquæ perducerentur; ut de his exactius Patres edocerentur, Hieronymum Capellium, aquis præfectum, ad loca & ſitum, quæve ex eo opere manare damna poſſent, exploratum cum duobus aquarum peritis miſere. Magiſtratui Veronæ, ut architectum Veronenſem eo proficiſci juberent, præcepere, quo, diligenti obſervatione ad libellam expenſis aquis, omnia exactius pernoſcerentur. Capellius cum ea de re ad Senatum retuliſſet, eo conſulto, latum, ut Strozzio Gulielmi Ducis a ſecretis ſignificetur, Senatui placere, ut ſubterraneo ad dividendas aquas ſtructo ponte, ac perducto muro, ſubjecti Reipublicæ atque agri ab omni prorſus damno immunes a Gulielmo redderentur: atque hac ratione inter Mantuanum, ac Venetos diſſidia compoſita ſunt.

Pompejus Strozzius Mantuani Ducis orator ad Venetos.

Hieronymus Capellius ad Mantuanorum opera invisenda profisiscitur.

Cc-

1580 *Henrici Luſitaniæ Regis obitus.*

Ceterum hoc tempore cunctorum Principum in Luſitaniam mentes obvertebantur, cum pridie kal. februarii Henricus Rex Cardinalis ex humanis ſublatus, regnum ex teſtamento ad quinque ab ſe inſtitutos gubernatores, quibus ad ſucceſſorem deligendum certas conditiones præſcripſerat, detuliſſet. Ac plerique verebantur, ne Luſitaniæ ſucceſſione, vel jurium varietate, vel competitorum viribus, vel populorum in diverſas partes propendentium ſtudio, publica quies turbaretur. Nam quotquot ab Emanuele, decimoquarto Luſitaniæ Rege, qui partæ ſalutis anno M. CCCC. LXXXXV. gubernacula ſuſceperat, originem traxerant, vario ad regnum jure nitebantur. Fuere Emanueli filii eo ordine ac filiæ, Joannes, Iſabella, Beatrix, Ferdinandus, Ludovicus, Alphonſus Cardinalis, Henricus Rex ac Cardinalis, atque Edvardus; ex Joanne orti Joannes Princeps & Maria; ex Joanne Sebaſtianus Rex, qui in Africana expeditione interiit. Maria Philippo Hiſpaniarum Regi nupſit, quem ex Iſabella, Joannis ſorore natu majore, Carolus Cæſar ſuſcepit. Ex Beatrice Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux prodiit. Ludovicus Antonium ex Jolanda illegitimis (ut ferebatur) nuptiis progenitum reliquit. Ab Edvardo demum feminæ duæ fluxere, Maria, Ranutii Farneſii Parmenſis Principis, uxor; & Catharina, quam Joannes Brigantinus Dux conjugio ſibi copulaverat.

Luſitanorum Regum ſtemmata.

Philippus itaque Hiſpaniarum Rex, quod majori natu Emanuelis filia, Iſabella nempe, oriretur, regnum ad ſe jure ſpectare contendebat; Brigantinus Catharinæ uxoris nomine, uti Edvardi, Iſabellæ fratris, filiæ Luſitaniam petebat. Alexander Parmenſis Princeps, Octavii Ducis filius, Ranutii jure, uti ex Maria majori Edvardi natu filia, Catharinæ ſorore nitebatur. Emanuel quoque Philibertus, Sabaudiæ Dux, ex Beatrice, matris Philippi Regis ſorore, ortus, jura ſua in medium proferebat. Verum Antonius Crati Prior, Ludovici filius, regnum ſibi vendicans, regios titulos ſuſceperat; legitimo connubio procreatum, non nothum, uti vulgo jactabatur, ſe eſſe profeſſus; populorum in ſuos favore ac viribus innixus, quos uti Caſtellanorum hoſtes, quælibet potius ſubituros, quam in eorum ditiones venturos ſibi ſuadebat.

At

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1580 At Philippus, Henrici obitu ante prævisо, quacumque ratione aditum sibi ad regnum struxerat, copias ad Lusitaniæ fines miserat; jure, uti sororis Sebastiani filio, sibi regnum deberi pronuntiaverat. Ad gubernatores ordinesque literas, qua officiis, qua pollicitis, qua imperio minisque refertas dederat, legitimumque successorem se uti agnoscerent, petierat. Iis vero, qui præerant, privatis affectionibus regnum in diversa trahentibus, Lusitania collabebatur, cum neque novum Regem nuncuparent, neque, qui invadere Lusitaniam meditabantur, iis resisterent. Inter ancipites sententias, perplexaque consilia, legationes ad Europæ Principes decernunt, quæ de Lusitaniæ statu doceant, consiliumque & opem implorent. Franciscum vero Farrium doctorem Venetias mittunt, Henrici obitum, susceptam regni ex testamento administrationem, Philippi Regis terrestres maritimosque apparatus Patribus significant, consilium auxiliaque exposcunt: *sperare se, maritimis viribus præpotentem Rempublicam Lusitaniæ non defuturam; Romam insuper legatum designasse, qui a Gregorio efflagitet, Catholico Regi suadeat, ne totius christianæ reipublicæ detrimento in Lusitanos arma moveat; jure agat, judicium sententiæ, quibus id gravissimum negotium commissum est, acquiescat.* Senatus Farrio ita respondendum censuit: Maximo ex Henrici Regis obitu dolore affectum Senatum fuisse; verum ea prudentia ac maturitate gubernatores usuros, quam & temporum conditio, & rei difficultas exposceret, sibi suadere. Philippus quoque per Christophorum Salazarium de Lusitaniæ successibus, de jure quo ad regnum obtinendum contendebat, deque obfirmata illius sententia Senatum certiorem fecit: eo se brevi aut pace, aut bello potiturum confidere; jam tres e quinque gubernatoribus ad se accessisse; Antonium per vim ad sanctum Arem, ædium foribus perfractis, regiisque abstractis insignibus, Regem a paucis acclamatum, cito hujusce plebis plausus pœnas daturum; cum præsertim illum, quique illi faverent, perduelles læsæque majestatis reos pronuntiasset: ni æquitati, quam ab se stare certo sciebat, Lusitani acquiescerent, armis acturum, regnumque, quod illi jure deberetur, invasurum. Philippo ob ea, quæ Reipublicæ significaverat, gratiæ

Lusitani Franciscum Farrium Venetias mittunt.

Christophorus Salazarius, Philippi Regis orator ad Venetos.

tiæ actæ: ex prosperis ejus eventis, quæ ad commune christianæ reipublicæ bonum, decusque dirigerentur, magnam se voluptatem percepturum, Senatus affirmavit. 1580

At Lusitaniæ expeditioni Philippus Albano Duce cum summo imperio præfecto, ipse Guadalupem, inde Meridam in Lusitaniæ finibus contendit; officiis, pollicitis, quo sibi plurimorum animos conciliaret, regnoque viam strueret, frustra adnixus, ad vim terra marique adhibendam se contulit: cui Lusitani per se impares, dissentientibus animis, in varias partes scindebantur; plerique ad excipiendum Philippum proclinati; alii ad Antonium fovendum propensi; quidam denique plausibili & specioso libertatis nomine illecti inspiciebantur. Inde magni tumultus exorti, incerta ad regnum tuendum, atque hostem arcendum consilia, cui jam sponte urbes atque oppida in limitibus posita se adjunxerant, facillimum ad victoriam aditum Hispanis præbuere; qui septimo kalen. septembris terrestri prælio ad Alcantaram amnem Antonium superant ac fundunt. Eodem tempore classe in Tagi amnis faucibus feliciter pugnant, nulloque negotio Ulisipone, præcipua Lusitaniæ regni urbe, potiuntur. Prosperum ejus rei eventum per Salazarium Philippus Senatui significat, amplificatas fortunas, auctum imperium, maritimarum virium incrementum defert; ea omnia ad christianam rempublicam Venetaque ditiones tuendas adhibiturum confirmat. Bini oratores, Hieronymus Lippomanus & Vincentius Thronus lecti, qui Lusitaniæ accessionem Philippo gratulaturi Ulisiponem proficiscantur.

Albano Duci belli Lusitani provincia a Philippo demandata.

Philippus Rex Venetis Lusitanam victoriam significat.

Hieronymus Lippomanus & Vincentius Thronus ad Philippum Regem oratores.

Per eos dies, Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce vita functo, ad Carolum filium Marcus Justinianus legatus est designatus, cum ipse Carolus, statim principatu inito, Franciscum Martinengium Comitem ad Rempublicam misisset, qui patris obitum, ipsius successionem, propensumque in Rempublicam exemplo majorum animum significare. Is postea secreto Principem ac patres allocutus, Retzium *Marescallum* quem vocant, adiisse Carolum, inquit, Gallarumque Regis nomine exposuisse, sibi omnino statutum esse, Salassos, a Bellagardii obitu imperata detrectantes, palamque dicto non audientes, quacumque ratione premere, atque ad se trahere, no-

Emanuelis Sabaudiæ Ducis obitus & Caroli filii successio.

Marcus Justinianus ad Sabaudiæ Ducem orator.

Franciscus Martinengius a Sabaudo Venetias mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1580 novaſque in iis turbas exorientes reprimere : Carolum ea cogitantem, monitorum patris memorem, in neutram propendere partem decreviſſe ; opem ea in re, conſiliumque Senatus poſcere ; rogare in Reipublicæ clientelam recipi ; nunquam ab ea diſceſſurum, quam ad Italiæ quietem ſervandam neque minus ad ſe ſuaſque res decuſque ſuſtinendum proclinatam intelligeret. Martinengio Senatuſconſulto reſponſum, de propenſa in Rempublicam voluntate, deque iis quæ nuntiaverat, Carolo gratias agi ; alio nunquam Senatus cogitata atque actiones, quam ad publicam tranquillitatem reſpexiſſe ; idem Sabaudum non minus reipublicæ chriſtianæ, quam ſuarum ditionum beneficio, quæ in Italiæ foribus inter duos potentiſſimos Reges ſitæ ſint, facturum ſibi perſuaſum eſſe. Ea omnia Pontifici Patres communicant, ut diſſidiorum initia, quæ exilia plerumque neglecta, tractu temporis ingentia evadunt, unanimi conſilio tollerentur.

At Pontifex, licet publicæ tranquillitatis, atque Italicæ quietis ſtudioſus eſſet, attamen alia coquebat animo, ex quibus graviſſimæ contentiones eo anno in Italia, ac præſertim cum Veneta Republica exarſere. Harum duo potiſſimum capita extitere, alterum de religioſis locis cenſoria cum poteſtate inviſendis, alterum de controverſia inter Aquilejenſem Antiſtitem ac Venetos nuper exorta. Illud ſumma animorum acerbitate agitatum, brevi definitum eſt ; hoc vero reliquum Gregorii pontificatus variis contentionibus exhauſit. Quæ quoniam ea tempeſtate per Italiam non modo, verum per externas quoque provincias, variis ſermonibus diſſipata ſunt, ſilentio præteriri nequeunt ; eoque in primis, ut pateat quantum chriſtianæ reipublicæ interſit, eos, qui ad ſupremum pontificiæ dignitatis apicem ſunt evecti, nihil per faſtum moliri, at prudentia ſimul & charitate reliquos Principes complecti ; eorumque omni officio in ſanctiſſimam illam Sedem ſtudium & obſequium alere. Gregorius itaque, ut tota Italia religioſi viri, eorumque cœtus inviſerentur, ſtatuerat ; idque Mediolani a Carolo Borromeo, Bononiæ a Camillo Paleotto Cardinalibus, Florentiæ quoque fieri curaverat ; id ipſum ut Venetiis efficeretur, decrevit. Ea de re Patres certiores facti, a Joanne Triviſano, Venetiarum Antiſtite, ut id mu-

Gregorii Pont & Venetorum cõtroverſiæ de religioſis locis inviſendis.

muneris obeat, petunt ; tres illi a Decemviris Senatores aſſignantur : hac ratione & ſatis religioni facere, & complura, quæ cum Pontifice diſſidia oritura prævidebantur, vitari poſſe rati. Verum Gregorius, obfirmato in eam rem animo, Alexandro Bolognetto, ab ſe apud Rempublicam legato, Veronæ ac Brixiæ Præſulibus id onus imponit. Inde ſumma moleſtia Patres multis, iiſque graviſſimis de cauſis, afficiebantur : novum id, inſuetum, nuſquam factitatum, ut ab alio, quam ab ipſo Antiſtite. An non, quæcumque Pontifex juſte optaret, præſtaturum ? an vero hoc exemplo ſacerdotum ac templorum privilegia imminui ſinerent ? an Virginum cœnobia, in quibus pleræque ex nobilitate feminæ vitam degunt, aliis, quam Antiſtiti inviſenda permittant ? Ea quoque, quæ Carolus Borromeus Cardinalis in Brixienſi diœceſi, quam uti Mediolani Archiepiſcopus obierat, fuerat aggreſſus, ſeſe objiciebant ; qui & morum regionis, & Venetorum regiminis, legum inſtitutorumque haud ſatis gnarus, multis, quæ vehementer publicis rationibus officerent, non abſque ingenti populorum commotione, ſeſe immiſcere tentaverat, de quibus niſi a Brixiæ magiſtratu, præcipueque ab Aloyſio Georgio prætore, ſuperiori bello Corcyræ legato, fuiſſet edoctus ; graviſſimæ inde perturbationes ac tumultus extitiſſent. Sed Carolus, qui ſumma Venetam Rempublicam benevolentia proſequebatur, nec minus religione ac pietate, quam prudentia inſignis & erat & habebatur, ab iis ſibi temperandum atque abſtinendum cenſuit. Florentiæ quoque magna diſſidia atque altercationes excitatas eſſe ferebatur ; proventus piorum locorum, & collegiorum, qui in *laicorum* (ut ajunt) tutela ſunt, inſpicere ac ſcrutari eccleſiaſticis nitentibus, protectoribus ex adverſo reluctantibus : inde coactum Gregorium, re infecta, ei negotio præpoſitum amovere. Quocirca ut diſſenſionum ampla ſeges præcideretur, negotium Joanni Triviſano permitti Senatus efflagitabat : ſi majori auctoritate opus eſſet, ea literis Apoſtolicis tribueretur.

Verum infixam adeo menti ſententiam Pontifex geſtabat, ut penitus averſus, vix auribus quæ contra dicebantur admitteret : inviſendi munus, rem uſu primam, Divino cultui neceſſariam ; ejus ope collapſa reſtitui, recte inſtituta ſtabiliri: cur

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1580 cur ſalutari huic remedio Patres adverſarentur? jam Bononiam, Mediolanum, Florentiam luſtratas: eo munere Triviſanum Antiſtitem fungi, cum ſua res agatur, non poſſe, neque Tridentinæ ſinodi præſcripto licere: ne amplius reluctari vellent, ſumma cum dexteritate, leniterque acturum: duos Venetos Epiſcopos, Auguſtinum Valerium Veronenſium, Hieronymum Ragazzonium Bergomatum Epiſcopos ſocios Bolognetto legato additurum. Ac licet iis, quæ a Gregorio adducebantur, Senatus contra reſponderet, ſuaque jura tueretur; nihil impetrare, ac ne minimum quidem a ſuſcepta ſententia Pontificem dimovere poterat. Res per menſes aliquot utrimque acriter acta; cum tandem legato Pontifex præcipit, ut, omni ſublata mora, inviſendi negotium aggrediatur. Ille ſtatim Principi ac Patribus ſignificat, ad ea exequenda, quæ in mandatis habeat, coactum deſcendere. Magna inde animorum turbatio; graviter atque acerbe Princeps conqueritur: cum Veneta Republica, in ſanctiſſimam illam Sedem cultu & obſervantia nemini ſecunda, ita agi: nil hujuſmodi nec priſcis nec recentibus geſtis promeritam; cives toties in Apoſtolica Sede tuenda atque augenda, cruore effuſo, intrepide ſpiritum efflaſſe; acerrima, ac diuturna cum infidelibus bella geſſiſſe; modo cladibus, alternante fortuna, inconcuſſam mentem, inflexumque vigorem animi conſervaſſe; nuper, Pio Quinto ſuadente, arma in Selymum Rempublicam moviſſe, vi coactam pacem ſanxiſſe: a Pontifice vero ſuſpenſa auxilia eccleſiaſtica, atque ſacras decumas interdictas fuiſſe; nunc priſtinas vires ſarcire nitentem, quas in poſterum ad chriſtianum decus atque incrementum profunderet, interpellari, noviſque curis angi. His permotus legatus, aliquanto ſuperſedendum ſtatuit, ſi forte flecti ac leniri Gregorii animus poſſit. Fruſtra omnibus adhibitis, a divi Franciſci templo initium facturum, legatus inquit. Tum Princeps: *Quonam res deveniet? obicem reperies, incommodi aliquid ſuborietur; an in Senatum anathema intorquebis? Minime vero*, Bolognettus inquit; hiſque verbis perculſus creberrime Principem, ac Patres adeundo, modo certiſſima Pontificis juſſa oſtentare, modo tamquam Senatui gratificaturus tempus extrahere; Novocomenſis Cardinalis ad ſe literas. quibus immotum Pontificis decretum continebatur, ipſe

ipſe negligentiæ arguebatur, perlegere. Tandem eo redacta res erat, ut neque Pontifex cum dignitate de ſententia decedere poſſe videretur, neque Senatus ullo modo ſe decreta immutaturum obteſtaretur; atque ex ea obſtinata animorum pertinacia graviſſima plerique diſſidia oritura vaticinabantur. Verum cum neutri eo uſque progredi conduceret, ut ea diſſidia in hoſtiles controverſias apertaſque inimicitias erumperent; tandem ea ratio inita eſt, qua & Pontificis dignitati, & juſtis Reipublicæ rationibus conſuleretur; ut Gregorius unum tantum Venetum Antiſtitem, qui hanc inviſendi provinciam obiret, deligeret; is nec laicorum collegiis ſeſe immiſceret, nec cœnobia Virginum adiret. Auguſtinus Veronenſis Epiſcopus delatum ſibi a Gregorio munus mira prudentia, religione, pietate in Deum, ac patriam eſt executus. Hujuſmodi exitum perplexum iſtud negotium habuit. 1580

Auguſtino Valerio onus religioſorum locorum inviſendorum delatum.

At graviores, majoriſque momenti controverſiæ inter Venetos ac Joannem Aquilejenſem Patriarcham extitere, quem licet ſumma benevolentia & gratia Senatus complexus filii loco habuiſſet, atque in utraque fortuna haud vulgaria in illum beneficia contuliſſet; tamen, exacta jam ac prope in interitum vergente ætate, vel ambitione vel obſtirmata animi ſententia, quod ſemel cœptis abſiſtere indecorum ſibi arbitraretur, graviſſimarum diſſenſionum inter Pontificem ac Rempublicam auctor, mutuæque inter Apoſtolicam Sedem ac Venetos turbandæ benevolentiæ miniſter fuit; quæ Gregorii animum adeo implicavere, ut ejus interitu tantum tolli potuerint. At quod præter cetera mirum videatur, illud extitit, tot contentiones, ac per multos annos aucta implexaque diſſidia, ex ignobili parvoque Tageti feudo, in agro Sancti Viti ſito, exorta eſſe, quod vetuſto jure Altani Comites obtinebant, atque ex pactionibus M. CCCC. XXXXV. inter Aquilejenſem Antiſtitem ac Venetos factis, procul dubio ad Senatum ſpectabat. Nihilominus id ſibi adjungere Grimanus nitebatur; cumque aperte, re diſcuſſa conſtaret, nil in eo juris ſibi eſſe, Romam profectus, ad Gregorium adiit; controverſiæ cauſas expoſuit; Venetos, qui hucuſque Aquilejenſium Antiſtitum juriſdictionem tutati fuiſſent, nunc mutata ſententia, a majorum exemplis deflectere, jura, quæ ſemper obti-

Joannes Grimanus Patriarcha Aquilejenſe negotia ad Pontificem defert.

nue-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1580 nuerant, eripere. Hoc audito, ſibi ſcriptum exhiberi, mox Cardinalium, qui Epiſcopis præſunt, concilio deferendum, Pontifex petit. Ille, veluti præſagiens, cum ſibi, ut ſcriptis res agatur, non videri, dixiſſet, moram injicit. Pontifex ea de re cum Joanne Corrario oratore colloquutus, Rempublicam, ut ſatis Grimano Antiſtiti faciat, hortatur: ni velit, atque in ſententia permaneat, judicio certet; ut ſint qui inter diſſentientes ſententiam ferant, æquum eſſe. Corrarii acceptis literis, reſponſum eſt, nunquam ſibi in animum Senatum induxiſſe, ut Aquilejenſis eccleſiæ jura læderet, atque eo minus Grimano Antiſtite, in quem ſemper uti filium haud vulgaria amoris ſigna cumulaverat: novum id, quod peteret, pactiſque adverſum, quibus feuda, eorumque collationem in univerſo Forojulio ad Venetos ſpectare cavebatur. Pontifex, ut aliqua ratio concordiæ inter Antiſtitem ac Rempublicam inveniretur, ſuadebat: Patres, non abſque gravi jactura id fieri poſſe, tum ob rem de qua agebatur, tum ob ea quæ inde penderent, arbitrabantur. Itaque negotium majoribus quotidie difficultatibus involvi. Gregorius Aloyſium Juſtinianum, Patriarcham deſignatum, Romam vocare, denuo a Grimano ſcripta petere, accepta uni ex Cardinalium concilio viſenda tradere; a Corrario jura Venetorum poſtulare. Ille, Patres nolle judicio contendere, inquit. Tum Pontifex, ut in ea cauſa judex ſit, neceſſe eſſe, affirmat.

Joannes Corrarius ad Pontif. orator.

Aloyſius Juſtinianus Aquilejenſis Patriarca deſignatus.

Joannes Grimanus Patriarcha Aquilejam a Carolo Auſtriaco petis.

Eodem tempore, vel ut intrepide ſe eccleſiæ ſuæ privilegia defendere videretur, vel ut gratiam Reipublicæ iniret, a Carolo Auſtriæ Archiduce Aquilejam civitatem, ſibi ex Tridentina ſententia debitam, Grimanus flagitat. Negat ille, neque a poſſeſſione, quam per multos annos obtinuerat, ſe depelli paſſurum. Multa in eam rem affert, quæ a Grimano prævalidis rationibus impugantur, quem cum ſe nimium fortaſſe in altum evectum pœniteret, perhumaniter a Senatu invitatum, Venetias quoque reverſurum fuiſſe perhibetur, niſi integrum ſibi receptum non eſſe cognoviſſet, cum Pontifex, negotio ſuſcepto, jam dignitatem ſuam quodammodo oppignoraſſe arbitraretur; inde ex parvis initiis ingentis incendii incrementa oborta. Hunc annum ægritudo, quæ æſtate univerſam fere Europam pervagata eſt, inſignem reddidit: non ſexus, non ætas

Morbus, arietis dictus, Italiam univerſam percurrit.

ætas immunis fuit. Febre, fluxionibus, capitis doloribus mortales corripiebantur, hirci plerique morbum, quod id animal haud abſimili morbi genere vexetur, nuncupabant; moleſtum tamen potius, quam periculoſum fuit, ægris intra paucos dies priſtinam valetudinem recuperantibus: ejus originem morbi medici humidæ atque pluvioſæ veris conſtitutioni tribuere. 1580

M. D. LXXXI.

1581 ANni inſequentis initio Joannis Baſilii, Magni Moſcho-
Moſchorum legatio ad Venetos, & officium. rum Ducis, legatus Venetias acceſſit, qui Patrum Collegium ingreſſus, aliquantiſper in ſuggeſtu ſubſiſtens, *Quo Princeps titulo nuncupari conſueverit, ignorare ſe*, inquit; *vel ex eo excuſatione dignum videri, quod jam ſeptuaginta fluxiſſent anni, ex quo a Baſilio, qui tunc imperitabat, Demetrius Eraſmius orator ad Rempublicam miſſus fuerit. Mirum non eſſe, ſi multa in ſuis regionibus ignorentur, cum externa idiomata addiſcere, ne inde peregrina aſſuetudine, nova conſilia, proditioneſque ineant, lege apud eos vetitum ſit: notum ac percelebre in iis provinciis Venetæ civitatis nomen eſſe; quam* MAGNAS VENETIAS *vocabant; Reipublicæ vero formam, inſtituta, leges, libertatem non teneri.* Inde cum Princeps eum ſibi aſſidere juſſiſſet, adjecit: *Duabus potiſſimum de cauſis ſe a Duce miſſum; altera, ut Moſchorum regiones ac provincias Venetis negotiatoribus aperiret; altera, ut Cæſarem, Pontificem, alioſque chriſtianos Principes in Turcas communes hoſtes incitaret. Quod ad navigationem attineret, Veneta navigia ultro citroque commeantia per Livoniæ fines ad Colmogradum oppidum excipi juſſurum: inde ad Hircanum mare* (uti ajebat) *tandem ad Moſcham, ſui imperii ſedem, quæ leucis ducentis* (*quinque paſſuum millia leuca conficit*) *perveniri: ex ea in penitiora Moſchoviæ penetrari poſſe.* Ejus rei nonnihil ex literis Baduarii, apud Cæſarem oratoris, cognitum fuerat. Nam cum Moſchi legatus Pragam veniſſet, patefacere eam navigationem Venetis Joannem Baſilium velle nuntiaverat quam Britannis optantibus, atque ob id haud exiguam pecuniæ vim erogaturos jactantibus pernegaverat. Verumtamen a legati interprete (ſuo enim idiomate legatus utebatur) non ſatis propoſiti itineris ratio percipi potuit, cum conſtaret,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1581 Hircanum mare lacus inſtar terra undique præcinctum aditum navibus præbere non poſſe. Quod vero ad alterum caput ſpectabat, Moſchorum Ducem infenſo in Turcas animo eſſe, inquit, quod Stephano Battoreo ad Sarmatiæ regnum adſpiranti faviſſent, ut ab eo tributum acciperent: Moſchum, nuper Ploco arce Sarmatis adempta, arma ſumere in Amurathem ſtatuiſſe: quænam chriſtianorum Principum mens ac voluntas ſit, exploratum miſiſſe, legationes ad Cæſarem ac Pontificem deſtinaſſe; ſi opportunitate uti velint, Cæſari centum peditum millia præbiturum, Scythas ſibi juncturum; ducentum bellatorum millibus Perſico bello diſtentum Amurathem adoriturum. Ea ex tam longinquis regionibus legatio (uti decebat) perhonorifice excepta eſt; qua functus orator, ut, quæ in mandatis a Joanne Baſilio habuerat, Pontifici exponeret, ſtatim Romam ſe contulit.

Interea controverſias inter Aquilejenſem Antiſtitem, ac Venetos in dies magis exardeſcere nuntiabatur: nullum Reipublicæ rationibus, quæ a Leonardo Donato oratore exponebantur, locum Gregorium dare: ſcriptis ut Venetorum jura exhiberentur, petere; atque (ut eſt hominum ingenium ex uno in aliud pronum) judicium ad ſe trahere. Ea cum non minus ſibi, quam reliquis Principibus adverſa, Senatus eſſe intelligeret; nihil enim magis a ratione, & æquitate alienum, quam, ut ille, cujus res ageretur, patroni & judicis partes ſuſciperet, arbitrabatur; Cæſari, Galliæ, & Hiſpaniæ Regibus, aliiſque Principibus rem omnem ordine exponi jubet: quam firmis rationibus Reſpublica nitatur, quam id Pontificis conſilium exemplo cunctis Regibus tempore procedente obeſſe poſſit, ex his diſſidiis gravia chriſtianæ reipublicæ atque Italiæ in primis damna imminere. Verum Gregorius e Veneta legatione Alexandro Bolognetto, quod mora negotium de ſacris inviſendis locis extraxiſſet, Romam evocato, Laurentium Campegium Bononienſem ſuffecerat. Is quam primum literas Pontificis exhibuit, quibus literis Patres, religionis & pietatis majorum exemplis propoſitis, hortabatur: *Feudum Aquilejenſi Antiſtiti ademptum reſtituerent: id porro ſibi ab eorum prudentia, pietate, religione polliceri: ni facerent, ingenti moleſtia auctoritatem ſibi a Deo delatam, quamvis invitum & coactum, adhibiturum.* His literis Senatus conſulto reſpon-

Laurentius Campegius, Legatus Pontificius, literas ad Senatum defert. Senatus reſponſum.

ſponſum: *Quæ totius Reipublicæ Venetæ mens ſit, ſatis Gregorio conſtare: ſuis contentam, nunquam aliena aut arripere aut cupere aſſuetam; id multis iiſque inſignibus argumentis omni tempore teſtatam; hoc præſertim, in cauſa Aquilejenſi, cum nullum officii genus in Patriarcham prætermiſerit; tantumque abeſſe, ut feudo, quod modo in dubium vocaret, ipſe exutus fuerit, ut illud ſemper in Reipublicæ auctoritate ac poteſtate extiterit.* Atqui cum his de rebus Reges certiores a Senatu factos Pontifex cognoviſſet, idem per ſuos legatos efficiendum curavit. Ac ſane, qui illius factum probaret, nemo extitit. Joanni Mauro legato rem exponenti, *perperam Gregorium facere*, Henricus inquit, *qui Reipublicæ Venetæ, quæ inter præcipuos chriſtianos Principes cenſeretur, negotium faceſſat, cauſamque minime eccleſiaſticam ad ſe trahere velit.* Eadem ſe mente eſſe Hiſpaniarum Rex oſtendit, cum Granvelanus Cardinalis, quocum Joannes Franciſcus Maurocenus orator egerat, *Philippum eximia prudentia*, diceret, *ex ſpecula veluti proſpicientem, atque pro Italiæ quiete excubantem, de hiſce diſſidiis certiorem factum, ſtatim Abbati Briſſengæ Romam perſcribendum juſſiſſe; omni ſtudio negotium ex ſententia Senatus confici niteretur.* Carolus quoque Sabaudiæ Dux per ſuum oratorem Gregorium hortabatur; rogabat, *ne levi ex cauſa turbas ciere in Italia vellet.* Neque vero ſecus Cæſaris præconſultores ſentiebant. Gregorius, ad quem earum rerum notitia pervenerat, quæque Principum ſententia eſſet, cognoverat, vehementer commotus, quacumque ratione conſilium ſuum tueri adnitebatur. 1581

Interea extra ordinem oratorem Romam mittere Senatus ſtatuit; præclaro publici in Pontificem obſequii teſte delinitum iri, veritateque cognita, Reipublicæque rationibus perſpectis, e ſententia deceſſurum ſperans. Munus Joanni Superantio Equiti eſt delatum. Henricus eodem tempore per Foxium legatum negotium urgebat: Pontifici ſuadebat: *Ne his temporibus Rempublicam de Apoſtolica Sede optime meritam affligeret; Regis in Venetos benevolentiam, Venetorum in illum promerita memorabat; quamdam genii* (ut ille ajebat) *ſimilitudinem inter Gallos ac Venetos eſſe, quod iiſdem temporibus eorum imperia orta,*

Joannes Superantius extra ordinem ad Pontificem orator.

De Aquilejenſibus controverſiis Gallorum & Hiſpaniarum Regum officia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1581 *ta, quod arma ſæpius conſociata, quod communibus auſpiciis acquiſitum orientis Imperium, a Græcis ad Latinos tranſlatum : propriis quin etiam cauſis Henricum Reipublicæ devinctum eſſe, quod difficillimis temporibus conſilio ac pecunia adjutus, quod ſibi poſt Caroli fratris obitum e Sarmatia in Galliam revertenti, Venetiis non modo, verum etiam in omnibus Venetis ditionibus regii honores exhibiti : mirum proinde non eſſe, ſi, quæ Reipublicæ intereſſent, ad ſe ſpectare Henricus arbitraretur, ſummaque animi moleſtia a Pontifice Venetos turbari, intelligeret, ejuſque rei judicium ſibi vendicare vellet, quod cuncti Principes, quorum rationes a Venetis ſejungi non poterant, ægre eſſent laturi.* Foxio Gregorius, ſumma ſe Venetos benevolentia proſequi, affirmat, cum iis, uti decebat, leniter acturum ſpondet. Eodem tempore Philippus in hanc ſententiam ad Pontificem literas dedit : *Ingenti cum animi dolore de controverſiis inter illum ac Venetos exortis certiorem factum, vereri, ne aliquid inde detrimenti Italiæ accedat : nunquam enim Senatum paſſurum, ut de ſuis juribus perpetua poſſeſſione firmatis quidquam adimatur : diſſidia hæc in publicam perniciem demum redundatura, laudiſque ſibi illius fructum decerptura, in quam pro ſervanda augendaque catholica religione incumbere profiteretur : rogare, ut imminentibus hiſce malis obviam eat, ſuaque prudentia in ſatis Reipublicæ faciendo utatur.* Eas literas cum Briſſengius Pontifici detuliſſet, vel quod magis Hiſpanis confideret, vel quod Henricum, quem egregio in Rempublicam animo noverat, lædere veritus fuiſſet, ſecus ac Foxio fecerat, reſpondit : *Nihil in eo, de quo agatur, juris eſſe Reipublicæ ; de eccleſiaſtico negotio tractari ; callide nimium Venetos egiſſe, uti eis collibuerat re Principibus expoſita : Philippum, veritate inſpecta, ſecus exiſtimaturum, opportune veroſe literis reſponſurum.*

Joannis Superantii ad Pontificem oratio.

Superantius Romam profectus, una cum Donato Pontificem adit, quam ob rem orator a Senatu miſſus ſit, exponit ; de rationibus cauſæ Aquilejenſis exacte diſſerit; demum Gregorium rogat, egregio iſto atque inſigni Reipublicæ in Sanctam illam Sedem obſervantiæ argumento contentus, ne ulterius tendere velit. *Divina providentia factum eſſe*, adjicit, *ut Forijulii provincia Venetis, acerrimis catholicæ religionis defenſoribus, acceſſerit, quam im-*

immenſa auri vi, ac ſanguine comparatam, non minus ſua, 1581
quam chriſtianæ reipublicæ cauſa defenderent : inde ad Italiam aditum eſſe ; inde barbaros, inde hæreſum labe infectas gentes ſibi iter ad arma in iſtius provinciæ viſcera inferenda nonnunquam ſtruxiſſe. Quem unquam Pontificum fuiſſe, qui Venetæ Reipublicæ viribus & copiis non arceri hoſtes, iterque molientibus non intercludi poſſe ſibi perſuaſerit ? ac proinde ne quando religio nutaret, patriciæ nobilitatis viro Aquilejenſem Eccleſiam non crediderit, quam Patres ſartam tectamque & imperii jure, & pactionum legibus tuerentur ? Nunc vero cur poſt tot elapſos annos bello parta, pace firmata, uſu recepta immutari ac perverti ? His certe vehementer Venetos angi ; ſed alia ex parte magna ſpe duci, fore ut tandem de veritate edoctus Gregorius acquieſcat. Hac ſane Superantii oratione haud parum commoveri videbatur, ut non modo permotum, ſed ratione ipſa, cujus ingens apud mortales vis eſt, dejectum, ac prope victum diceres ; tametſi hæſitantis animi ſenſa premere annixus, Reipublicæ jura ſibi ſcripto exhiberi peteret. Cui Superantius, quidquid, ſalvis Reipublicæ rationibus, facere potuerat, id ultro Senatum præſtitiſſe ; quod modo flagitet, niſi magna earum jactura permittere non poſſe, quod in eum, uti judicem, conſentire nequiret.

Gregorii Pontificis dare Aquilejenſi in Cardinalitii collegio ſermo-

Cum Gregorius nec rationibus nec precibus flecteretur, in Purpuratorum collegio de Aquilejenſi cauſa diſſerit : *Nihil a Republica impetraſſe ; judicium Venetos abnuere ; ſcripto exhibere jura pernegaſſe ; a Superantio legato nihil allatum ; quocirca Cardinales hortari, ut de Sedis Apoſtolicæ dignitate cogitarent.* Cum legatis rurſus agit, denuo ſolita ea conditione, ut extra judicium ſibi permittantur, efflagitat. Id cum pernegaretur, acrius in Patrum collegio contendit *muneris ſui, uti Catholicæ Eccleſiæ Principis, eſſe, cunctarum eccleſiarum rationes integras ſervare, Aquilejenſiſque in primis Antiſtitis, qui impar certamini cum Republica ſit : nihil prætermiſiſſe, nihil obtinuiſſe ; ſupremos Principes, ac Reges ad Apoſtolicæ Sedis judicium confugiſſe : cur id Venseti abnuant ?* Ex his in dies magis arduum negotium evadere, cuncta ſigillatim Purpuratorum Collegio exponi ; in quo licet nonnulli asperrimam cum Venetis agendi Gregorii rationem improbarent, plerique ſta-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1581 tamen, vel privatis ſtudiis, vel aſſentandi cupidine, ejus mentem efferre, conſilia extollere, voces plauſibus excipere. Inde cum omnium oculos in ſe ipſum conjectos, reique exitum præſtolantes ſibi cernere videretur, aura Collegii ſublatus, palam profitebatur, ſuæ atque Sedis Apoſtolicæ dignitatis tuendæ cauſa, nihil ſupereſſe, niſi ut ulterius progrediendo, tandem ſpiritalia ſpicula arriperet.

Hoc acerbo Gregorii in Venetos animo permoti ex Patribus nonnulli, quibus religio, atque Italiæ quies cordi erant, inter quos præcipui Eſtenſis ac Mediceus, Veneti quoque, Delphinus nempe & Albanus, aliique, Senatui ſuadent, ut veteri illa prudentia, qua graviſſimis rebus pertractandis aſſueverat, ſenis impetum ſiſteret, pervicaciam (ſi qua ratione poſſet) mitigare ac lenire conaretur: eam unicam præſentibus diſſidiis componendis viam eſſe: Gregorii animo lenito ac placato, minime ambigendum, quin Reipublicæ deſiderio ſatisfaceret. Eæ tantum apud Patres ampliſſimorum virorum ſuaſiones potuere, ut pacis ſtudio aliquantulum remittentes, legatis juberent, ut extra judicium (quod abſque publicorum jurium detrimento fieret) Gregorio ſcripta legenda permitterent; magna inde ſpe nixi, ut ea tandem ratione controverſiis finis imponeretur. Summam ex eo decreto Pontifex lætitiam capere viſus, Senatus prudentiam commendat, verba addit, quibus ſe repetitis Patrum poſtulatis ſatisfacturum innuit. Verum ita natura comparatum eſt, ut cum penitus hominum animos avidius hauſta atque arrepta opinio pervaſerit, vix ulla ratione avelli, aut dimoveri queat. Illapſa Gregorio ſententia, inconcuſſis innixa radicibus, concuti nullo pacto neque flecti potuit. Hæc Romæ & Venetiis acriter diſceptabantur.

Philippus Rex univerſæ Luſitaniæ regno potitur.

Dum in Italia ſententiis, verbiſque dimicatur, Philippus Hiſpaniarum Rex, cunctis ei poſt prælium ad Alcantaram amnem commiſſum vota fluentibus, duorum menſium ſpatio antiquo ac pernobili Luſitaniæ regno, Africæque arcibus ei adnexis eſt potitus. Nam licet Antonius Portum urbem tueri, atque frontem obvertere viſus eſſet; attamen vel populorum fractis animis, vel tumultuariis inconditæque plebis collectis copiis, vel inopinatis rerum eventis, quæ ſæpius mortalibus prudentiam & conſilium adi-

adimere ſolent, perculſus, Averam cum paucis e ſuis ſeſe recipere, ingruentique fortunæ cedere compulſus fuit; ac ne in hoſtium manus vivus perveniret, nautico amictu indutus parvum navigium conſcendit, quo tempeſtate jactato, atque in litus impacto, per multos menſes ignoto habitu varias Luſitaniæ regiones peragravit, nequicquam, magnis propoſitis premiis, contendente Hiſpano, ut vel vivus vel mortuus in ejus manus perveniret. Nam rurſus mari ſeſe committens, regno, non ſpe exutus, in Galliam trajecit: chriſtianorum non modo Principum opem implorare, ſed ad infidelium quoque auxilia confugere cœpit. Philippus interea Uliſiponem ingreſſus, non abſque populorum mœrore, qui natura Caſtellanis infeſtiſſimi ſunt, Luſitaniæ Rex eſt conſalutatus. Zannius & Lippomanus, Veneti oratores, ſub id tempus Uliſiponem acceſſere: pernobiles iis Regis juſſu ad portum ædes, ex quibus pulcherrimus in mare deſpectus erat, attributæ; triremes aliquot, cymbæ, rhedæ quoque regiæ aſſignatæ, cunctis aulæ proceribus ad eos inviſendos conſalutandoſque confluentibus; ex quo non minus ad Venetos dignitatis, quam ad Regem beneficii accedebat; cum inſueto incolis egregio legationis illius ſpectaculo ſatis conſtare arbitraretur, Venetam Rempublicam, antiquitate, legibus, viribus inter præcipuos chriſtianæ reipublicæ Principes adnumerandam, ea ſignificatione jura, quibus arma induerat, regnumque adeptus fuerat, probaſſe; idque eo gratius Regi acciderat, quod omnium chriſtianorum Principum primi ad eum Veneti legatos miſiſſent. Zannius ac Lippomanus pernobili ac frequenti comitatu ad Philippum deducti, impoſitæ ſibi legationis munus obivere, nobiliſſimi atque ampliſſimi regni Luſitaniæ acceſſionem gratulati.

Antonius Luſitanus regno exutus in Galliam ſe recipit.

Gaudium ex Luſitana victoria Annæ Auſtriacæ conjugis, ex qua Philippum filium ſuſceperat, obitus nonnihil interpellavit. Per literas, perque oratorem eam jacturam Philippo Senatus condoluit. Inde Mariæ ſororis, defuncti Maximiliani Cæſaris conjugis, Rodulphique matris, quam Luſitaniæ regendæ præfecturum ferebatur, in Hiſpaniam adventum urgere cœpit; quæ cum iter a Germania per Reipublicæ ditiones habere ſe cupere per Baduarium oratorem ſignificaſſet; Senatus, ut regiam feminam, tot ſubnixam titulis (Carolum enim Quin-

Annæ Auſtriacæ Hiſpaniæ reginæ obitus. Mariæ Auſtriacæ, Rodulphi Cæſaris matris per Venetas ditiones tranſitus. Veneti oratores ad Mariam Auſtriacam.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1581 ti Imperatoris filia, Maximiliani Cæsaris conjux, Rodulphi mater, Philippi Hiſpaniarum Regis ſoror erat) ſplendide exciperet, quatuor oratores ad eam in Carnorum finibus excipiendam deſignavit: fuere ii Jacobus Fuſcarenus, Joannes Michaelius Marcii Procuratores, Joannes Superantius, Antonius Theupolus, omnes equeſtris ordinis. Sumptus ex publico in ſingulos dies mille aureorum numero exhibiti. Ad Reipublicæ fines egregio comitatu ſtipati oratores excepere, perque Venetas ditiones deduxere. Patavium ingredienti ab immenſo fere mortalium numero omni prope nobilitate, quam curioſitas ad eam viſendam attraxerat, Venetiis effuſa, obviam itum. Imperatrix Claudium Triultium, ut, ſuo nomine Patribus ſalutatis, ingentes gratias ageret, egregiumque ipſius in Rempublicam animum ſignificaret, Venetias miſit.

Claudius Triultius ab Imperatrice ad Senatum miſſus.

Eodem anno adhuc bellum Amurathis cum Rege Perſarum vigebat; Sinane Muſtaphæ, ut diximus, ſuffecto, perdifficili ac periculoſo itinere, moleſtiis, quas ſecum in regiones longinquas expeditiones trahunt, attritæ Turcarum vires. His incommodis Amurathes adactus, quemadmodum in triennium inducias cum Hiſpanis pepigerat, ita in Venetos haud vulgaria honoris atque exiſtimationis ſigna in dies edebat, dapifero (quem *Cefnegirum* Turcæ eorum lingua vocant) Venetias miſſo, ut ad feſta, quæ in Mehemetis filii circumciſione Byzantii concelebranda erant, Rempublicam invitaret. Ei victus e publico ſuppeditatus, ædes tributæ, aurei mille & quingenti dono dati. Jacobus Superantius Procurator ad Amurathem denuo legatus eſt creatus. Anni exitu ad munitionem, quæ Corcyræ immani ſumptu extruebatur, viſendam ac ſtabiliendam Jacobus Fuſcarenus, Marcus Antonius Barbarus, procuratorii ambo equeſtriſque ordinis, legati a Senatu miſſi, qui cum inſulæ prætore ac legato, claſſiſque ſummo præfecto pro majori parte cuncta ad opus perficiendum neceſſaria decernerent & curarent. Qui Corcyram delati, impoſitum onus, ſingulis adamuſſim expenſis, muniendæque inſulæ ratione præſcripta, complevere.

Jacobus Superātius ob Mehemetis circumciſionem erator Byzantiū eligitur.

Jacobus Fuſcarenus & M. Antonius Barbarus Corcyram mittuntur.

In-

M. D. LXXXII.

INterea cum adhuc inter eoſdem anfractus Aquilejenſe negotium verſaretur, oratorem diutius Romæ morari e dignitate Reipublicæ minime eſſe Patres rati, a legatione Superantium avocant; qui in patriam reverſus ſtatim de iis, quæ cum Pontifice egerat, ad Senatum retulit: atque, ut, aliqua concordiæ ratione inita, hiſce controverſiis finis imponatur, Gregorium cupere affirmavit. Itaque ſi quid proponere velit, libenter audituros per Donatum oratorem Patres Pontifici ſignificant. Eo abnuente, varia ab Eſtenſi, Mediceo, ac Farneſio Cardinalibus afferuntur. Tandem Patres, ſi feudum Pontifici donetur, confici rem poſſe, certiores facti, Senatuſconſulto ſtatuunt, ſibi placere, feudum, de quo diſceptaretur, abſque jurium Reipublicæ præjudicio, quippe quæ omnia Forijulii provinciæ feuda jure ſibi vendicaret, Pontifici dono dari. At his Gregorius nequaquam adſentiri, nimis arctum decretum dicere, libere ſibi cum omnibus Reipublicæ juribus tribui petere. Id & novum Patribus, & publicis rationibus adverſum cum videretur, Pontifex legibus eccleſiaſticis agere velle ſe, inquit. Iræ impotens, cohibere ſe nequit, minas inſerit, legatumque allocutus, complura addit, quibus perfacile infenſus illius in Rempublicam animus pernoſcebatur. Donatus, qui prudentiæ, ac rerum uſui eximiam gravitatem, & eloquentiam adjunxerat, *quam hujuſmodi conſilia communi bono officiant, quam immerito in eam Rempublicam effundatur, cujus majores pro Apoſtolica Sede, proque pontificia dignitate ſanguinem ac vitam effuderint*, oſtendit. *Eadem mente, qui rerum potirentur nunc eſſe, in iis, quæ ad catholicam religionem, Divinumque cultum ſpectant: nomini in Summorum Pontificum obſequium conceſſuros. Idem de humanis rebus agatur, uti Principes ſupremos decet, nulli actionum ſuarum rationem reddituros; utpote qui poteſtatem a Deo acceperint, nullumque, præter illum, judicem aut cenſorem agnoſcant: Dei munere ſe Principes nuncupari; regimen illi, potentiam, libertatem, quam per tot ſæculorum mutationes incorruptam illibatamque ſervaſſent, acceptam referre; idque*

1582

Joannes Superātius a Romana legatione revocatus.

Leonardus Donatus infenſum Pōtificis animum lenire nititur.

pro

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 *pro comperto habere se*, inquit *Senatum*, *in quo hausti a maioribus generosi illi spiritus vigerent*, *insueta hæc consilia*, *& conatus non laturum : vetus Reipublicæ decus dignitatemque quacumque ratione defensurum*. Ea liberrime (uti Senatorem Venetum decebat) a legato prolata, multorum arrogantiam, ac petulantiam coercuere : varia in Cardinalium collegio jactata, dicta, enuntiata; nec deerant inter Purpuratos, qui Gregorium vehementer carperent, quod hisce temporibus Rempublicam antiquitate, religione, ac viribus præsertim maritimis præpotentem impeteret. Attamen ita cum Venetis Pontifex agebat, ac si sub aleam universus terrarum orbis casurus videretur; gravissimarum interea rerum momenta inani altercatione prætermittebantur.

Eodem tempore turbatæ navigationis, & Uscochorum damna resurgebant; quorum non minus molestia, quam satietas civitatem ceperat, ut, quæ in pacis otio per hos annos accidere, perlegentibus tædium quoque sint allatura. Franciscus, Magnus Hetruriæ Dux, nuper institutæ religionis, quam divo Stephano nuncupaverat, auctor & princeps, eo cogitationes omnes contulerat, ut maritimis excursionibus, irreconciliabiles cum Turcis, infidelibusque inimicitias exercendo, prædas congereret, subjectos ditaret, captivos ad transtra ablegaret, aliaque inde emolumenta perciperet. Itaque anni hujus initio Gajanam navim e Cytheræ insulæ portu solventem Florentini ceperant. Eventum Patres, ob subjectorum damna, negotiatorum impedimenta, Byzantinas querelas ægre admodum tulerant; neque, quod ad eam injuriam propulsandam spectaret, omissuri quidquam videbantur. Ex quo Franciscus permotus, ut factum quacumque ratione tueretur, Abbiosum Abbatem, acri hominem ac solerti ingenio, Venetias misit. Is, ad Patrum conciliandos animos, quæ in Aquilejensi negotio Franciscus ipse, ac Ferdinandus Cardinalis frater Romæ pro Republica egerant, commemoratis, ad Gajani navigii negotium progressus, *Nulla*, inquit, *ab Hetruscis triremibus damna Venetorum navigiis illata*, *non ablata*, *non perquisita Turcarum*, *Hebræorumve mercimonia*; *quid*, *iis duobus demptis*, *superesse*, *de quo Senatus conqueratur*? *Gajanam navem Venetorum non esse*; *ea mente Patres existere*, *Franci-*

Sancti Stephani militaris religio a Francisco Hetruriæ Duce instituta.

Gajana navis a Florentinis capta.

Abbiosus Abbas ab Hetruriæ Duce Venetias missus.

ciscum non arbitrari, *ut divi Stephani religionis fundamenta*, *Equitum leges*, *solemne*, *quo obstricti fuerant*, *nulla in re a Hierosolymitana religione dissidens*, *votum evertere velint*. Iis quæ ab Abbioso adducebantur, respondebatur : *Navem Reipublicæ subjectorum esse*; *eamque Venetos sartam tectamque tueri*, *fide interposita*, *se devinxisse*, *detrimentum acceptum in negotiatores Venetos redundare*; *intolerandum esse*, *ut quæ intra ditionis Venetæ portus navigia sese receperant*, *ea ab exploratoribus amici Principis in insidias præcipitari*, *armis peti*, *immanissime diripi*. *Quid aliud id esse*, *quam Turcarum arma in Venetos*, *universamque christianam rempublicam provocare*? Ea res cum summi momenti haberetur, exindeque si Patres conniverent, majora in dies incommoda suboriri possent; Aloysium Bonritium a secretis ad Franciscum mittunt : petunt, Gajanam nuper captam reddi jubeat; ne in Veneta navigia inquiri, neu suis triremibus accessum ad Reipublicæ insulas permittat. Franciscus honorificis in Rempublicam verbis usus, quod ad negotium spectat, *Navigium mercatoris cujusdam*, *qui Peram incoleret*, *non Venetorum juris esse*, affirmat : *a maritimis vero excursionibus*, *vel emissi voti nexu*, *vel ob illatas a Turcis injurias*, *abstinere non posse* : *oratorem ab se ad Amurathem*, *qui de commercio cum Turcis ineundo ageret*, *missum*; *ab excursionionibus abstineret*, *petenti*, *cum non adsentiretur*, *turpiter ejectum*. Ad ea Bonritius sæpius dicta inculcabat : *Parvi lucri cupiditate potentissimum*, *longoque terrarum marisque tractu Venetis finitimum Regem in Rempublicam amicam provocari*. *An non hæc juri gentium adversari*? *navigia abripi*, *diripi*, *infestas reddi*, *negotia intercipi*, *nil tutum intactum relinqui*? *hæccine a Francisco tot vinculis Venetis conjuncto expectantur*? *an potius*, *ne in posterum aliquid ejusmodi accidat*, *ipsum operam daturum sibi polliceantur*? Franciscus tandem iis, quæ de Gajana navi enunciaverat, insistens, *ut rem* (inquit) *Venetis gratam faciat*, *suis*, *quantum possent*, *ab insulis navigiisque Venetorum abstineant*, *edicturum*. Hæc Florentiæ agebantur.

1582

Aloysius Bonritius Senatus jussu in Hetruriam proficiscitur.

Hisce navigationis incommodis Uscochorum crebræ in Adriaticum irruptiones accedebant, subjectis admodum graves, quod in eos Dalmatis finitimi Turcæ incitarentur, qui & assiduis que-

Uscochorum direptiones.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 querelis Amurathem fatigabant, oppidisque ac urbibus Illyrici imminebant. Ex iis quadringenti veterem Jaderam nuper diripuerant, in Siccensemque agrum irruperant; neque ulla ad eos penitus exterminandos satis opportuna ratio inveniebatur, licet acri obsidione premerentur, & ubique a præfectis Reipublicæ pro hostibus haberentur. A Cæsare quoque, ut a Senia conscelleratam gentem amovens, tantorum malorum causas excinderet, Senatus assidue flagitabat. At ille, quemadmodum in fontes animadversurum pollicebatur, ita Uscochorum e Senia amotioni multa officere, longioris moræ rem esse ajebat. Imperata quoque de facinorosis plectendis, licet severa admodum, Seniæ præfecto moras variaque impedimenta nectente, vel negligebantur, vel trahebantur; cum mari in Turcas invehi, modo Christianis Venetorumque subjectis damna non inferrentur, licere clamitarent. At jam assuetudine ea mala, vel potius molestiæ, quibus Venetorum tranquillitas interturbabatur, callum fere obduxerant.

Inter hæc agenda, Franciscus Alenconius ad ea, quæ antea consilia omiserat, reversus, ad Belgium denuo animum adjecit, literis a Gulielmo Arausionensi Principe solicitatus, quibus ad Ordinum patrocinium suscipiendum hortabatur; quo & militaris gloriæ famam per omnem Europam sui nominis diffunderet, & novas opes imperiumque compararet: quantum, occupato Lusitaniæ regno, virium ac roboris Hispaniarum Regi accessisset, notum esse: in summo timore & consternatione Belgarum animos versari; ad anceps bellum terrestre maritimumque sustinendum impares esse. Ingenti itaque spe Alenconius sublatus, magna Gallorum ac Britannorum manu Londino digressus, ubi per aliquot dies cum Helisabetta Regina de Belgii statu egerat, Flessingam, Battavorum urbem, pervenit. Ibi ab Arausionensi Principe exceptus, Antverpiam deductus, Dux Brabantinorum declaratur. Suscepti hujus consilii Alenconius per Drachum, præstantem virum, perque literas Senatum certiorem facit: omnem benevolentiam ac studium in Reipublicæ amicitia servanda & colenda pollicetur; quæcumque ab se proficisci possint, ultro defert. Id unum petere se, inquit, ut ex Venetis ditionibus equos in Belgium ad belli usus transmittere sibi liceat. Pari officio, gratia-

Franciscus Alenconius Antverpiæ exceptus. Dux Brabantiæ declaratur. Drachus ab Alenconio Venetias mittitur.

tiarumque actione refertis literis responsum. Quod ad equos 1582
spectet, minime ferax eo jumentorum genere solum esse; iis plerumque Rempublicam egere; rogare, ut egregio in illum cunctorum animo contentus sit. Eodem, quo Alenconius hæc moliebatur, tempore, fœdere sibi tredecim Helvetiorum pagos Henricus devinxerat; idque per Ferrerium oratorem Patribus significaverat. Initam recentem cum præpotenti gente societatem; si, se dedisset occasio, usui quoque Reipublicæ futuram. Ac sane post adjunctum Philippo Lusitaniæ regnum, suspicionum occultarumque dissensionum semina inter duos Reges suboriebantur. Licet enim Henricus ex priori fratris in Belgium profectione summam molestiam percepisse visus esset, modo, quamvis premere connixus, dissimulatione tamen penitus uti nequibat, compluribus militibus e Gallia in Belgium accurrentibus; cum præsertim eodem tempore Catharina mater palam Antonio Lusitania ejecto faveret, maritimasque vires ad Azores insulas, in quas post Lusitaniam devictam belli impetum Hispani effuderant, polliceretur. Exinde cum intestina bella imminere christianæ reipublicæ Veneti præviderent, ne ab instituto pacis tuendæ studio discederent, quamvis Aquilejenses controversiæ vigerent, tamen cum Pontifice agebant, ut exorientibus malis occurreret, neque adolescere ingentem calamitatem in communem perniciem erupturam pateretur.

Henrici Galliæ Regis cū Helvetiis fœdus.

Gallorum & Hispanorum mutua suspiciones.

Verum Gtegorius, ut plerique Pontifices, vel præcipuo quodam tanti fastigii munere, vel insita memoriæ in posteros proferendæ cupiditate, omnes cogitationes ad res turcicas tantum contulerat; Sarmatasque ac Moschos dissidentes componere in primis adortus, Antonium Possevinum e Jesu Societate hominem, in eas regiones miserat, ut Stephanum Battoreum, Sarmatiæ Regem, ac Joannem Basilium, Magnum Moschorum Ducem, inter quos acriter decertabatur, conciliaret. Is post multa utrimque agitata permollitis animis, pacem sanciverat; qua ex re ingentem voluptatem Gregorius ceperat, inde sibi ad ea, quæ in Ottomanos meditabatur, gradum structurum ratus. Pactam cum Battoreo pacem Joannes Basilius per Jacobum Malvaninum Senatui nuntiavit, literasque in hanc ferme sententiam dedit. *Bellum inter eum ac Sar-*

Antonius Possevinus ad Sarmatas & Moschos a Pontifice missus.

Jacobus Malvaninus, Moschoviæ Ducis orator, literas ad Venetos defert

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 *Sarmatas vigente, Pontifici visum fuisse in eas regiones Antonium Possevinum mittere, qui dissidentes componere niteretur; eam in rem cum omni studio incubuisset, tandem optatissimum pacis fructum retulisse, quod Senatui significandum duceret: liberum se in suis ditionibus commercii jus Venetis exhibere; ad oratorem sibi mittendum, qui ea de re, aliisque gravissimis negotiis ageret, invitare.* Literis pretiosissimarum pellium, quæ *Gibellini* vocantur, dona addidit. Stephanus quoque Battoreus per Hieronymum Lippomanum, Reipublicæ apud Cæsarem legatum, suam amicitiam, opes, viresque Reipublicæ detulit: cupere necessitudinis pignus, ab Senatu ad se ordinarium oratorem mitti; ipsum quoque idem erga Rempubliam facturum: quam publica benevolentiæ ac conjunctionis significatio existimationi utrisque, atque usui ob mutua commercia esse possit, satis constare: ex ea magnum utrorumque rebus præsidium in omni fortuna accessurum. Hisce rationibus, ac Battorei repetitis postulatis permoti Patres, Senatu consulto legationem in Sarmatiam decernunt: Joanni Delphino, Josephi filio, id munus impositum.

Stephanus Battoreus, Sarmatiæ Rex, a Senatu ordinarii oratoris missionē petit.

Joannis Delphini ad Sarmatam oratoris electio.

Ea de legatione cum ad Henricum Galliæ Regem allatum esset, ob Sarmatiæ regni titulos, quos gerebat, haud parum molestiæ ac doloris accessit Licet enim, Carolo fratre vita functo, ex iis regionibus discedere coactus fuisset, adhuc tamen jus, quod sibi vendicaverat, acriter retinebat. Itaque quam ægre id decretum tulisset, Ferrerius legatus exponit. *In avitum regnum reversum, quod sibi naturæ jure debebatur, non illud reliquisse, ad quod inclitæ gentis suffragiis accitus fuerat; non minusque illud sibi, quam quod per majorum manus traditum acceperat, cordi esse; id a natura, hoc a virtute, egregiisque gestis pendere, quorum fama Sarmatæ permoti, decimum atque octavum annum agentem Regem sibi adsciverant. Battoreum non veri legitimique Regis, sed suas veluti vices obeuntis loco habere; Galliæ rebus compositis, animum ad Sarmatiam adjecturum: magnum eo Senatusconsulto, quo legatio in Sarmatiam decreta fuerat, sibi præjudicium inferri; neque commercii jura, qualiacumque tandem ea sint,* Ferrerius ait, *Gallorum amicitiæ anteferenda esse: majora ab amplissimo, ac potentissimo regno, atque ab eo, qui tunc*

Henrici Regis, ob Sarmatiæ legationes decretum, perturbatio.

tunc rerum potiretur, Henrico, cujus in Rempublicam egregia perspectaque voluntas sit, expectari posse: si deferendo Battoreo regios titulos Galliarum Regi ablatos velit, hoc exemplo reliquos christianos Principes ad legationes in Sarmatiam mittendas, non absque jurium, atque existimationis Henrici detrimento, impulsum iri. Eodem officii genere Hieronymus Gondius, a Regis secretis, cum Joanne Mauro oratore utitur. His ita respondendum Senatus censuit: *Nulla in re ejus Regis, quem unice amaret & coleret, jura imminuere aut labefactare; non Henrico regios Sarmatiæ titulos adimere Senatum eo decreto aut voluisse aut cogitasse: de negotiis tantum, quæ in iis regionibus Reipublicæ intersint, jure omnium gentium pertractandis actum: Pontificem quoque ad eum Antonium Possevinum destinasse, atque a Battoreo legatum excepisse: neque secus Cæsarem fecisse: itaque nihil vel novum, vel insuetum in oratore deligendo factum.* At Henricus minime acquiescere: *Possevinum non legatum, sed privatum hominem, unius tantum rei peragendæ causa, a Pontifice in Sarmatiam amandatum: Battorei legatum de more ad Apostolicæ Sedis obedientiam exhibendam Romam venientem excepturum.* Ceterum ipsemet Battoreus, maturius re perpensa, quantaque ex mutuis hisce legationibus in Turcarum animis suspicio irrepere posset, animadvertens, cum eorum amicitiam suis rebus admodum necessariam intelligeret, plurimum ex pristino animi, quo oratorem concupiverat, ardore remisso, antiquata legatio est.

1582

Sarmaticæ legatio antiquata.

LIBRI DUODECIMI,
ET
TOMI SECUNDI
FINIS.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

BIBLIOTEKA PUBLIKE
"MARIN BARLETI"
SHKODER (2018)